UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


R.P. Clavdii Aqua-Vivae Societatis Iesv Præpositi Generalis V. Meditationes In Psalm. 44. et 118

Acquaviva, Claudio

Coloniæ Ubiorum, 1616

urn:nbn:de:hbz:466:1-50645

Visual Library




Th. 2906.
f. III
to.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Soc.tis Jesv Paderborne.



R. P.

CLAVDII AQVA-VIVAE

SOCIETATIS IESV
Præpositi Generalis V.

Liber Collig. Soc. Iesv. Paderborn

MEDITATIONES
In Psalm. 44. et 118.

In nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, et infernorum.

Coloniæ Vbiorum
apud
Ioannem Kinchium

1616?

REVER.mo AC SEREN.mo
PRINCIPI AC DOMINO,

D. FERDINANDO,

D. G.
Electo & confirmato
ARCHIEPISCOPO
COLONIENSI,
&
PRINCIPI ELECTORI,
EPISCOPO LEODIENSI,
& Monasterienſi, Coadiutori & Adminiſtratori Paderbornenſis, Hildesheimenſis, Berchteſgadenſis Eccleſiarum, Principi Stabulenſi, Comiti Palatino Rheni vtriuſque Bauariæ Duci, Duci VVeſtphaliæ, Angariæ, & Ballonij, Marchioni Franchimontenſi,
&c.
DOMINO CLEMENTISSIMO.

SAECV-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SAECVLVM hoc noſtrum, Seren.me Princeps, adinſtar terræ, æſtu multo torridum, abſq; iugi eloquij diuini irroratione, nimium quantum eſt aridum: ſed Dei munere temperant, ac pluuiam fundunt affatim ſalutarem cordi bono, pij libri. In magna horum copia neſcio an aliud quid affluentius de fonte ſuperno irriget mentẽ hiſce R. admodũ P. Claudij Aquauiuæ Societatis IESV toto orbe florentiſsimæ, ad annos 34. cum ſumma laude fructuq; immenſo Præpoſiti Generalis, MEDITATIONIBVS, de quibus aptè dici poſſet illud, quod qui aſsiduò eas legerint, tractauerintq; fiẽt illis *fons aquæ* viuæ *ſalientis in vitam æternam*. Mole quidem ſunt exiguæ, numero paucæ, ſed pietate grandes, doctrina ſacra vberes, quæ Horas Eccle-

Ecclesiæ, quas vocant minores, mira pietate explanant. Hasce viri tanti è Ducali Adriæ familia oriundi Seren.me V. Cels. visum fuit inscribere, tum ob beneficia, quæ à Ser.ma V. C. larga benignitate in me meosque profecta sunt, tum quod ingratas eas haud fore sperem tam religioso optimi Principis animo, quas ideò etiam Principali & regia, vt solet, fronte clementissimè susceptarum confido. Ita Seren.mam V. Cels. Deus Opt. Max. diu Religioni Catholicæ, Patriæque sospitet, æternùm voueo. Coloniæ Vbiorum, ipso Profesto Præcursoris Dominici Diui Ioannis Baptistæ. Anno salutis humanæ M. D C. X V I.

Ser. V. Cels.

indignus Cliens

IOANNES KINCKIVS

Ciuis & Bibliop. Colon.

MVTIVS VITELLESCVS
SOCIETATIS
IESV

Præpositus Generalis.

CVM Meditationes in Psalmum XLIV, & CXVIII. R. P. Claudij Aquauiuæ, qui fuit Præpositus Generalis nostræ Societatis V. tres eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint; & in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita Reuerendissimo D. Vicesgerenti, & Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus Romæ 5. Decembris 1615.

Mutius Vitelleſcus.

Impri-

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſ. P.M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſger.

Opuſculum hoc Meditationum Reuerendiſſ. P. Claudij Aquauiuæ in Pſalmos XLIV. & CXVIII. iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Fratris Hyacinthi Petronij Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri diligenter inſpectum, nihil omnino Fidei Catholicæ, boniſue moribus aduerſum continere, imò potius tanta ſuauitate ſpiritus refertum comperi, vt ex eo typis mandato Incipientes Lac, Proficientes Aquam, Perfectoſque Vinum, ad replendam adipe, & pinguedine animam, abundè ſatis haurire poſſe exiſtimauerim.

Ita eſt Fr. Baſilius Mazza Chienſis, Ord. Præd. Sac. Theolog. Magiſter.

Imprimatur, *Fr. Gregorius Donatus Rom. Socius Reuerendiſſ. Patris Fr. Hyacinthi Petronij Sacri Pal. Apoſt. Magiſtri, Ord. Prædicatorum.*

SOCIETATIS IESV PATRIBVS.

INTER cetera dona, quibus Societatis nostræ Præpositus Generalis piæ memoriæ Claudius Aquauiua diuinitus erat ornatus (Patres) excellebat, quemadmodum multi vestrum nouere, maximus erga res diuinas affectus, & quædam pietatis perpetua dulcedo, & suauitas: quam nulla vnquam moles occupationum obrueret, nulla temporum varietas perturbaret. Hæc verò alebatur ad eo continuis meditationibus, maximeq; excitabatur, & quasi efflorescebat, dum quotidianum sacerdotalis psalmodiæ officium prosolueret: quod non modò summa attentione exequebatur, sed magna etiam pulcherrimorum sensuum affluentia, diuinis, quæ pronunciabat, verbis aptissimè congruentium. Ita orationem vocis iungebat, & cordis; psallens spiritu, vt monet Apostolus, psallens & mente. Plurimum autem Psalmis delectaba-

ctabatur, ac ceteris diuinæ Scripturæ locis, in quibus Christi Domini præstantissimarum laudum aliqua celebraretur. Incredibili enim erga Redemptorem nostrum caritate flagrabat: suauissimè in eum, & sensibus intimis afficiebatur: de eo meditabatur assiduè: &, vbi opportunitas ferret, summa cum sententiarum magnificentia, & verbis spirantibus, & quasi igneis loquebatur. Cui dum indulget animi sui flagrantissimo studio, etiam scripto cœpit adnotare quasdam meditationes, quas in Psalmum quadragesimumquartum, qui totus de Sponsi Christi laudibus est, interdum habuerat: vt subinde earum lectione memoriam sibi refricaret præteritarum cogitationum, & pietatis gustum renouaret, ac feruorem incenderet, tum præsertim, cum per morborum iam satis frequentes tentationes, non ita, vti vellet, defigere mentem in cõtemplatione, & adhibere conatum posset. Cœpit postea etiam in Psalmum centesimum decimum octauum aliquid adnotare: dumque paulatim progreditur, prope totum absoluit. Nam cum in diuinæ legis prædicatione Psalmus ille omnis versetur,

setur, & diebus singulis recitetur, tum ob pulcritudinem suam, & subiectæ materiæ vtilitatem, tũ ob quotidianum illum vsum præcipua illa cura, & consideratione dignus visus est. Percepit ille, quanquã non longo tempore, tamẽ satis vberẽ sui laboris fructũ. Nãq; profitebatur post eas meditationes haud paulò melius horariã sibi psalmodiã succedere; dum quibus insueuerat cogitationibus, earum aliqua inter psallendum leuiore negotio, ac velut sua sponte succurrit. Identidem quoque, cum decumberet, alijsq; temporibus certos ex ijs locos recitari sibi iubebat: idque, quod de confessionibus suis S. Augustinus affirmat, experiebatur, vt facilius & intellectus, & affectus excitaretur in Deum. Has ego Meditationes cum inter schedas tanti Patris reperissem, tametsi nec edendi consilio scriptas, sed tantum vt suggerebat commotio spiritus, exaratas ab eo cursim scriebam; nec postea recognitas, vllaque styli cultura adhibita elaboratas, tamẽ apud Patres, Vicarium, & Assistentes, qui tum erant, ac postea apud nouum Præpositum, quem Deus nobis dedit, curandum putaui, vt vobiscum excu-

sa ty-

sæ typis communicarentur, duplicem maximè ob causam. Primùm, quod vobis periucundum sperabam fore, si haberetis monumentum hoc tanti Viri, & qualecumque specimen pijssimæ eius mentis. Deinde, quod etiam confidebam vtile id multis præsertim sacerdotibus fore subsidium, ad sacerdotale precationis quotidianæ pensum maiore cum attentione, suauitate spiritus, ac morum etiam profectu soluendum. Etenim quanquam (vt dixi) Meditationes elaboratæ, ac perpolitæ non sunt, tamen (vt erat ille vir ingenio, & iudicio maximo, & sacrarum literarum, vt in tantis occupationibus, eruditione præcipua, quā & linguarum notitia adiuuabat) pulcherrimos continent sensus, doctrinam non vulgarem: & selectissimis subinde sanctorum Patrum locis illuminantur: quos ille maximam partem ex pleno memoriæ suæ thesauro depromebat. Denique & stylus & lingua Sanctorum est, nec elegantiam grauem desiderans, & sanctitatem spirans. Illud quidem commodissimè est factum, vt pariter hi duo Psalmi coniungerentur. Cùm enim summa salutis, ac perfectio-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

fectionis humanæ in amore diuino sit posita, & ad eum quasi per duas alas per actionem subuehamur, atque contemplationē; in altero Psalmo, qui sponsi Christi magnalia continet, pulcherrimam contemplationis materiam; in altero, qui legem commendat, efficacissimos ad actionem habemus stimulos. Et quia ipse Dominus ait, Si quis diligit me sermonem meum seruabit, *dum in altero Psalmo ad Christi amorem accendimur, tacitè alter ad mandatorū eius custodiam inuitat, ac mouet. Quæ nobis vtraque perfectius in dies consequi, & inter se consociare summa bonitas donet. Valete. Romæ 2. Decembris. 1615.*

Bernardus de Angelis Secretarius
Societatis IESV.

MEDITATIONES IN PSALMVM XLIV.

Aſpira IESV Dulciſsime: Adeſto Virgo Maria.

In finem.

Pro ijs, qui commutabuntur. filijs Corè. ad intellectum. Canticum pro dilecto.

PSALMVS XLIV.

1  RVCTAVIT cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

2 Lingua mea calamus ſcribæ: velociter ſcribentis.

3 Specioſus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

4 Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, potentiſsime.

5 Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna.

6 Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

7 Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

8 Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui.

9 Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

10 Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.

11 Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circundata varietate.

12 Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

13 Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

14 Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

15 Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus

tus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

16 Adducentur Regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.

17 Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum Regis.

18 Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram.

19 Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.

20 Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in sæculum sæculi.

MEDITATIO IN TITVLVM PSALMI.

PRo ijs, qui commutabuntur, vertit Sanctus Hieronymus, Victori pro lilijs. Symmachus, Triumphus, seu triumphale carmen pro floribus. Aquila, Vincenti pro lilijs. Vltima verò pars, Canticum pro dilecto, vertitur etiam Canticum amantissimi, vel canticum amoris. Epist. 140.

Quanta, & quam dulcia continet Titulus? siue cum indicat de Christo Domino esse Canticum, qui singulariter vocatur Dilectus, Amantissimus, Amor: siue cum epithalamium idem dicitur, & triumphus? Est enim non solum Canticum Sponsi, sed victoris epinicion. Siue cum pro ijs, qui commutabuntur, pro floribus, & lilijs inscribitur. Nam liliorum, florum, & commutationis mentio docet, quæ nam sit ista commutatio, ea scilicet, per quam spinæ, vtricæ, & cicutæ in lilia, & flores, Christi Iesu virtute, commutantur. De qua Isaias Propheta: *Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium: germinans germinabit*, &c. lege totum caput. De hac felici commutatione Iesus ipse per eundem Prophetam. *Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde*, &c. *Et darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris.* Ac toto deinceps capite mira hæc describitur mutatio. Innumera sunt in scripturis. lege D. Chrysostomum Homilia 1. in Epist. ad Ephesios, in illud, Gratificauit nos, id est, gratos, & amabiles effecit in dilecto filio suo. Denique de hac mutatione D. Leo sermone 1 de Pascha, Dicente (inquit) Apostolo, *qualis terrenus, tales & terreni; & qualis cælestis, tales & cæleſtes: ſicut portauimus imaginem terreni, portemus*

Commutatio rerum felicissima per Christum efecta.

Isa. 35.

Isa. 61.

S. Leo ser. 1. de Pascha.

temus & imaginem eius, qui est de cælo: multum nobis de hac commutatione gaudendum est, qua de ignobilitate terrena ad cælestem transferimur dignitatem per illius ineffabilem misericordiam, qui, vt nos in sua proueheret, in nostra descendit. Plenæ sunt diuinæ paginæ hoc beneficio, plena sanctorum Patrum scripta. Forte nec vacat mysterio, quod cantatur filijs Core, qui fuit rebellis, & terra absorptus. Filij huius Cantores, & filij Adam, id est, natura filij iræ laudes Deo, & Christo canunt. 1. Cor. 15. *Num.* 16. *Ephes.* 2.

PROOEMIVM.

1 Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.
2 Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

GRandia dicturus insigni Canticum adornat procœmio, quo expectationem, & attentionem excitat. Primùm à præstantia carminis, quod verbum bonum, hoc est, lætum, faustumq; & præclarum nominat. Psalmi huius præstantia.

Secundò ab excellentia materiæ, quam tractat; & personæ, cui canit. Quod Regem canat, & ad Regis aures: nec cuiuscunque Regis, sed cui soli per excellentiam conuenit absolute Regem vocari: quem vbique & in Cœlo, & in terra, & in omnibus abyssis Regem omnes, etiam ipsi Reges appellant. Hunc enim solum canere Dauid nouerat, vt & alibi profitetur, *In te* *Psal.* 70.

cantatio mea semper. Tertiò ex pronuntiatione ipsa, quam pollicetur promptam, & expeditam futuram, vt ex lingua, quæ velut calamus sit scribæ velociter scribenti commodissime inseruiens. Sed ante omnia ex ipso carminis autore Spiritu sancto, quo illud afflatus effudit, propterea Eructauit (inquit) cor meum. Nam fere in potestate nostra ructus non est: sed ex plenitudine cum impetu quodam erumpit. Propterea & lingua calamo comparatur. Nam tametsi per scribam Propheta potest intelligi, tamen dum eructaret magnalia Sponsi Regis, Spiritus diuinus loquebatur in eo, qui & cor implebat, & linguam expediebat.

Cõditiones perfectæ laudis.

Nazian. or. 2. in Pascha.

Luc. 6.

Isa. 29.

Mat. 15.

Habes hic perfectæ laudis dotes, & ornamenta. Eructauit, inquit, cor meum verbũ bonum. Quam bonum verbum de Deo Verbo? Nam diuina quoque est, quæ de Deo habetur oratio, vtique si manet ex corde, & corde bono. Nam de bono cordis thesauro bona proferuntur: & solũ appropinquantem labijs, laudantemque populum, corde autem alienum, ipse Dominus exprobrans aspernatur. Vt igitur decora sit, iucundaq; laudatio, eructetur ex corde, vt ex plena affectibus sanctis, & sublimibus sensibus anima cũ vehementia, & fragrantia cantus edatur. Repleatur itaque sinus cordis lectionibus sacris, meditationibus studiosis, actionibus pietatis, eaque omnia per-

percoquat caritas, custodiat fidelis memoria, iugis cogitatio versetur, tum flagrantissimi existent affectus, atque os ex abundantia cordis loquetur; eritq; sacrificium pingue, & holocaustum medullatum. Tales laudatores quærit Deus, qui laudent eum ex viscerum plenitudine cum iubilo, & exultatione. Idcirco orabat Propheta, *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Psal. 62.

Vtilitas perfectæ Dei laudis.

Qui sic laudat, & talem laudat, eructat verba & dicit opera. Verbū enim opus est. Non euanescit in auras tinnientis cymbali strepitus: sed in auribus Dei personat in æternū. Qui adulatorio carmine, qui prophano, & obscœno, qui fabuloso, & vano, ambitioni, vel auaritiæ, vel immūditiæ canunt, non opera condunt, sed operam perdunt, & animam. Vide tuum ingenium cui laboret, cui tua sudet industria. Illum lauda, cuius ex laude merces non fallax manet, imo quem laudasse est merces, imo qui se ipsum laudantibus dat mercedem.

Dicant (inquit Dauid) cui volunt sua poëmata, panegyricos suos Vates alij, atq; Cantores, dico ego opera mea Regi: illi Regi, qui supra adulationem est: illi Regi, quem, cum extulero quantū potuero, nunquam tamen prædicauero satis: illi Regi, à quo, & mentem, & vocem accepi, & omnia: quem cum confessus fuero vilis homūcio coram hominibus absona voce, ille Mat. 10.

diuinissima voce sua coram Angelis Dei, & coram Patre suo confitebitur me: qui laude sua cor meum, & os meum purificat, infrenat, & ditat. *Repleatur* ergo (Rex optime) cor meum, & *os meum laude tua, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* Fiat lingua mea in manibus tuis calamus scribæ velociter scribentis.

Isa 48. Psal. 70.

Sane cum redundat cor, necessarius est calamus celeriter scribens, vt cogitata assequatur. In laude Domini vtrumque curandum. Nam ex toto, plenoque corde fundenda laus, & ore promenda impigre, strenueque. Sed cur lingua calamus, cum scribat calamus, non sonet? An quia & cantabat Propheta, & scribebat? An quia sic pronunciabat, vt scriberet, non in membranis mortuis, & papyro, sed in tabulis cordis carnalibus, primum suis deinde audientium? Talis profecto lingua est, quæ pleni cordis ministra est. Non tantum aërem verberat, & fugacia verba fundit, sed imprimit, inscribitque in corde dicentis, & audientis. Quæ enim ex corde exeunt verba, ad cor redeunt, ad cor penetrant: quæ in ore formantur, in aure pereunt: Calamus erat lingua Pauli Apostoli, cuius Epistola Corinthij, per eius ministerium scripta, non atramento sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus scicbatur, & legebatur ab omnibus. Calamus, & Magni Nazianzeni, dum

Quomodo lingua calamus.

2. Cor. 3.

Orat. 1. in Pascha.

ni, dum præbiturum se profitetur populo sermones, quos expetebant, ac sermones quidem non temere, & in aërem fluentes, nec vltra audientium aures se se porrigentes, sed quos Spiritus describit, tabulisque lapideis, siue carneis imprimit, non leuiter, ac superficie tenus insculptos, facileque delebiles; sed altissime consignatos non atramento, sed spiritu.

Sit ergo calamus lingua, sit & Scribæ velociter scribentis. Ad scribendum celeriter idoneus calamus satis non est, sed tamē necessarius est: alioqui retardabit scribentem nisi leuis, nisi cōmode temperatus sit, nisi manui apte cohærens. Lingua tua calamus tuus. Sit igitur leuis ad laudes Dei, resectis quæcunque superfluunt, quæcunque inutilia sunt, quę calamum grauant, & impediunt scribentem. Sit commode temperata cultro mortificationis, hinc atque hinc recisa crassitudine passionum. Apte cohæreat manui Spiritus sancti, & Superioris à Spiritu sancto impositi. Versari, duci, trahiq; se pro eius arbitrio sinat; memor se non scribam, sed calamum. O beatam linguam, quæ calamus est Scribæ diuini. O felicem calamum in manu Spiritus sancti. Quam mira, quam multa, quam permanentia exarabit? Quis non miratur scripturam excellentis antiquarij? Sed linguam bonam, ac piam, & mansuetam, & solum scientem Dei laudes resonare, ad

Conditiones boni calami.

easque expeditam, promptam, celerem quis non miratur? quis non amat? non laudat? lingua hæc Angelorum, lingua hæc ex igneis illis, quæ venerunt è cœlo.

Aff. 2. Huiusmodi linguam Deus meus, Verbum bonum, & omne bonum, dona mihi bene sonantem laudes tuas, vt placeant verba mea semper in conspectu Principis, id est, tuo, quem creaturarum omnium linguæ collaudant.

Argumentum, & summa totius Psalmi.

Iam ergo eructans Propheta ex cordè, ex plenitudine, & cibo, quo saginatus erat, cuius & odorem redolet, & linguam Scriptori Spiritui sancto, quasi velocem calamum accomodans, & opera, & carmina sua non cuiuis, sed Regi, id est, Regum Regi pronuntians, & concinens laudat sponsum.

Capita vnde laudatur Christus sponsus.

1 A Pulchritudine, & specie. Speciosus forma præ filijs hominum.

2 Ab eloquentia, & suauitate dicendi. Diffusa est gratia in labijs tuis.

3 A singulari benedictione, quam à Deo Patre accepit. Propterea benedixit te Deus in æternum.

4 A virtute bellica, & pugnandi peritia. Accingere gladio tuo.

5 A prosperitate, & felicitate regnandi.

Inten-

Intende, prospere procede, & regna.

6 A virtutibus Rege dignis, & arte, & modo regnandi. Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam.

7 A potentia propria, qua sola nullius auxilio victor regnabit. Et deducet te mirabiliter dextera tua.

8 Ab armis, & modo pugnandi. Sagittæ tuæ acutæ: populi sub te cadent: in corda inimicorum Regis.

9 Ab excellentia regalis throni, quo sedet vt Deus Dei filius. Sed tua Deus.

10 A regni perpetuitate. In sæculum sæculi.

11 A rectitudine gubernationis. Virga dirigendi virga regni tui.

12 Ab vnctione mirifica, qua præ omnibus hominibus vnctus fuit, & oleo non quocunque, sed lætitiæ. Propterea vnxit te Deus.

13 A fragrantia, & delicijs vestimentorum. Myrrha, & gutta, & casia. Sed quoniam hæc vestimenta communicantur filiabus Regum; & ipsæ vicissim suo odore, & ornatu sponsum delectant, additur.

14 Ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo. In laudem enim gloriæ gratiæ ipsius hæc omnia recidunt.

15 A pulchritudine, & ornatu Sponsæ carissimæ, quam sibi formauit, & adsci-

uit sociam. Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.

15 Licet per modum exhortationis, propheticè narrat & hanc gloriam Sponsi, quod abstractam Sponsam à patrijs sordibus, ex ignobilitate, ac fœditate talem reddiderit, vt concupisceret decorē eius non quilibet sponsus, sed
17 Dominus Deus tuus. Et adorabunt eum.

18 A muneribus, & obsequijs eius magnitudini etiam à Tyro, & alienigenis exhibitis. Et filiæ Tyri in muneribus.

19 A pulchritudine rursus Sponsæ, & à gratia impetrandi, quam habet apud Regem Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

20 Ab interno cultu, & pulchritudine Sponsæ, quod sponsis alijs non est datum. Possunt quippe extrinsecus ornari, intrinsecus non possunt.

21 A coniunctione mirabili, & arctissima cum Sponso. Nec enim otiosum est quod additur. Omnis gloria eius filiæ Regis, vt ostendat, & sponsam esse, & filiam, quia reliquerat Patrem antiquum, & domum eius.

22 Ab excellentia Sponsæ, quæ & alias Christo Sponso adducit in templum, vel palatium eius in lætitia, & exultatione.

23 A fœ-

23 A fœcunditate, & excellentia prolis. Nam & plurimi filij sunt, & principes super omnem terram.

24 A perpetuitate honoris, & famæ, quæ non intercidat, vt in ceteris Regibus. Memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem

25 Ab æternitate laudis. Nam & in hac vita perpetuo sunt, qui Sponsum laudant, & in æterna laus erit tota actio.

Hæ sunt Sponsi dulcissimi laudes, quibus se ipsum laudat, cum è sancto Spiritu Psaltes loquatur. Neque enim hoc potest dici Deo (inquit Augustinus) quod dictum est homini. Non te laudet os tuum. Vt enim se homo laudet, arrogantia est: vt Deus se laudet, misericordia est. Prodest amare, quem laudamus. Bonum amando nos meliores efficimur. Itaque quoniam hoc nobis prodesse nouit, vt amemus eum, laudando se, amabilem se facit. Etenim in eo nobis consulit, quia se amabilem facit. Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus, ait S. Gregorius, quis audiens non concupiscit? quis intendens non inardescit? Fidelis quippe anima quæque quò dulciora, & ampliora de Redemptore suo audit, eò ardentius inhiat, & manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens, Quo abijt Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus & quæremus eum tecum?

Deus se laudat, vt nobis proposit. *Præfat. 4. Psal. 144.*

In Cant. c. 5. n fi.

3. Speciosus forma præ filijs hominum.

Pulchritudo Christi quanta. Ex virtutibus. Ex gratuitis donis. Ex vnione hypostatica.

QVis hanc speciositatem digne cogitet? Pulcher, pulcher fuisti habet codex Hebræus. Quis gratiam, caritatem, scientiarum plenitudinē, gratias gratis datas, potestatē miraculorum, gratiam capitis, per quam Hominum, & Angelorum constitutus est caput? Quis tremēdam illam vnionem hypostaticam, qua vnus & hominis, & Dei filius est, cuius splēdorem nec Cherubin, aut Seraphia intueri valent? Ex hac influxus omnes, ex hac virtutes, & merita, & dona, & excellentiæ, & coniunctio cum Deo procedit, vt simus vnum: ex hac ipsa Dei visio, & regnum æternum. O influentiam superadmirabilem, ô pulchritudinem inexcogitabilem. Omnis plenitudo in illo inhabitat, non sicut in ceteris. Et quidem in corpore est sensus, sed non sicut in capite ait S. Augustinus. Et subdit: An etiam præter hoc, quod tanquam in templo, in illo corpore inhabitat omnis plenitudo diuinitatis, est aliud, quod interst inter illud Caput, & cuiuslibet membri excellentiam? Est plane: quod singulari quadā susceptione hominis illius vna facta est persona cum Verbo. De nullo enim Sanctorū dici potuit, aut poterit, aut potest, Verbum caro factum est, &c. Nec sufficit ad gloriam, & pulchritudinem caput esse hominum, est & Angelorum, quod pulchre idem

Coloss. 1.

Epist. 57. prope fin.

Quod caput est hominū, & Angelorum.

Pater,

Pater, in illa verba psalmi, *Inuior fui, et enim serui*, ita describit. Omnes, qui ab initio seculi fuerunt Iusti, Christum habent. Illum enim venturum esse crediderunt, quem nos venisse iam credimus: & in eius fide & ipsi sanati sunt, in cuius & nos. Vt esset & ipse totum caput Ciuitatis Hierusalē, omnibus cōnumeratis Fidelibus ab initio vsq; in finem, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorum, vt fiat illa vna Ciuitas sub vno Rege, & vna quædam Prouincia sub vno Imperatore, felix in perpetua pace, & salute; laudans Deum sine fine: beata sine fine. Sed meditare attentius quæ de hac pulchritudine Apostolus ad Ephesios ca. 1. & 4. ad Colossenses ca. 1. & magnificentius c. 2. pronuntiat. Vide & sancti Ambrosij Epist. 16. ad Irenæum, qua summam epistolæ ad Ephesios plena maiestatis oratione complectitur. Hæc pulchritudo Sponsam excitat, vt non semel pulchrum appellet dilectum, sed pulchrum, & decorum, eminentiam decoris illa repetitione designans (inquit S. Bernardus) aut certè in vtraque Christi substantia dignum expressit omni admiratione decorem, in altera naturę (id est in diuina) in altera (id est humana) gratiæ. Et subdit. Quam pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splēdor, & figura substantiæ Patris, & quidem perpe-

Conc. 3. in Psal. 36.

Serm. in Cant. 45.

tuus,

tuus, minimeque fucatus candor vitæ æternæ. Quam mihi decorus es Domine mi, in ipsa tui huius positione decoris. Vide pulcherrima.

Ex nominibus, quibus vocatur ab Isa. c. 9.

Potes & pulchritudinis magnitudinem ex nominibus conijcere, quibus ab Isaia vocatur. *Vocabitur*, inquit, *nomen eius, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis*. Meditare singula.

Admirabilis. quam multis titulis, quam altis operibus, quam stupendis adinuentionibus?

Consiliarius. & hoc quam multa continet? siue in consilijs super filios hominum: siue in administratione, & œconomia salutis, & directionis nostræ: siue in inspirationibus; & sapientiæ, ac prudentiæ luminibus nobis infundendis, vt puerilitatem nostram erudiat, & dirigat?

Deus. Hic caligant oculi, & Cherubin, atque Seraphin demittunt alas.

Fortis. qualis apparuit siue in hostibus glorioſe debellandis: siue cum hanc suam fortitudinem per suam infirmitatem exercet: siue cum nimiam infirmitatem nostram ad fortissima quæque corroborat, & brachia nihili, vt arcum æreum ponit, ad dura pro amato perferenda, ad ardua tam prompte, & facile aggredienda: per quem credentibus datur, ait S. Leo, virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.

S. Leo ser. 8. de pass.

Pater

Pater futuri seculi. O quanta, quam pulchra, quam sublimia hoc nomine claudūtur! Quale seculum! seculum aureum, admirabile, dulce: in quo non in spiritu seruitutis, non sub onere premente legis; sed in spiritu amoris, & libertatis Domino seruiatur, non gemitu, & iugo, ac prementibus oneribus, sed in lætitia, & exultatione; in quo filij nihil terrenū, nihil humile, vt præmiū in hac vita expetant; sed ex amore seruiant, cælestia expectent; vt cælestes viuant. *Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Sed si tales filij exules, quid in patria, ô Pater futuri seculi? *Isa. 61.*

Princeps pacis. Iam de pace cum Deo, cum Angelis, de pace nobiscum, & interna ordinatione affectuum, &c quis dicat? Ipse est pax nostra, ipse pacis autor, qui inimicitias in semetipso interfecit. Quanta pulchritudine intellectus pacis interiorem mentium pulsat auditum? Sed de pace illa in æternitate quis digne cogitet, cū etiam in hac vita pax Dei expueret omnē sensum? *Epheſ. 2.* *Philip. 4.*

Ceterum si de pulchritudine, qua in forma Dei excellit, caligans oculus vespertilionis aliquid subobscure, vel palpitans intueri potest, vide, quæ Dionysius Areopagita de bono, lumine, fine, pulchro, amore, ecstasi, zelo differit de d. no. c. 4. de ente c. 5. Vita c. 6. Sapientia c. 7. Virtute, Iustitia, Salute, Redemptione c. 8. de Omnip. c. 10. de pa-

de pace 11. de Sancto Sanctorum, Rege Regum, Domino Dominantium, & per totum librum illum diuine tradit.

Pulchritudo Christi ex descriptione Can. 5.

Sed quoniam dulcissime Sponsa dilectũ suum dissimilibus similitudinibus in Cantico describit amoris, videamus quo modo illum per partes nobis adumbret. *Dilectus meus*, inquit, *candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurum optimum. Comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Venter eius eburneus, distinctus sapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt Libani Electus vt cedri. Guttur illius suauissimum: & totus desiderabilis: talis est dilectus meus.*

Candidus & rubicundus. Isa. c 18.

Dilectus meus candidus, & rubicundus. Vel candidus, id est clarus, serenus, purus, vt lux solis. Clarus est, in diuina natura: rubicundus in humana ob sanguinem Passionis. Vel candidus, & purus etiam in humana ob sanctitatem, & insignem puritatem, qui non solum nihil contraxerit maculæ, sed purgationem etiam fecerit peccatorum.

Electus ex

Elect⁹ ex millibus, id est, inter myriades Homi-

Hominum, & Angelorum, præ omnibus eminentior in decore. Electus in Hebræa voce significātius vexillatus, id est, qui vexillum portat inter myriades, id est, insigniter excellit, & eminet: quod diceremus Italice, porta la bandiera. millibus.

Caput eius aurum optimum. Si caput Christi Deus, recte caput Sponsi aurum optimum, quia homo Deus. Huius autem optimi auri pretium, pulchritudinem, splēdorem cogita si potes. Non est (inquit) dilectus meus, & Sponsus meus Christus Iesus vnus aliquis è Sanctis, sed Deus homo. Caput eius aurum optimum. Inclina oculos à fulgore, cerne, vt potes, in coruscatione, & transitu: munda oculos, vt quomodo potes, saltem coniectati, potius, quam spectati, vt S. Bernardus loquitur, similitudinem videas. Caput aurum optimū. 1. Cor. 11. *Serm. 18. in Can.*

Huius capitis comæ, Angeli scilicet, & Sancti quique; qui illud ornant, & ab illo potius ornantur, si summam capitis puritatem consideres, nigræ sunt, velut coruus. Qualis est enim cuiuscunque creaturæ speciositas ad illam ineffabilem, & inaspectabilem speciositatem! Nigræ etiam per humilitatem, & reputatione suę vilitatis: nigrę per corpus mortis huius: nigrę de exercitationis interne quasi bellico puluere, vel puluerulento sudore, vt ait S. Paulinus: nigræ, vt ait S. Bernardus, pœnitentiæ compassione, persecutionibus, zelo iustitiæ Comę nigræ. *Epist. 4. ad Sever. S. Ber ser. 28. Cant.*

ignita

ignita caritate fraterna, languore desiderij, comparatione splendoris Sponsi. Vide

Oculi sicut Columbæ.

Oculi eius sicut columbæ, quę lacte sunt lotę. Columbis comparantur oculi Sponsi, quia puri, casti, simplices, formosi: siue quia in omnibus Patris gloriam, nostramq; salutem intendebant Est enim intentio oculus. siue quia oculi, quibus vigilat super nos, & custodit suos, intenti semper, & aperti, simplices sunt, & mundi. *Super lapidē vnum septem oculi*, ait Zacharias, super Christum multiformis sapientia, scientia, vigil cura, aspectus amoris O oculi vt columbæ, nec qualiscunque, sed quæ residet iuxta fluenta plenissima, id est, gratiarum Spiritus sancti. Hic considerandæ aliqua, quæ præstat aspectus, & visus Sponsi, ex quo deriuantur in nos mirabilia dona, vnde merito oculi, & columbæ iuxta fluenta plenissima esse dicuntur. Lacte lotæ dicūtur, id est, candidissimæ, & mundissimæ, veluti lac. Sicut & in Iob. *Si lotus fuero quasi aquis niuis* Non tamen horum oculorum Sponsi pulchritudinem hac sola similitudine, quæ à Sponsa affertur scriptura adūbrat: sunt & alia sparsa in sacris literis, quę eorum varijs similitudinibus signant splēdorem. Aliquando in Apocalypsi flammæ ignis assimiliantur ob splendorem, & ardorem. O oculos verè ignitos, qūi si vel frigidissima pectora aspiciant, omni glacie resoluta ardere faciant; ita vt & aquæ iuxta Isa-

Zach 3.

Iob. c. 9.

Sicut flāma ignis.

Apoc. c. 1.

ta Isaiæ vaticinium ardeant igne. Aliquãdo assimiliantur vino, quo pulchriores asseruntur in benedictione Iudæ: quæ Patribus fere omnibus consentientibus, de Christo Domino est. Dicuntur autem pulchriores vino ob nitorem, & hilaritatem, & quia cor lætificant, & inebriant. Pulchre D. Augustinus [fulgere (sic enim legit) oculos eius à vino, illa in corpore eius mẽbra cognoscunt, quibus donatum est sancta quadam ebrietate abalienatę mentis à subalternantibus temporibus cælestis sapientiæ lumen contueri] Meditare diligentius S. Augustini verba, quibus docemur experientia potius, quam sciẽtia hunc fulgorem oculorum, & hanc pulchritudinem esse quærendam. Nam in membris Christi illa hoc vident, & experiuntur, quę ipsius dono acceperunt, & sanctam quandam ebrietatem, & alienationem mentis à terrenis; & oculorum aciem, atque puritatẽ, qua sapientiæ æternæ lumen conspiciant. Vere dulcia, & meditatu digniſſima.

Isa. c. 64.

Vino pulcriores.

Gen. c. 49.

S. August.

Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs. Per genas, quoniam ex facie cognoscitur vir, & in ijs sapientia lucet; ac verecundia, & modestia splendet; exteriores Christi Domini actiones, quibus apparebat, intelligo. Hæ itaque erant sicut areolæ aromatum ob decentissimam dispositionem, cum nihil haberent inordinatum, nihil distortum, nihil ex passionibus

Genæ sicut areolę aromatum.

bus proueniens. Areolæ sunt aromatum propter fragrantiam. Nec à quocumque odoriferæ illæ, & aromaticæ herbulæ quomodocunque, aut fortuito seminatæ, aut plantatæ, sed consitæ à peritis opificibus, nempe à pigmentarijs, quia Spiritus sanctus omnes illas Sponsi actiones moderabatur, & disponebat. Talis artifex, talis manus, talis plantatio. O vtinam & dispositionem hanc, & fragrantiam anima mea circumspicias, ac sentias semper, vt confundaris de actionibus tuis, & ad imitationem accingaris. Vide, & ingemisce.

Labia lilia stillantia Myrrham primam.

Labia eius lilia stillantia myrrham primam, id est, electã, perfectissimam, insigni odore fragrantem. In lilijs, si colorem spectes, puritatem: si odorem, suauitatem: si aureas intus virgulas, diuinitatem intellige. Perinde est igitur, ac si dicat, Verba, quę Spõsus meus profert omni candore, ac puritate cõspicua sunt, omnimodis odoribus, ac suauitatibus referta: denique qualia esse decet, quæ ab homine Deo proferuntur, simul habentia candorem, & iucunditatem amœnissimam à lilijs, simul salubritatem mirificam, & vim arcendæ corruptionis à Myrrha. Vt merito Apostolus Petrus dicat, *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes.* De quo Lucas refert, Cum in Synagoga doceret in Nazareth, *omnium in Synagoga oculi erant intendentes in eum, & omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in ver-*

Ioan. c. 6.

Luc. c. 4.

in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. Sed de gratia labiorum plenius meditaberis in illa Epithalamij verba, Diffusa est gratia in labijs tuis.

Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis. Manus, id est, opera Sponsi sine tortuositate, asperitate, lacunis, & angulis, sed quasi torno elaborata. Perfectissima quippe vndecunq; fuerunt in omnibus. Aureæ ob perfectionem caritatis, vel latētis Deitatis. Plenæ hyacinthis, quia cælestes omnino, & vt Sancti appellant, Theādricæ, id est, Dei viriles. Sunt præterea tornatiles, quia expeditissimæ manus ad omnia opera pro voluntate facienda: quia mira facilitate, quę voluit, operatus est signa, & prodigia, sanitates, & omnia. Sed excellentiori modo non ea, quæ videbantur tantum, sed Satanæ debellationem, animarum salutem, dona gratiarum, virtutes, Martyrū fortitudinē, & innumera huiusmodi tornatiles manus eius operatæ sunt: præsertim verò, vt quidā ait, cū eas crudelissimis clauis in vitæ ligno perforatas ostendit. O qualia tunc operatus est. Clauī illi, ait S. Leo, qui manus Domini, pedesq; transfoderant, perpetuis Diabolum fixere vulneribus, & Sanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio potestatum. Denique *magna opera Domini, exquisita*, id est, elaborata, & tornata *in omnes voluntates eius. Et omnia, quæcunque voluit*

Manus tornatiles.

Aureæ.

Plenæ hyacinthis.

S. Leo ser. 10. de Pas.

Psal. 110.

Psal. 134. *voluit Dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*: & omnia bona valde, quia bene omnia fecit.

Venter eburneus.

Venter eius eburneus distinctus sapphiris. Per ventrem, quæ mollior, & infirmior pars est, carnem intelligunt Patres: ac si dicat. Ipsa eius caro, & humanitas distincta sapphiris, id est, cœlestibus signis, & virtutibus est. Non ita carnem aspectibus humanis obiecit, vt non etiam diuinitatis fulgore, & gemmis resperserit. Cerne si libet in præsepi iacentem, vagientem, lacrymātem, tenerum, imbecillum, pannis vilissimis, & fascijs astrictum, eundemque simul Angelos, simul stellas destinantem ad Pastores, ad Reges: & cœlestis militiæ choros laudes ei, & hymnos, & gloriam in excelsis Deo melliflue cantantes. Vilis in pannis, pretiosus in stellis. Magos aduocat noui syderis ductu, excitat, perducit, aspicit, excipit. Quid putandum vidisse illos in puero sic iacente? Infans foris tacet, intus eos alloquitur. Quæ verba Iesu bone in aurem cordis eorum instillabas? quæ mysteria reuelabas? quibus affectibus mulcebas, ne tāti itineris laborem se perdidisse putarent? Manifestatur absconditus, & qua voluit mensura se manifestat. Duodecim annos natus manifestat se inter Doctores. Verba sapientiæ mirantur, quid nisi sapphiros in ventre? Manifestatur in flumine: subijcit se baptismo, & spiritum in columbæ spe-

cie,

cie, atque à Patre testimonium accipit. Aperti sunt cœli, vox intonuit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. O quales gemmæ, quales Sapphiri! Manifestatur & in nuptijs: mutat naturas: fit vinum optimum aqua. Quid multa? radiant per totam vitam gemmæ Deitatis. Remittuntur peccata, conferuntur sanitates, fugantur Dæmonia, redditur mortuis vita. Sed & in ipsa eius morte, quid hac infirmius, aut ignobilius? pendet in Cruce, & terram concutit. Laceratur clauis, & saxa scindit. Deridetur, & subsannatur, & solem obscurat. Blasphemant impij, sed luget cœlum. Sic nimirum semper, & vbique in infirmitate Maiestas elucet: quam tanto veneremur humilius, quanto amplectimur humiliorem, experimur nostri amantiorem. Inuestiga diuitias, adora paupertatem, conquire vndique pretiositatem, sinu excipe vtilitatem. Denique vt ait S. Hieronymus, fulgor ipse, & Maiestas diuinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu.

Mat. 3. *Luc. 3.* *Ioan. 2.*

Lib. 1. in Matth.

Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Crura, columnę ob pulchritudinem, & stabilitatem: marmoreæ ob candorem. Misericordiã in his, & iudicium accipiamus: quarum alteram spes, alteram timor amplectitur. Vel misericordiam, & veritatem. Et quidem v-

Crura columnæ marmoreæ.

Bern. Ser. 6 Can. *Psal. 24.*

niuersæ viæ Domini huiusmodi sunt: sunt & promissiones, quæ fundãtur super bases aureas, ipsa nimirũ certitudine, & firmitate incommutabilis Deitatis. Considera quas promissiones acceperis, vbi fundatas. Quàm pretiosa remissio peccatorũ! quàm suauis mutatio morum! quàm dulcis communicatio animorum! quam mellita coniunctio amorum! quam denique inexcogitabilis eminentia præmiorum! Hæ sunt misericordia, & veritas: hæc crura firma, & omni stabilitate inconcussa, quia fundantur super bases aureas. Nituntur enim diuinæ veritati, quæ fallere, aut falli non potest. In Christo autem dulcissimo Sponso firmitas omnis nostræ expectationis, & diuinæ promissionis locata est. Quotquot enim promissiones Dei sunt, ait Apostolus, in illo est. Meditare profundius, percurre quæ, & quot promissa sunt, quæ & quot exhibita. Ab illo petendo (ait S. Augustinus) non eris vacuus, tuum confitendo non eris ingratus. O latitudinem.

Super bases aureas.

2. Cor. 1.

Species eius vt Libani, electus vt Cedri. Propter eminẽtiam super ceteros montes, propter candorem, quod Libanon sonat, vel thus, & fragrantiam, & diuinitatem. Electus vero vt cedri, ob altitudinem, odorem, & imputribilitatem, quæ eò magis in electissimo Sponso miranda sunt, amanda, eructanda, quo etiam membris suis ex abundantia suæ diffusionis compertit.

Species vt Libani.

Electus vt Cedri.

Guttur

Guttur illius suauissimum, vel significantius ex Hebræo, in abstracto, suauitates. Sunt, qui intelligant ob dulcedinem vocis: vt sit repetitio eius, quod iam dixerat, Labia illius lilia stillantia. Et hoc verissimum est. Sed vt sit noua laus, noua perfectio, accipiamus hoc loco non vt vocis instrumẽtum, sed vt alimentorum canalem. Igitur guttur erit, quo nos quasi cibum sibi incorporat. De qua re plurib. infra differemus. Interim mihi dulce sapit accipere hic guttur Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum. Illo enim nos in se traijcit, & incorporat. Audi ipsum clamantem: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo. O traiectionem per guttur totius suauitatis fontem. O incorporationem, O transformationem, vt merito post tot laudes, & præconia concludatur vno verbo, Et totus desiderabilis. Et significãtius ex Hebræo, Et totus ipse desideria, siue concupiscentiæ. Verbum Hebræum, vnde nomen, significat appetere tanquam vtile, dulce, iucundum, pretiosum. Et Aggæi secundo vocatur idẽ Dominus hoc eodem nomine, Et veniet appetibilis, vel desideratus cunctis gentibus. Quid non appetibile, quid non dulce, quid non sublime, & excellens in illo? Verè totus desideria, totus concupiscentiæ. Meditare, & satage, vt gustes; & sitias ipsum vitæ fontem, vnde inebrieris.

Guttur suauissimum.

Ioan. 6.

Et totus desiderabilis.

3 Diffusa est gratia in labijs tuis.

Suauitas Verborũ Sponsi.

ERat quidem etiam cum esset in hac vita mortali, gratia diffusa in labijs eius, vt dictum est. Sed considerandum profundius quot, quibusque modis gratia diffusa sit in labijs & verbis eius. Docet enim nos in Spiritu Verbum Sponsus, docet intrinsecus: & verba illius iuxta Scripturam

Pro. 16. fauus mellis, dulcedo animæ, sanitas ossium. Perpende singula. Fauus mellis, quid suauius? Dulcedo animæ, quid appetibilius? Sanitas ossium quid salubrius, quid restauratiuum magis? Cum enim loquitur intrinsecus animæ, replet eam dulcedine: viuificat, confirmat, & roborat ad agẽdum, siue luctetur cum hoste, siue ardua pro

Ser. 32. in Cant. sponsi gloria aggrediatur. An aliud tibi, ait Bernardus, vel pati, vel petere videtur quæ dicit, Dormitauit anima mea præ tædio, confirma me in verbis tuis? Etiam fa-

Ser. 31. cundus comes (inquit) qui in sermonum suauitate suorum, tãquam in quadam suaueolentia spirantium vnguentorum post se currere faciat vniuersos. Videnda in vtroque sermone pulcherrima. Dulcissime et-

Ser. 6. in Psal. 118. iam Ambrosius [Anima iusti sponsa est Verbi. Hæc si desideret, si cupiat, si oret, & oret assiduo, & oret sine vlla disceptatione, & tota intendat in Verbum, subito vocem sibi videtur eius audire, quem non videt: & intimo sensu odorẽ diuinitatis eius

agno-

agnoscit. Quod patiuntur plerumque qui bene credunt. Replentur subito nares animæ spirituali gratia, & sentit sibi præsentiæ eius flatum aspirare, quem quærit, & dicit: Ecce, iste est, quem requiro; ipse, quem desidero.] Quam verò consolentur, & sustentent, & viuificēt animam voces Sponsi, idē Sanctus Doctor Ambrosio plane ore exequitur sermone sequenti: quæ vt ad meditandum prompta sint, non pigebit adscribere. Humiliatur enim (inquit) anima nostra, dum traditur tentatori duris examinanda laboribus, vt luctetur, & exerceat, congressum contrariæ experiens potestatis. Sed in his tentationibus viuificatur alloquio Dei. Hæc est enim animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur, & pascitur, & gubernatur. Nec quicquam est aliud, quod viuere faciat rationabilem animam, quàm alloquium Dei. Sicut enim augetur sermo Dei in anima nostra dum suscipitur, dum intelligitur, dum comprehenditur, ita etiā vita eius augetur. Et quemadmodum è cōtrario alloquium Dei deficit in anima nostra, ita & incurrit eius vita defectum. Itaq; vt connexio ista animæ, & corporis nostri spiritu vitali animatur, atque alitur, & tenetur; ita verbo Dei, & spirituali gratia anima nostra viuificatur. Vnde omni genere studere debemus, vt reliqua omnia posthabentes cōgregemus nobis alloquia Dei, & congeramus in principale nostrum, in

Alloquia Dei vita animæ.

Ser. 7. in Psal. 118.

sensus, in solicitudines, considerationes, actusque nostros, vt alloquijs Scripturarum facta nostra conueniant, nec à serie præceptorum cælestium actus noster discordare videatur, quo possimus & nos dicere, Quoniam eloquium tuum viuificauit nos.] Nec verò solum has voces Spon us habet, sed multis animam, variisq; modis alloquitur. Siquidem aliquando reprehendit, ac corripit: aliquando instruit, & docet: aliquãdo amatoria, & blanda loquitur: aliquãndo promissis vel præsentium auxiliorum, vel futurorum bonorum excitat, & accendit. Sed siue his siue alijs multis modis, vt solet, animam alloquatur, semper certè labia omni gratia diffusa manifestantur. Semper gratia omnis per labia ipsa diffunditur.

Multipliciter Verbum alloquitur animam.

Et mirum videri potest quomodo etiam reprehendens, atq; corripiẽs diffusis gratia labijs loquatur. Et tamen sic est, & sic experitur, & profitetur quisquis experitur quã dulciter correptione cõmendat nos Deus. [Nam quis est, ait S. Bernardus, quem in hoc seculo commendat Deus? Quomodo commendauit veritas eum, qui adhuc reprehensibilis inuenitur? Denique ego, inquit, quos amo, arguo, & castigo. Hæccine commendatio est tota? Prorsus, quantum mihi videtur, ipsa est. Quæ est enim melior, & efficacior commendatio, quam diuinæ erga nos testatio caritatis? Testimo-

Primum increpãdo.

Ser. de 11. apost. qui gloriatur.

nium

nium verò amoris eius nullum certius in hac vita, quã quod desiderat Propheta vbi ait: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me. Hæc namque increpatio, qua iugiter nobis suggerit in occulto spiritus veritatis quid desit nobis, superbiam, negligentiam, ingratitudinẽ repellit. Hæc Bernardus. Facit autem hac increpatione Sponsus in gratia labiorum, vt anima agnoscens suam fœditatem, suamque immunditiam, quæ illius munditiæ contemperari non potest, omnino de se diffidat: sese vsque ad nihil humiliet. Et tamen occultis modis in suam sapientiam illã Sponsus erigit: sic humiliat, vt attollat: vt cum omnia illius ossa marcescant, ipsa fortitudinem in sponso suo mutet: ex humilitate ad maiora se dona disponat: ex cognitione paupertatis in preces, atque orationes prorumpat; & quo pauperiorem se videt, eo ad agendum deinceps solicitius, fortiusque tota super dilectum suum innixa consurgat; vt iuxta Scripturam in laboribus laboret sibi, & vim faciat perditioni suæ.

Psal. 140.

Pro. 16. iuxta 70.

Porrò de instructione, ac doctrina quãta meditari licet! quomodo vias suas, vias (inquam) pulchras ostendit! Quibus medijs, quibus gradibus, ad quæ perfectionis culmina ascendendum: quanta sit virtutũ pulchritudo, & amabilitas: quanta in peccatis, & negligentijs fœditas: quanta in

Cass. col. 24. c 26. Secundo instituẽdo, & docendo.

Pro 3. tepiditate non paupertas tantum, & mendicitas, sed præcipitiorum occasio. Quid suauitatem gustus sapientię impediat: quid contra palatum exacuat, & erigat: quę animam ipsam à Dilecto vel retrahant, vel elongent, quæ contra applicent, & agglutinent: vt ab eo tanquam ab annulo cera ad Dei formam, similitudinemque signetur: in quo veram prudentiam positam esse docet S. Augustinus, & innumera huiusmodi.

Aug epis. 52.

Tertio blandiendo.

In Cant. passim.

Iam verò de blandis, & amatorijs verbis, quæ gratiam in labijs diffusam testentur, vberrimus aperitur campus, sed ijs, qui voces eas digni habiti sunt audire. Vt vocetur anima pulchra, formosa, soror, dilecta, columba, speciosa, electa, amica, sponsa, & quæ huiusmodi sunt innumeræ, quæ blandientem resonant, voces. Nunc inuitat in hortos, nunc ad cellaria, nunc ostendit diuitias gloriæ, nunc fiduciam instillat, secreta pandens, solicitudinem spondens, nunc læua sub capite mulcens, nunc dextera amplexans. Denique si aures cordis apud illum sic blandientem apertæ sint, mira sunt, quæ audit, intelligit, experitur.

Quarto promittendo.

Isa. 41.

Promissiones verò quam dulciter sapiunt? quã magnificè erigunt? Et in præsenti quidem, [Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera Iusti mei. Ego Dominus Deus

tuus

tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi ne timeas, Ego posui te quasi plaustrum triturans, &c.] De futuro vero, vbi ego sum, & ipsa eris. Videbis claritatem meam, quam mihi Pater dedit, percipies regnum, sine fine me frueris: mutaberis in me tota transformata, vt sis mecum vnum. Et quæ sunt alia magnificè ab eo promissa in vita, quæ nunc est, & futura. Hic licet spatiosissimè pasci siue ingrediaris, siue egrediaris. O pascua, ô riuos! *Ioan. 17.*

Ceterum diffusa est gratia in labijs eius plane modo incomparabili, nimirum cùm loquitur ad Patrem de nobis bona. Si enim Caleb ad suspirium, & vocem filiæ dedit ei irriguum superius, & irriguum inferius, quid negare tali filio, & sic dilecto poterit Pater, quem & exauditum scimus pro sua reuerentia? Hic Patri dilectus, in quo sibi cõplacuit, omnia quæ pro nobis fecit, pertulit, passus est, repræsentat: sed & nunc ad dexteram, vt appareat vultui eius, & interpellet pro nobis. O quales voces! qualis gratia! expende, & rumina. Nihil negandum puta, quod ad eius gloriam, & tuam vtilitatem pertineat. Habemus fiduciam, habemus Pontificem, habemus aduocatum, habemus Ancoram tutam, ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introijt. Quis diffidat? quis desperet? Gratia in labijs Christi alloquẽtis Patrẽ pro nobis. *Iudic. c. 1. Mat. 3. & alibi. Rom. 8. Heb. 9. Heb. 6.*

Sed & alio plane dulcissimo pacto gra- Diffundi-

Cur gratia à Christi labijs in labia nostra.

tia diffusa est in labijs illius, quia ex diffusione gratiæ eius etiam in os nostrum redundat, vt iam audeamus & ip loqui cum Patre, miscere colloquia, petere petitiones, laudes cantare, hymnum gloriæ eius resonare, cum Angelorum choris miscere voces, cantica modulari. Et in his omnibus diffusa est ex labijs eius in labia nostra mirifica gratia; vt iam audiat, quæ eiusmodi

Cant. 2. & 4.

est Sponsa, Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora: &, Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Quid ni dulce eloquium ab labijs coccineis immaculati Agni sanguine purpurantibus? O magnificentiam, ô diffusionē. Quæ labia? id est, hominis, vermiculi, & vix

Pro. 22.

vlnius momenti: qua gratia repleta sunt? Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum Regem. Quanti in vno verbo thesauri? Habebit amicum, magnum est; Regem, sublime est. At quem amicum? & quem Regem? inscrutabile est, Regem Regū, in quo thesauri omnes, opes superbæ, & gloria: illum habere amicum, & amicum ex gratia labiorum filij vnici, dilecti, vnde in nos diffunditur, quanta dignitas? quanta felicitas?

Benedixit te Deus in æternum.

Benedictio Spō-

O Benedictionem æternis benedictionibus celebrandam. O benedictionē, vnde

vnde omnes benedicuntur, eandemq; omnium fontem benedictionum, ac finem. Non enim ad mensuram dedit Deus filio benedictionem; quia nec ad mensuram dedit spiritum. Pater, inquit Baptista, diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Requieuit quippe super eum omnis fons Spiritus sancti. Benedictus ergo, ait Bernardus, in odore, benedictus in sapore, benedictus in specie. Perpende singula, & lege eo loco Bernardum. Plane odor filij huius, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Ex benedictione odor, sapor, & species: vt pulcher visu, & suauis ad vescendum, non phantasticè, non ad decipiendum vti fructus ille occasio maledictionis; sed plane solidè, & eminenter appareat. De hoc sanè verius, quam de Ioseph, qui figura, & vmbra erat, illud accipio, Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus Abysi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ. Certè nemo his benedictionibus vberius, excellentiusque cumulatus est.

si quam immen-sa.

Ioan. 3.

Hom 3. super Missus.

Gen. 27.

Gen. 3.

Gen. 49.

Benedicitur enim in Cœlis, vbi omnia possidet, vtpote cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra, Benedicitur à Ciuib. patriæ illius æternis benedictionibus. An non benedicunt, qui cantant, Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & honorem, & gloriam, & benedictionem? Cui &

Benedicitur, ponsus benedictionibus Cœli;

Mat. 28.

Apoc. 5.

Psal. 88. De Ciuit. l. vlt ca. vlt. cantant, Misericordias Domini in æternum cantabo? Quo cantico, vt ait Augustinus, in laudem gloriæ gratiæ Christi, cuius sanguine liberati sumus, nihil erit profecto illi iucundius Ciuitati. Huic cantant, Redemisti nos Deo in sanguine tuo: & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes. Denique nouum canticum est Ioanni, quia mortales nunquam simile audierunt: nouum cœlestibus spiritibus, quia nunquam eo satiantur. Innouant laudes, & benedictiones semper nouas, semper antiquas. Alleluia cantant Deo, alleluia & Agno. Sed hæc intenta potius aure audienda sunt, curandumque ne perstrepat mundus.

Apoc. 5.

Et benedictionibus abyssi. Zach. 9.

Cogita, si potes quid sit, Benedictionibus Abyssi. Sane & cum visitarentur in Limbo Patres, benedixerunt eum, qui eduxit eos de lacu, in quo non erat aqua, qui in sanguine testamenti sui emisit illos. Benedicunt & animæ, quæ in Purgatorijs locis degunt, dum eum considerant meruisse, vt ipsæ etiam post hanc vitam purgari à contagione possent. Laudant pœnarum mitigatorem: laudant in medijs flammis consolatorem: benedicunt aspectum iucundissimum faciei suæ promittentem, ad quam ardentissime anhelant.

Benedictionibus vberum.

Benedictionibus vberum, & fœcunditatis. Quis Apostolorum, & Magistrorum, ac Patrum replet vbera, vt lacte pinguescant? compassionem, & consolationem exhi-

exhibeant, nisi ipse? Quis fœcunditatem Ecclesiæ talem præstat? Ecce quam multa prole fœcundatur ex benedictione benedicti huius. In illo enim omnes gentes, & tribus terræ benedictæ sunt; & benedictiones omnes ab illo. Qui benedixit nos ait Apostolus in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. Sed sequitur Iacob. *Genes. 12. Act. 3. Ephes. 1.*

Benedictiones Patris tui cõfortatæ sunt benedictionibus Patrũ eius, donec veniret desiderium collium æternorum. Fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. Verè benedictiones omnes in capite eius factæ sunt, confortatæ sunt, & sublimiores factæ præ benedictionibus Patrum. Propter quem benedicti & Patres. O Nazaræum inter fratres, super fratres, propter fratres. Quis sanctior fonte sanctitatis? Plane Nazaræus, separatus, & excelsior ceteris factus vitæ puritate, donorum largitate, coronę, & diadematis maiestate. Super ipsum (inquit) efflorebit sanctificatio mea, Hebraicè corona sanctitatis, & regni. Ex capite benedictionis vnguenta, quę defluant, non in barbam solùm, sed in oram vestimenti, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion, id est Ecclesiam: in quam mandauit Dominus ex hoc capite benedictionem, & vitam vsque in seculum. Currite gentes: ecce completum est in Sponso, quod antea fuerat non fallaci promissione

Benedictionibus omnibus. *Gen. 49.* *Psal. 131.* *Psal. 132.*

Psal. 64. prophetatum, Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. Annus benignitatis aduẽtus Christi: in quo benignitas, & humanitas effusa est. Corona anni perfectio ipsa & consummatio: corona decoris, corona abundantiæ, corona gloriæ. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. In Hebreo significantius, & rotæ, vel orbitæ tuæ stillabunt pinguedinem. Vt vbicunque curru secundo vehitur, stillet pinguedinem, eam nimirum, qua repleri animam suam cupiebat Psalmista. Vtinam & anima mea saginaretur illa, vt fieret in me, & quod sequitur, Et labijs exultationis laudabit os meũ.

Psal. 62.

4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

Post speciem, & gratiam labiorum agitur de virtute bellica, Quia Spõsa erat primo liberanda, deinde custodienda.

IAm incipit narrare aliam laudem, à virtute, fortitudine, pugnandi præstantia. Sed mirum videri poterit ferè initio epithalamij, post gratiam labiorũ, & pulchritudinem, quę suauitatem redolent, & amabilitatem, repẽte in gladium, & bella prorumpere. Considerandum hic agi de Spõsa, quam Rex sibi elegit, & adsciuit, vt ad regale Diadema, & consortium Regni proueheret. Hæc autem Sponsa captiua erat, & misera seruitute ab hostibus ferocissimis premebatur. Hanc ergo vt eriperet, gladio, bello, & fortitudine multa opus erat. O rem admirabilem, ô mysterium incom-

pre-

prehensibile. Talem Christus elegit Sponsam captiuam, oppressam, rebellem, alienam, auersam, infirmam. Ita ne? Opus habuit gladio illa Maiestas, cui subest, cum voluerit, posse? prorsus ita. Nam vincendi erant hostes, ipsa liberanda, adducenda ad Sponsum vinculis caritatis, amoris cuspide saucianda: custodienda deinde ob maximam & eius imbecillitatem, & impugnantium improbitatem.

In femore humanitatis gladius diuinitatis.

Accingitur autem gladio, sed super femur, id est, super humanitatem, & carnem, quæ femore designatur. Nam miro modo per carnem, per infirmitatem, per passiones & pugnauit, & vicit.

Isa. c. 27.

At quali gladio? dicat Isaias. In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leuiathan serpentem vectem: & super Leuiathan serpentē tortuosum: & occidet Cetum, qui in mari est.] Vt merito Vinea meri, quæ est Ecclesia, in die illa (vt subiungit) cantet ei cantica liberationis, & laudis, epinicia pro victoria, quia contritis hostibus liberata est, & exaltata. Qualis igitur gladius est? gladius Deitatis: vt teterrimus hostis, dum capit, capiatur: dum irruit, ruat: dum persequitur mortalem, incidat in Saluatorem. Horum autem hostium tam immanis fuit strages, tam augusta de ijs victoria, vt merito triumphatori, Cœli, terra, inferi collętentur. Sic etenim suam Christus consum-

S. Leo ser. 9 de Pas.

Victoriæ Christi excellentia.

mauit

mauit virtutem, vt in ipso, & per ipsum omnes, qui in eum crederent, triumpharēt. De quo singulari, diuinoque triumpho sic Apostolus. Et expolians principatus, & potestates traduxit confidenter (id est, exemplum, & spectaculum fecit omnibus, vt derisui essent, & ostentui) palam triumphans illos in semetipso. Quis enumeret fusos hostes? sublatos sacrilegorum nidores sacrificiorum, muta reddita Dæmonum oracula, vbiq; erectos Christi victoris titulos, domitum orbem non ferro, sed ligno, expulsos Dæmones ad hominum infirmorum voces, solo signo victricis Crucis vel incredulos, & Iudæos malignis spiritibus incussisse timorem: Sanctorum Martyrum cineres inuictis olim aëreis potestatibus intolerandos fuisse: in Insulis, quæ longè sunt, Crucis adorata mysteria: denique Tyrannos, & Dominatores Orbis Spiritales Nequitias etiam armillis Christi, vt est in Iob, id est, infirmis quibusque membris eius fuisse deiectas?

Coloss. 2.

Iob. 04.

Victus Dæmon gladio diuinitatis: victa Sponsa gladio caritatis.

Sed quoniam Sponsa, seu anima quæque liberari ab hoste non poterat, quamdiu à Sponsa auersa similitudinem peruersæ voluntatis captiuantiū non relinquebat, non potestatis solū gladio aduersus Dæmones, sed alterius generis gladio erga captiuam erat agendum, gladio (inquam) amoris: quousq; ad intima cordis eius pertingente, vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus, com-

compagum quoque, ac medullarum, relictis hostibus ad sponsum tota rediret. Forti omnino cuspide opus erat, vt penetraret in cor eius. Dabis eis, inquit Ieremias Domino, scutum cordis, laborem tuum. Dare autem dicitur non emolliendo. Duritia quippe cordis scutum est impenetrabile: quod labor tuus, id est, Domini, vocatur, quia in eo maxime laborauit, vt amore in intima penetraret. An non laborauit? Nec in omni mundi fabrica tantum fatigationis auctor assumpsit. Nec mirũ, inquit Bernardus, si libenter inhabitat Cœlum hoc Dominus Iesus, quod vtique non quomodo ceteros, dixit tantum vt fieret, sed pugnauit, vt acquireret; occubuit, vt redimeret.] Et re vera eadem Passione, qua hostes vicit, vulnerauit & Sponsam. Quid enim efficacius ad amorem? Quid penetrabilius? Illabitur fortiter, & placidè in medullas, & modis omnibus mundi, ac sui ipsius amorem validissimè extundens, in Sponsum transfert. Nam obstabat cœcitas, qua Deum minimè cognoscebamus: Passio autem Christi potenter illuminat. Obstabat mundi, & creaturarum amor, qui occupat, & capit: sed quid fortius expellit omnem mundi, & rerum eius amorem, quam Christi Passio? Obstabat paupertas, & nuditas, ne ad eum accederemus: sed quid ditius thesauris ininuestigabilibus sanguinis Christi? Obstabat deiectio, vilitas, & humilitas

Ier. Tr. 3.

Serm 27. in Cant.

Eadem passione, qua Spõsus hostes vicit, vulnerauit & Sponsam.

litas noſtra: ſed quid altius prouehit? vt merito S. Auguſtinus exclamarit. O medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia neceſſaria cuſtodientem, omnia perdita reparantem, omnia deprauata corrigentem. Quis iam ſe extollet contra filium Dei? Quis de ſe deſperet, pro quo tã humilis eſſe voluit filius Dei? Quis beatam vitã eſſe arbitretur in ijs, quæ cõtemnenda eſſe docuit filius Dei?] & cetera, quæ diuinitus proſequitur. Sed & S. Bernardus dulciſsime. Quid enim faciat conſiderata tanta, & tam indebita miſeratio, tam gratuita & ſic probata dilectio, tã inopinata dignatio, tam inuicta manſuetudo, tam ſtupenda dulcedo? Quid, inquã, hæc omnia faciãt, niſi vt cõſiderantis animam ab omni penitus prauo vindicatam amore ad ſe mirabiliter rapiant, vehemẽter afficiant, faciantq; præ ſe contemnere quicquid niſi in contẽptũ horum appeti non poteſt? Nimirum proinde in odore vnguẽtorum horũ Sponſa currit alacriter, amat ardenter, & parũ ſibi amare ſic amata videtur, etiam cum ſe tota in amore perſtrinxerit. Nec immerito. Quid magnũ enim tanto, & tanti repẽſatur amori, ſi puluis exiguus totum ſe ad redamandum collegerit, quẽ illa nimirum Maieſtas in amore præueniẽs, tota in opus ſalutis eius intenta conſpicitur?] Perpendo

De Agone Chr. c. 11.

Tract. de dilig. Deo.

omnia

omnia. Denique id mihi Psalmista postulare videtur cum ait: Vre Domine renes meos, & cor meum, quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua. Misericordiam per excellentiam, & eminentiam super alias omnes, opus Passionis intelligo. Inter omnia enim opera misericordiæ Dei, quę ab initio saluti sunt impensa mortalium, nihil est mirabilius, nihilque sublimius, quàm quod pro mundo crucifixus est Christus. Ergo qui semper ob oculos hanc excellẽtem misericordiam habet toto corde, & cor, & renes, id est, animam totam, & cõcupiscentias carnis, corpusq; totum diuino amoris igne cremari postulat: & complacet sibi, atque suaui quadam pace quiescit, ac placidè delectatur in veritate non solum exhibitionis tantæ rei, quam creberrima sponsione per os Sanctorũ, qui à seculo sunt, Prophetarum, spoponderat Deus; sed etiã in veritate, quam suo tempore exhibendam non dubitat de pollicitationibus regni: vt nimirum & floribus nunc fulciatur, & malis, vt amore langueſcens tandẽ fructibus dulcissimis Crucis Christi potiatur in patria.

Psal. 25.

Misericordia Dei per excellentiã opus Passionis.

S. Leo ser. 3. de Pas.

Iam verò per potentiam ab hostibus captiuatoribus liberata, per amorẽ in thalamum adducta, nequaquam omnino secura est, sed diligẽti custodia tum propter summam infirmitatem, & mutabilitatem, tum ob inimicorum implacabile odium, impugnatio-

Quomodo Sponsa custodiatur.

gnationemque perpetuam, per iugem protectionem seruanda, & custodienda est. Rapitur enim mox, & miserè perit, nisi fulmẽta manus suę suppositerit Sponsus, nisi vallauerit eam per circuitum. Proinde lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt omnes tenẽtes gladium, & ad bella doctissimi propter timores nocturnos. O summã nostram fragilitatẽ! ô summam ęquè Sponsi clementiam! Adhibet custodes Angelos, qui nos ambiant, qui animam, in qua ipse requieſcit, vigili custodia seruent. Propter timores autem nocturnos (sumus enim in tenebris, versamur inter hostes, quotidie de vita periclitamur) Angelis suis mandauit de nobis. Quis, quibus, de quo? ait S. Bernardus, Deus, Angelis, de nobis. Magna fiducia. Sed quid, si addas, quod & ipse ad custodiam nostri gladio accinctus est? Denique non solum ab hostibus ipse custodit: sed nec ab amicis aliquãdo patitur inquietari. Adiuro vos, ait, Filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis Dilectam donec ipsa velit. Magna plane, & ambienda custodia. Olim Cherub flammeum, atque versatilem habentem gladium ante Paradisum ad custodiã ligni vitæ collocauit, iustè id quidem; sed ad hominem arcendum. Nunc verò ipsum lignum veræ vitæ Christum in Paradiso cordis Sponsæ locauit: ibique non ad arcendum, sed ad seruandum illi perpetuo esum vitalis arboris, in quo

Cant. 3.

Ser. 17. in Psal. Qui habitat.

Cant. 8.

in quo vita ipsa consistit, Spiritum scientiæ cum gladio versatili, ardentique locauit, amorem scilicet ardentem in corde constituens ne contingat Christum amittere. O pietatem, ô amorem! Cauta esto Anima: fructum hunc vitæ custodi cælesti scientia. Amoris gladium perpetuo vibra; custodi tibi Christum. Denique omnia profunde, omnia perde, ne ipsum perdas. Vide autem tu quo te vsque prouexerit, vt fortem te esse contra hostes faciat: nec solū ab illis tuta sis, sed eos persequaris, & vincas. Eo triumphatoris victoria excreuit. Ipsa olim captiua, ipsa infirma, ipsa nihili de hoste triumphas. Persequar, ait anima sancta, inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar, donec deficiant. Et cōminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. Hæc victoria Christi Dei mei, hæc Sponsę fortitudo, hęc gloria. Fugatur enim Amalec, & deletur, sed manus Solij Domini est, virtus magnitudinis, & excelsæ Maiestatis illius. Pugnat Iosue, sed manibus Mosis orantis in monte victoria deputatur. Extendit in Caluariæ mōte sublimior Moses manus suas, & vincit Israel. Trade, inquit, Deus hoc auribus Iosue, nempe vt sciat alium pugnare, & alium vincere: & intelligat mysterium. Ipse Iesus Sponsus in nobis & pugnat, & vincit. Et qui pro nobis, ait Cyprianus, semel vicit, semper vincit in nobis. Merito bellum Domi-

Non solum custoditur Sponsa, sed & ipsa pugnat, ac vincit.

Psal. 17.

Exod. 17.

Ibid.

Ep. 9 edi. Pamm.

Domini nuncupatur, meritò altare erigitur à victore, & vocatur illius nomen altaris, non fortitudo manus meæ, non robur brachiorum meorum, sed Dominus exaltatio mea. Intelligat hoc anima vt grata sit, & humilis: quo omnia in autorem cum gratiarum actione referat.

Exod 17.

5. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.

FVturam prophetiam, & Regni progressum per exhortationem, ad faustam precationem ex magnitudine, & vehementia desiderij pronuntiat. Dicit autem vel superioribus connectens, quasi per appositionem, gladium, quo vicit, speciem esse, & pulchritudinem, vel sequentibus iungens, quod in idem recidit, specie, & pulchritudine regnaturum.

Intendere autem est sibi viam facere, pergere in victoria, quod de Alexandro dicit Scriptura. Pertransijt vsque ad fines terræ, & siluit terra in conspectu eius: ita facilem, & felicem ac prosperum successum habuit.

1. Mac. 1.

Prosperè procede. S. Hieronymus, Prospere ascende, more scilicet regio, & triūphali vel super equum, vel super quadrigam. Qui ascendes, ait Abacuc, super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio. Quam autem

Abac. 3.

autem prospero successu perrexerit in victoria, vel vnus Paulus docet, qui cùm esset Scenofactoriæ artis, ignobilis, abiectus, & humanis planè destitutus auxilijs, in tantum virtute progressus est, quemadmodum Chrysostomus notat, vt vix triginta annorum spatio, & Romanos, & Persas, & Parthos, & Medos, & Indos, & Scythas, & AEthiopes, & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus humanum genus sub iugum mitteret veritatis. *Ho. 4. de laud. S. Pau.*

Et regna. De Regno autem Christi Sponsi, quinque meditanda occurrunt. De regno Christi considerandà quinque.

Primum, Modus illud comparandi.

2 Amplitudo Regni.

3 Duratio.

4 Finis.

5 Modus regnandi. Et hoc dupliciter. Primò per amorem. Secundò faciendo eos Reges, in quibus regnat. O nouam omnino regnandi rationem! O regnum prorsus incomparabile! O Regem omni admiratione, & acceptione digniſsimum.

1 Modus acquirendi Regni inexcogitabilis erat, vt per Passionem, Crucem, & mortem pararet regnum: despectus glorificaretur, victus vinceret, regnaret occisus: & conferretur etiã homini gloria per contumeliam, incorruptio per suppliciũ, vita per mortem. Sed ex huiusmodi triumpho & illud euenit, vt per homines contemptibiles, indoctos, timidos, humanis præsidijs omni- 1. Mirus modus, quo regnum acquiritur. *S. Leo ser. 19. de Pas.*

omnibus destitutos subiecerit mundum, non in humanæ sapientiæ verbis, sed in
1 Cor. 1. ostensione spiritus, & virtutis; per stultitiam prædicationis, qui eum, quem Deum prædicabant, simul persuaderent crucifixū. Ea dicerent, quæ carni, & desiderijs humanis aduersentur: crucifigendas concupiscētias docerent, amplectendam humilitatem: fugienda, quæ Mundus magni æstimat, & toto impetu amplectitur: pro ijs non modo à populis, sed à Principibus, & Regibus extrema quæque sustinerent, ignes, Cruces, bestias. Omnia denique contra se Diaboli inuenta non contemnerent solum, & riderent, sed ardentissimè appeterent. Vnde Beatus Andreas, cuius hodie triumphum celebramus, quàm lætus exclamat, O bona Crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini suscepisti! Quam fidenter! Amator tui semper fui, & desiderauí amplecti te! Quam supplex, & anxius! Ne patiaris me Domine ab impio Iudice deponi, quia virtutem sanctę Crucis agnoui.

2. Amplitudo regni Christi.

2. Amplitudo vero Regni quanta est! Non enim, vt terrenus ille Salomon à Dan vsque Bersabee definitum habuit regnum: sed dominabitur, inquit Dauid, à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident AEthiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent. Reges Arabum, & Saba dona adducent.

3 Reg. 9. Psal. 71.

Et ado-

Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei. Sed & Isaias. Propter hoc in doctrinis glorificate Deum, & in Insulis maris nomen Domini Dei nostri. A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam Iusti. Et rursum. Laudate cœli, quoniam fecit Dominus. Iubilate extrema terræ. Idem & AEgypti nomine mysticè mūdum intelligens. Erit, inquit, altare Domino in medio AEgypti, & titulus iuxta terminum eius. O altare; ô titulum. Offertur Domino in omni loco Hostia munda, sed & corda fidelium altare Domino facta sunt, sicut Augustinus, & Gregorius docent. Ille quidem. Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum. Hîc vero, Altare Dei est cor nostrum, in quo iubeter ignis semper ardere. Titulus vero quàm eximius! quàm admirabilis! quia inscriptum est in nobis nomen Christi nouum. Est nomen quidem æternum, Sū qui sum, & Qui est, quia solus verè est. At nomen nouum, quod os Domini nominauit, IESVS est. Faciam, ait, columnam in templo Dei mei. Nam & si perfecta inscriptio in columna, quæ non egredietur, aut mouebitur amplius, in Cœlo erit, sicut & perfecta Dei possessio, qua nos possidet; tamen etiam in hac vita inscribitur ijs, qui eius sunt, nomen I E S V, & titulus possessionis. Scribam, ait, super eum nomen Dei mei, & nomen Ciuitatis Dei

Isai. 24.

Isai. 44.

Aug. de Ciu. l. 10. c. 4

Greg. mo. l. 25. c. 27.

Apoc. 3.

Exod. 3.

mei nouæ Hierusalem. Quia ad eam patriam pertinet, in quam conscriptus est ciuis. Et nomen meum nouum. Quibus autem literis exciditur in hac felici columna nomen hoc admirabile! quis explicet, quis intelligat? Scio autem non insculpi nisi ab ipsomet Domino artifice, qui columnam & statuit, & expoliuit, & inscripsit. Salomon in Templo, Christus in Ecclesia: ille duas, hic innumeras. Ille Iachin', & Booz, hic firmitatem, & fortitudinem: sed ille per artifices, hic per se & dolauit, & posuit. Amoris scalpellum, & ferramenta in igne fornacis amoris sui igniuit, & emollijt: in aqua, & sanguine lateris temperauit: in cote Crucis suæ exacuit. Ipsam iam columnam plũbo pœnarum suarum perpoliuit, spiritus dulcedine lucidam reddidit. O qualem titulum. Et quo loco! Anima sic parata, & sic ornata, & hoc nomine insignita in medio Aegypti mundi huius. Sed parum est in terra regnare, etiam in inferiores partes terræ vt regnator intrauit. Penetrabo, inquit, omnes inferiores partes terræ: & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Id quidem præstitit, quando in Inferno suos visitauit. Et nunc regnat in cœlo, in terra, subtus terram. Vt in nomine IESV omne genu flectatur Cælestium, Terrestrium, & Infernorum: & habeat in vestimento, &

L. 3. Reg. c. 7.

Eccl. 24. in fin.

Philip. 2.

in

in femore suo scriptum litteris incomprehensibilibus, Rex Regum, & Dominus dominantium: & omnis lingua confiteatur, quia Dilectus in gloria est Dei Patris. *Apoc. 19.*

3 De Regni eius duratione plenæ sunt Scripturæ, & promissio Angelidiserte asserit: Regnabit (inquit) in domo Iacob in æternū, & regni eius non erit finis. Et Daniel: Dedit (inquit) ei, haud dubium quin Deus Pater, potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, & tribus, & linguę ipsi seruient. Potestas eius potestas æterna, & regnum eius, quod non corrumpetur. Et item cum lapis ille abscissus de monte sine manibus contriuisset statuam illam magnā & multiplicem, creuissetque in montē magnum, Suscitabit, inquit, Deus cæli regnū, quod in æternum non dissipabitur, & ipsū stabit in æternum. Nēc mirum. Cessant enim omnia, quæ regno possunt finē afferre. Nam nec hostes fortiores timendi sunt. Quisenim illo fortior? Qui non populorū, & regni viribus, sed proprijs & pugnat, & vincit: imò suos, & pugnare facit, & vincere, in quibus & ipse singulis magis, & pugnat, & vincit: Nec rebellio timēda est regni. Subditi enim sunt illi populi vel volētes, & amantes, quò nihil dulciùs: vel etiā nolentes, qui eius imperium effugere, aut excutere nequeunt. An mors, quæ etiam potentissimos, & pacificè possidētes Reges regno spoliat, Regem hunc nostrū spolia- *3 Duratio regni Christi. Luc. 1. Dan. c. 7. Dan. c. 2.*

Rom. 6. 1. Cor. 15. Apoc. 21. re posit? At resurgens ex mortuis iam nō moritur, mors illi vltra non dominabitur. Quin & nouissima inimica destruetur mors, & vltra non erit. Ac per hoc felices, qui sunt in regno eius, quia nec ipsi turbabuntur. Meminerint autem regnare illum in domo Iacob, vt iuxta S. Bernardum, supplantēt ipsi vitia, & concupiscentias.

Homil. 4. sup. Missus est.

4. Quis propositus finis regno Christi. Isai. 9. In Io. 17. 51.

4. Finis autem regnandi ita supereminens, ita suauis est, vt excogitari nihil dulcius possit. Quid enim est, Super soliū Dauid, & super regnum eius sedebit! Ad quid! vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodo, & vsque in sempiternum. Non enim Rex Christus, inquit Augustinus, ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed Rex Israel, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum Cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat. Vnde & turbæ procedentes obuiam cum palmis, & victoria, sancto Spiritu docente, de hoc regno mirābiliter exclamāt: Benedictum, quod venit regnum Patris nostri Dauid: pax in cælo, & gloria in excelsis. Sed quis finem hunc regnandi melius, dulciusue, quàm ipse idem Rex explicauit? Ego veni (inquit) vt vitam habeant, & abundantius habeant. Et alibi. Tunc iusti fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum. Et ego dispono vobis, sicut

Matt. 11. Luc. 19. Ioan. 10. Matt. 13. Luc. 22.

ficut disposuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo : & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israel. Et dilectus discipulus, In hoc apparuit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli. Et Carissimi nunc filij Dei sumus : & nondum apparuit quid erimus : scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Itaque & in hac vita dulcissimum est esse in Christi regno, imo regnare cum ipso per caritatem, obedientiam, dulcem adhæsionem : & in alia, in qua regnabunt Iusti, & sedebunt cum eo, facie ad faciem illum videntes. Tale regnum exuperat omnem sensum : vt merito hoc regnandi genus præuidentes Prophetæ sancti, nihil aliud optauerint, nihil frequentiùs orando clamauerint. Innumeræ sunt voces Christum expetentes. Percurre in Scripturis, Ceterùm desiderij ardorem ob necessitates, & vtilitates huius aduẽtus, & regni, illa maximè protestãtur, quod nunc Christus IESVS meus, desiderium Collium æternorum, nunc Desideratus cunctis gentibus, vel Desideria omnium gentium, quod magis vim explicat, appellatur. Sic enim Aggæus. Et veniet Desideratus cunctis gentibus.

Ioan. ep. 1. c. 3.

Gen. 49.

Agg. c. 2.

Quomodo Christus cunctis Gentibus desideratus.

Sed mirum est, quomodo potuerit cunctis gentibus desiderari, qui à cunctis nec cognoscebatur, nec sperabatur : nec desi-

derari non expectatus, aut nō cognitus poterat. Erant quidem nonnulli maximè in populo, & in gente Prophetarum, qui reuelante, & promittente spiritu intelligerent futuram per ipsum Christum redemptionem: sed quid hoc ad omnes gentes? Premebātur misera Diaboli seruitute, passionum rebellione, & carnis impugnatione vexabantur: de malis in mala volutati, & adiuncti parti eorum, qui peccauerāt, Angelorum, luebant transgressionis suæ dignissimas pœnas, & tandem morte deuorati omnes ad mortem secundam grauiorē vrgebantur. Sed quæ remedia quærerent, qui nec morbos agnoscebant? &, si in morbis solatium aliquod optarent, quo modo ab eo peterent, quem & offendebant quotidie, & ignorabant? ac non potius, si qua in afflictionibus, quas pœnali experientia agnoscebant, medicina optaretur, desperatione à petendo cessarent? Quod si maximè vellent, quis tandem non dico petere, sed nec cogitatione fingere, aut mente concipere posset talem redemptionis modum? vt Deus ipse offensus ad inimicos veniret, qui quotidie iniurijs eum lacessebant: viuebant vt bestiæ, alienati à vita Dei per ignorā iam, quæ erat in illis, propter cœcitatem cordis eorū, vt ait Apostolus, nec finem suum agnoscebant, nec autorem? Et tamen desiderabant, sicut terra desiderat imbrem, sicut nubes, & cæli exaudiunt eam

Ephes. 4.

non

nō clamātē desiderio, sed necessitate. Anima mea (inquit) sicut terra sine aqua tibi: & Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum: Itaque & mens iniqua, quæ premebat etiam non aspirantes ad vitam Dei, quam nec haberi posse putabant, ad eam certè vt necessariā appetendam vrgebat, velut informis materia formā appetit, & tenebræ lucē: & necessitates quoque innumeræ, quæ miseros fatigabant, quasi importunis clamoribus interpellabant: & nescientes, ac tacentes, & gementes, ac mutos ipsa desperatione, & necessitate, pijs demùm aspectibus repræsentabāt: atque ita desiderasse dicuntur, quibus sine remedio indigebant: quo pacto desideratus Saluator dicitur cunctis gētibus. Quis enim si nosset posse se per talem Redēptorem ab ijs omnibus liberari, nō totis visceribus clamaret, Veni desiderate, veni Redēptor, veni, veni, noli tardare? Eripe, libera, redime, pasce, defende, dita, orna, decora, sana, viuifica, exalta, glorifica. Et tacebant ergo, & clamabant. Clamabant necessitate, tacebant affectu: desiderabāt, & nō desiderabāt: desiderabāt inopia sine desiderio: & nō desiderabāt, quia necsperare, nec scire poterāt. Quis ergo dignè tanti sacramēti diuitias gloriæ prædicet, quis vel dignè miretur? Talis enim erat totius humani generis massa, vt nō solū ex indignitate medicinam, aut veniā non mereretur, sed neque in quibus

Psal. 62.

Iob 37.

iaceret morbis nosset, nisi lux fidei illuminaret: neque à quo petenda esset salus, nisi ipse se ostenderet: neque ad eum accedere aut auderet, aut valeret, nisi ipse traheret. Hoc est ergò magnum illud pietatis sacra-
1. Tim. 3. mentum, Deus manifestatus in carne. Hoc est quod misericordiam, & misericordiam multam nimis prædicat, Sic itaque regnat Christus meus, & ita regnat, & vbique regnat, & ad hoc regnat, vt saluet, vt
Psal. 144. viuificet, vt de mortuis viuos faciat. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquẽtur. Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ regni tui. Regnum tuum, regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione, & generationem. Laudate nobiscum Angeli sancti, vel potius laudate pro nobis, quia mirabilia fecit
Psal. 105. Dominus. Quis loquetur potentias eius: auditas faciet omnes laudes eius? Quas exultationes, quas gratiarum actiones, quas iubilationes parturit in huiuscemodi cor deuotum! Da mihi Domine cor dignum tantis mysterijs & recensendis, & gustandis.

4 Modus quo Christus regnat.

5 De modo autem regnandi illud mirabile est, vt supra omnem sensum suaue; quod amore regnare vult. Hoc regno delectatur, vt amore possideat. Nam cui regnum

gnum alioqui naturale est super omnia, nec quisquam eius dominium declinare potest (sunt enim eo ipso quòd sunt, possessio eius) cui Cherubim demittunt alas suas, quem Seraphim perpetuò laudant; quid causæ habuit, vt homo fieret, & regnaret, nisi quia hoc amoris regno delectatur? Cur tam indigna, duraque in Passione sustinuit, nisi vt amorem nostrum accendens, regnaret in nobis? Caro factus est, vt hominem in suum amorem transferret. Hanc Bernardus arbitratur præcipuam inuisibili Deo fuisse causam, quòd voluit in carne videri, & cum hominibus homo conuersari. Quæ hoc sacramentum mens comprehendere, inquit S. Leo, quæ hanc gratiam valeat lingua narrare? Redit in innocentiam iniquitas; & in nouitatem vetustas, & in adoptionem veniunt alieni, & in hæreditatem ingrediuntur extranei. De impijs iusti, de auaris benigni, de incontinentibus casti, de terrenis incipiũt esse cælestes. Quæ autem est ista mutatio, nisi dexteræ excelsi? Quoniam venit filius Dei dissoluere opera Diaboli, & ita se nobis, nos quoque inseruit sibi, vt Dei ad humana descensio fieret hominis ad diuina prouectio.] Iam de Passione quid aliud cogitandum, quàm quòd D. Bernardus ait, Plane fideles norunt quàm omnino necessariũ habeant Iesum, & hunc Crucifixum, dum admirantes, & amplexantes

Ser. 20. in Cant.

Ser. 7. de Nat.

De dilig. Deo.

ſupereminentem ſciētiæ caritatem in ipſo, id vel tantillum, quod ſunt in tantæ dilectioni, vel dignationis vicē non repēdere confundūtur.] Vides quàm verè dixerit S. Auguſtinus, qui dixit. Attendit (ſcilicet Chriſtus) per retia carnis, & blāditus eſt, & inſiāmauit; & cucurrimus poſt odorē eius. Ecce quomodo regnat Chriſtus in nobis amore, dū amore nos poſsidet, quo anima cò vſque poſsidetur, vt deficiat à ſe ipſa, & tota fiat Sponſi, cum quo vnus ſpiritus efficitur. Quia vt S. Ambroſius egregiè ait, ſpiritui adhærēs anima deficit ab eo, quod eſt anima, & fit ſpiritus: quoniam qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt cum eo, illum concupiſcit, illum deſiderat: in illum totis intendit viribus, illum gremio mētis fouet, illi ſe aperit, & effundit: & hoc ſolū veretur, ne illum poſsit amittere.

Conf. l. 13. c. 15.

Ser. 11. in Pſal. 118.

Sed iam & illud attentiſsimè perpendēdum, quod amore nos poſsidet, & eodē à nobis poſsidetur. Anima enim Deū amans & poſsidetur ab eo, & eadem illum amore poſsidet, vt meritò regnare dicatur, quæ tale regnum poſsideat, ideſt Deum. Ipſe hæreditas eius, ipſe poſſeſsio. An forte temere dicimus (inquit Auguſtinus) faciendo nobis Deum poſſeſsionem, cum ſit Dominus, cum ſit Creator? Non eſt iſta temeritas; affectus eſt deſiderij, & dulcedo ſpei. Dicat anima omnino ſecura, dicat, Deus meus es tu. Non faciet iniuriam cum hoc dixerit.

Chriſtus amore & poſsidet nos, & poſsidetur à nobis.

Aug. in Pſal. 32.

dixerit, imò faciet, si non dixerit. Dicat ergo, tu possessio mea, tu hæreditas mea: Ecce amãdo te tua sum, possessio tua sum: vicissimque cũ te amo, te teneo, te possideo. Beata gens hęreditate sua, ait idem sanctꝰ ibidẽ: beata hæreditas possessore suo. Beata, quæ Deum possideat; beata quod à Deo possideatur: quem tanto & amplius, & tutius possidebimus, quanto eundem amorem, quo eum possidemus, habere potuerimus puriorem. De hoc regno Apostolus ait. Non est Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. O quale regnum iustitia! quale pax! quale gaudium in Spiritu sancto! Hoc autem regnum possidebunt quidem Sãcti possessione perpetua, & imperturbabili, quando reuelata facie cognoscent, sicut cogniti sunt; & diligent, sicut dilecti, & toti inhærẽtes sũmo bono, summæ dilectioni, vnde & laudantes dicunt perpetuò. Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo & natione; & fecisti nos regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram. Sed & in hac vita adeo fortis est amor, vt regnare dicantur maxima eminentia, & dignitate. Vt non immerito S. Augustinꝰ illud Apostoli ad Romanos 8. explicans, Certus sum enim, quòd neque mors, neque vita &c. poterit nos separare à caritate Dei, quæ est in Christo IESV, dixerit. Non separat Angelus. Non

Rom. 14.

Apoc. 5

De mor. Eccl. c. 11. Io. 8.

enim est Angelus, cùm inhæremus Deo, nostra mente potentior: & toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo. Vide locum pulcherrimum. Memoria ergo semper cum gratiarum actione, fiducia, & firma fortitudine illud Apostoli retinẽdum. Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam, per quam seruiamus Deo placentes cum metu, & reuerentia.

Hebr. 12.

6 Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

Hæ sunt virtutes, quibus regnat. Primo veritas, quòd tribus modis intelligo.

Regnat Christus veritate triplicitèr.

1. Sine simulatione & fallacijs.

Primo, quia non artificijs, & technis, vt interdum Reges solent, vt populos in officio contineant: quos astu, simulatione, & dissimulatione & lucrantur, & retinent. Sæpe enim simulant bona, quæ non habent; dissimulant, quæ habent mala: vt, quoniam veritate non possunt, potentiam sibi, & maiestatem inani specie tueantur. At non ita Rex noster, qui de se ipso ait, Ego sum veritas. & item: Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Est enim talis, vt cognitus alliciat, visus vel per rimulas afficiat, & ad se rapiat. Adeo nulla indiget arte, vt regnet. Sed veritate ipsa, vbi se aperit, & ostendit, vehementissime allicit: & cum se illius Maiestas, quantum homini, dum

Io. 8.

terræ

terræ huius inhabitator est, sufficit, aperire cœperit, tantus in æstu ardor, tantum diuini amoris exurgit incendium, vt satis appareat, quàm diuinè dictum sit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur? In qua sui manifestatione simul & animam sibi ostendit, ita vt nouerit Sponsum, nouerit & se. Quo vbi intrauerit, & spiritus lumine se inuenerit, & agnouerit, quid non faciat gemina ista cognitio? Quomodo non totam animam in Sponsum, Regemque suum transferat? Quid enim fortius trahit, quàm reuelatus Christus, totus pulcher, & suauis, totus desiderabilis? Auditu auris audiui te, inquit Iob. Aliud est visus. Nunc autem oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere. Iure igitur cohortatur nos S. Ambrosius cùm ad Irenæum hæc scribit, Nos quantum possumus, intendamus illo animum, & in illo simus: illud animo teneamus, quod est pulchrum, decorum, bonum, vt fiat illuminatione eius, & fulgore speciosa anima nostra, & mens dilucida. Nam si oculi nostri cum aliqua obducuntur caligine, pascuntur agrorum viriditate; & specie nemoris, vel collis herbosi omnē inæqualitatem ægrescentis obtutus repellunt, & quadā salubri specie pupillæ ipsæ, atque orbes colorari videntur: quanto magis hic mētis oculus, cùm illud summum intuetur

Luc. 12.

Iob. 42.

Ambros. ep. 11.

bonum, & in eo versatur, atque eo pascitur splendescit, atque eniteat &c.

2. Per veritatē, nō per vmbram.

2 Quia gratia, & veritas per IESVM Christum facta est. Erat enim hæc in vmbra, erat in figura, sed adueniente regno Christi figura an veritatem, Prophetia in manifestationem, & lex in Euangeliū versa est: quæ, vt ait Apostolus, vmbram habebat futurorum bonorum, nō ipsam imaginem (idest veritatem) rerum. Recogita quàm multa dicta sunt, quæ ante præsentiam ipsius veritatis obscura, & clausa erāt. Verè tenebrosa aqua in nubib⁹, & prophetis. Sed veritas & manifestauit prophetias, & figuras impleuit: & ipsa signa, & sacramēta lucidiora, & salubriora facta sunt exhibentia salutem, quā promittentia Saluatorem. Cogita quam dulcia, & quam innumera de figuris licet meditari. Percurre aliqua: & ex figurarum magnificentia, ac maiestate conijce quid corpus, & ipsa res sit.

Heb. 10.

S. Leo ser. 14. de Pa.

3. Veritate promissionum.

3 De veritate promissionum. Hic verò latissimus, & lætissimus simul aperitur campus metēdæ non myrrhæ, sed dulcedini, & suauitati. Quam lætæ promissiones in aduentu regni Christi! quā frequentes, & magnifici in Scriptura vniuersa! Percurramus aliqua ad degustationem, seruātes ad ruminationem. Ecce ego, inquit, ipse requiram oues meas, & visitabo oues meas, & in pascuis vberrimis pascā eas, &c.

Cant. 5.

Ezech. 34.

Et

Et alibi: In brachio congregabit Agnos; & in sinu suo leuabit: fœtas ipse portabit. *Isa. 40.*

Item. Ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi. Ne timeas, Ego adiuui te. Noli timere vermis Iacob, qui mortui estis ex Israel: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus, & Redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia, triturabis montes, & cōminues: & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & ventus tollet, & dispergetur eos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israel lætaberis. *Isa. 41.*

Et rursum. Antequam clament, ego exaudiā: adhuc illis loquētibus ego audiā. *Isa. 65.*

Et iterū. Vt darem eis coronam pro cinere, oleū gaudij pro luctu: palliū laudis prospiritu mœroris. Quale & illud! Deleui vt nubē iniquitates meas, & quasi nebulā peccata tua. *Isa. 61.*

Et illud? Quomodo si cui Mater blādiatur, ita ego cōsolabor vos: & in Hierusalē consolabimini. Videbitis, & gaudebit cor vestrū, & ossa vestra quasi herba germinabunt. Et supraeodē capite. Ecce ego declinabo super eā quasi fluuiū pacis, & quasi torrentē inundātem gloriā gentium, quā fugetis: ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Lege totum dulcissimū caput. *Isa. 44.* *Isa. 66.*

Et: Præcipitabit mortē in sempiternum: & auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie. Vt non sine causa cùm de miserationibus Dei multis loqueretur Dauid, *Isa. 25.*

Psal. 85. uid, & diceret, Et tu Domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, addiderit, & verax. Quascunque enim misericordias promisit, veniens plenus gratia, & veritate cumulate compleuit.

2. Cor. 1. Vnde & Apostolus, In Dei filio Christo IESV ait non fuisse est, & non, sed tantum est. Et omnes promissiones Dei firmas, & immobiles in eo fuisse. Quotquot enim, inquit, promissiones Dei sunt, in illo est. Ideo & per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. Sicut ergo per ipsum factæ sunt promissiones, per ipsum impletæ, ita & per ipsum firmæ sunt, & immobiles: ideo & per ipsum, Amen Deo, ideſt dicimus veras, firmasque fuisse; hoc est enim Amen, ideſt stabile, verum, fixum. Dicimus autem hoc Deo ad gloriam nostram. Quid enim potest glorioſius esse, quàm vt veritatem, & fidelitatem Dei in Christo, & per Christū filium vtique Patris vnigenitum consecuti simus? Multa Reges terreni promittūt, quæ deinde vel nolunt, vel aliqua calamitate, vel demum ipsa morte impediti præstare

Psal. 49. non possunt. Propterea monet Dauid, Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus. Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Non ita Rex immortalis, qui veritate regnat, qui fidelis est in omnibus verbis suis: custodit veritatem in seculum: facit iudicium

iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus. Beatus igitur cuius spes in Domino Deo ipsius. Quid securius, ac beatius, quàm spe adeo benè, solideque fundata niti: quam posse cum Apostolo gloriari, Scio qui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare, in illũ diem. Atque hæc de veritate. 2. Tim. 1.

Iam de alia virtute, ideſt manſuetudine qua regnauit, ac regnat, quis digne recogitet? De cuius regno cùm Zacharias dixerit, Exulta satis filia Sion: iubila filia Hierusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator; ipse pauper. Hanc vocem maluit S. Euangelista Matthæus dicere, Venit tibi mansuetus. In mansuetudine enim singulari modo regnum semper exercuit. Audi clamantẽ, Discite à me, quia mitis sũ, & humilis corde. Erat enim verè pauper, & mitis, & humilis corde. Paruulos dulcissime excipiebat, & cõplexans eos, & imponẽs manus super illos, benedicebat eos. Hominum simplicium, & pauperum societate delectabatur. Tales sibi Apostolos, tales Discipulos legit. Quos suauitate mira tractabat, & patientissima indulgentia erudiebat, tolerans infirmitates eorum, & carnalem nimis interdũm rusticitatem cælestibus paulatim moribus, & disciplinis expoliens. Prospiciebat eorum commodis: defendebat eorum causas. Tantus Dominus, & tantus Magister in medio eorum: hoc

De mansuetudine Christi Regis. Zach 9. c. 21. Mat. 10.

hoc est viliſsimorum hominum, piſcatorum, atque etiam peccatorum, ſic verſabatur, vt qui miniſtrat, vt nec refugerit eorũ lauare pedes, teſtificans veniſſe ſe miniſtrare, non miniſtrari. Denique nomen eorum, hoc eſt pauperum, & humilium honorabile coram illo. Vt iure optimo ſanctus Paulinus pronuntiet, Humilis corde cor Chriſti eſt. Intuere inter populos quomodo conuerſatus ſit. Quam benignè corporis curabat ægritudines? Quam prõptè & rogatus conferebat ſanitates, & non rogatus vltrò offerebat? Quam manſuetus in recipiendis peccatoribus, ac defendendis! Quam ſuauis in trahendis! Suſcipiebat foris, trahebat intus. Nemo enim veniret ad eum niſi attractus. Quam manſuetè reſpondebat etiam odientibus pacem? Inſidias, & captiones aduerſariorum, quanta manſuetudine ſuſtinuit! Sed & flagella, & irriſiones, & Crucem quanta dulcedine tolerauit! Pertranſijt benefaciendo, & ſanando omnes oppreſſos à Diabolo: operatus eſt mira in corporũ curatione. Tunc enim iuxta Prophetam Iſaiam aperti ſunt oculi cœcorum, & aures ſurdorum patuerunt: tunc ſalijt ſicut cerous claudus, & lingua mutorum aperta eſt: leproſi mundati: mortui ſuſcitati. Mira ſunt hęc, & ſtupenda; ſed quæ, ſi altius conſiderẽtur, animi ſanitatem ſpectarent: vt paucorum corporalis ſanitas innumerarum eſſet animarum ſa-

Matt. 20. Luc. 22. Io. 13. Pſal. 71.

Ep. 3. ad Sen.

Paſſ. in Euang.

Act. 10.

Iſa. 35.

lus;

lus; vt agnitus verus Deus, ad eum pro sempiterna sanitate curreremus, & vita. O medicum singularem! Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? ait Dauid Domino. Sed Medicus noster, & mortuis facit mirabilia. & suscitat mortuos, vt confiteantur illi. Vide quanta sit Medici huius non potestas tantùm, sed dulcedo. Ipse sua arte, suis manibus medetur, & vnguentis, non nisi proprijs expensis, sudoribus, & sanguine confectis. Ipse sorbitiunculas, & cordialia, vt cum Hebræo dicam, cordializat, ideſt conficit, ad cor omninò restaurandum, & viuificandum. Proprijs manibus porrigit, cibat, nutrit: & hæc omnia adeo patienter, & suauiter, vt mirum sit, quomodo tanta Maiestas non solum tantis expensis, sed etiam tanta arte, tanta patientia infirmos sustineat, reluctantes, ingratos, verbis etiam contumelioſis Medico insultantes. Sed audiamus quid de hoc medico Scriptura loquatur. In his curans mitigabit dolorem, & vnguentarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis: & non consummabuntur opera eius: pax enim Dei super faciem terræ. Mitigat dolorem, sed vnguento suis doloribus comparato. Facit pigmenta suauitatis, & conficit vnctiones sanitatis, quæ & odoræ simul sint, & ad sanandum efficaces. Huius solius opera non con-

Psal. 87.

Māsuetudo Christi, vt est medicus animarū.

2 Reg. 13.

Eccl. 38.

consummabuntur, quia nunquam desunt ei noua medicamenta. Cæterorum enim Medicorum finem habent opera, quia cum quædam applicarint medicamenta, iam nesciunt vltrà quid faciunt. Isti languore prolixiore grauantur, & fatigati discedunt: ille nec grauatur, nec deserit, sed mansuetissimus patienter agit: pergit in cura, industria, expensis, laboribus, donec susceptum suum saluti restituat: atque ita regnat mansuetudine in eo, quem ipsius culpa malè liberum, ideſt verè peccati fecerat seruum.

Mãsuetudo Christi ex nomine Agni. Io. 1.

Sed libet adhuc huius Regis mansuetudinẽ & admirari, & prædicare: qui ideo Agnus voluit appellari, & hac appellatione gaudet, vt mansuetudinem ostendat. Ecce inquit Ioannes, Agnus Dei: verè Agnus, qui se talem vbique manifestat, Agnus in præsepio vbi factus est cibus hominum qui belluis facti erant similes. Agnus inter vbera Matris vbi infantiæ nostræ lactabat, & lactescebat dulcissime. Agnus insidias blandè sustinens, Agnus inter publicanos, & peccatores versans, Agnus in contumelijs, Agnus in cruce, Agnus in sacrificio incruento in Altari se offerens: vbi affectibus potius: quàm vocibus clamare auditur: Quis det vt de carnibus meis saturentur? Cuius carnes postquam omnis populus Fidelium sumpserit, Agnus ipse integer, viuus, & regnans perseuerat.

Ex vita S. Andr.

seuerat. Sed quod magis mirum, Agnus est & in medio Throni, vbi regnat in æternum, & regit suos, & ad vitæ fontes aquarum deducit sine fine. Vidi, inquit Ioannes, Et ecce in medio Throni, & quatuor animalium, & in medio Seniorum Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem. An non mira omnino mansuetudo, vt in medio Throni & regno sublimissimo Agnum se nominet? Agnum exhibeat? nec simpliciter, sed & cornua septem, & oculos septem habeat, idest & multitudinem oculorum ad nos, nostraque conspicienda intentos habeat: & quicquid virium, ac potestatis obtinet, quæ septem cornua significant, in nostram deriuet vtilitatem, ac salutem. An non eius dulcedinem in medio Throni existentis abundè indicat ea, quæ Carpo viro sanctissimo facta est visio quam grauissimus testis Areopagita ad Demophilum scribens luculenter enarrat? Cùm enim Carpus zelo feruentiore in infernum statim demergi peccatores quosdam optaret, quem horribili spectaculo illis apertum, iamque deuoraturum aspiciebat, & impatienter moram ferret, scribit S. Dionysius sustuliss oculos in cœlum, & vidisse Iesũ miseratum, quod fiebat, de cælesti illa sede consurgentem, ad eos vsque descendere, & porrigere clementissimam manum, ac dixisse Carpo, Iam percute aduersum me:

Apoc. 7.

Epi. 8. ad finem.

me: paratus enim sum etiam iterum pro saluandis hominibus pati. Excogita si potes, mansuetius, finge animo dulcius. Tibi laus benignissime IESV.

Māsuetudo Christi post resurrectionē.

Ceterùm si quis conspicere velit attentius Regis huius nostri mansuetudinem, consideret nō solum in carne mortali, sed etiam post resurrectionem, quam māsuetus fuerit, & dulcis. Reuertitur victor mortis, & Diaboli, accepto regno, cùm diceret, Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Et cùm introductus iterum primogenitus in orbem terræ, ab eo, qui locutus est ad eum, Ego hodie genui te, noua scilicet generatione resurrectionis, audiret. Adorent eum omnes Angeli Dei: tamen per quadraginta dies Discipulorum frequenter oculis manifestus apparuit, non solùm loquens cum eis, sed habitans, atque conuescens, & pertractari se diligenti, curiosoque contactu admittēs. Percurre apparitiones. Quam suauem se in omnibus exhibuit! Res est omnino plena dulcedinis. Meditare per singulas. Mulieribus occurrens, officiosè salutat, Auete: teneri pedes permittit: addit suauissimam legationem, Euangelistas faciēs, Ire nuntiate fratribus meis &c. At quibus fratribus? videbimus posteà. Magdalenam ad sepulchrum perseuerantem visitat, vocat, & nomine excitat. ad fratres item nuntiam mittit: &, si pedes vetat amplecti,

Matt. 28.

Hebr. 1.

Psal. 2.

Psal. 66.

Matt. 28.

Io. 20.

cti, ad sublimiora differt. Noli me tangere, inquit, hoc est, Nolo vt ad me corporaliter venias, nec vt me sensu carnis agnoscas. Ad sublimiora te differo: maiora tibi præparo: cùm ad Patrem ascendero, tunc me perfectiùs, veriusque palpabis, apprehensura, quod non tangis; & creditura, quod non cernis. Quid cum Petro apparuit? Num de negationibus mentio facta? num de promissis, quæ tam fidenter ille obtulerat, tam malè seruarat? minimè sanè, quod constet. Nec confudit improperando, nec minùs dilexit comportando. Sed blandè consolatus illum, & amplexatus, de regno Dei, de Pastorali cura, de clauibus regni cælestis, deque similibus piè credendus est egisse. Quis tibi tunc Petre animus! quàm sublime, quàm capax pectus! Quale tibi cor, qualia verba dulcissime IESV! Quem sensum apostolico tũc cordi in pirabas! Nil tamen aliud expressè Scriptura nisi hoc, Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Cetera ipse cogita. Iam verò Discipulis euntibus in Emmaus an suauiùs poterat apparere? Adiungit se itineris comitem, tarditatem ad credendum increpat, sed instruendo reddit flammantia corda, quæ tepida erant, scripturas dulcissimè reserans. In fractione panis, & suauissima communicatione conuescentium obtutus aperit. Ad mare Tyberiadis piscantibus sese, nihilque

S. Leosar. de Ascen.

Luc. 24.

Ibid.

hilque tale cogitantibus manifestat: panem, & piscem offert, ad edendum inuitat: capturam rationabilium piscium in sensibilibus piscibus figurat. Apostolis verò congregatis, qui solum reliquerant, fugerant, Cruci affixum auersati erant, quam dulciter apparet! Manus, pedes, latus ostendit: pacem annuntiat, quam proprio sanguine emerat: insufflat sanctiori inspiratione, quàm primò. Nam non solùm in animam viuentem, sed in spiritum viuificantem reformat. Dat potestatem remittendi peccata planè dulciter non pro ipsis tantùm, quibus talem thesaurum committit, sed pro tota Ecclesia. Thomam verò incredulum quàm suauiter alloquitur, & vt dignum, manumque in plagas inferat mansuetus inuitat? Denique si dulcis fuit ante Passionem, apparet post resurrectionem dulcior, vt mihi quidem euectus ad
Gen. 45. regnum, & tale regnum Ioſephi dulcedine cum fratribus videatur adumbratus. Procumbit ille in tanta gloria super collum singulorum flens dulcissime, Beniamin præsertim, qui humiliores denotat. Dominatur is non in angulo populorum Aegypti, sed in toto planè Orbe, & tamen fratres amplectitur, fratres agnoscit, fratres confitetur, fratres ditat vilissimos homunciones quos modò tam expertus erat ignauos, & ingratos. Nuntiate, inquit ille, Patri meo omnem gloriam meam, & quæ

vidistis

vidistis. At hic, Nuntiate, ait, fratribus meis, qui credituri sunt per vestrum verbum in me. Amplectitur ille fratres, quos natura, non ipse, fratres dederat. Hic verò fratres, quos ipse sibi adoptauerat sanguine. Gauisa est omnis domus Pharaonis. At hic omnis cælestis Curia. Rex ille terrenus ex amore Ioseph, omnes, inquit, opes AEgyptiorum vestræ erunt. At Rex cælestis, qui Ioseph vnicum filium suum ad hoc nobis dedit, omnes, ait, opes cæli propter vnicum meum vestræ erunt. Meditare profundiùs. Confer Historiam, & vmbram veritati. Singulas apparitiones palato cordis degusta. Verè butyrum, & mel inuenies. Verè fauus mellis in ore eius, Verè dulcissimus cibus in Scripturis de melle cæli melleis, & de lumine Dei luminosis. S. Aug. Conf. l. 19. c. 4.

Et iustitiam. Ostendit tertiam virtutem, qua Christus Regnaturus esset, id est, iustitiam. Et primò quidem iustitia regnauit, quia Diabolum non potestate, & Maiestate vincere voluit, sed iustitia. Nam in illo conflictu pro nobis inito magn , & admirabili æquitatis iure certatum est: dū omnipotens Dominus cum sæuissimo hoste, non in sua Maiestate, sed in nostra congreditur humilitate, obijciens ei eandem formam, eandemque naturam mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem, vt magnificè

Iustitia Christus regnat.

1. Quia Diabolū nonpotestate vicit, sediusto conflictu.

S. Leo ser. 1. de nat.

eloquitur S. Leo.

2 Quia satisfacit ex iustitia pro nobis

Deinde Iustitiam tenuit cum causam nostram egit. Nam & Patri pro liberandis ex iustitia, & rigore satisfacit, & nos ab hoste detentos iustitia eripuit, faciens iudicium; & causam nostram, quasi de throno Crucis iudicans, eripuit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor, ex vsuris, & iniquitate redimens animas nostras.

Psal. 71.

3 Quia reddit vnicuique secūdum operasua.

Sed & illud iustitiæ est, quod reddat vnicuique secundum opera sua, & coronam, quam suis disponit, coronam & faciat, & vocet iustitiæ.

4 Quod iustos faciat suos.

Ceterùm cum innumeris alijs modis appareat eius in regnando iustitia, dulcissimè sapit, quod suos iustitia ditauerit, vt de peccatoribus iustos, de incontinentibus castos, de raptoribus misericordes, de elatis faceret humiles: vt iustitia accipiatur donum ipsum, quo iustos facit, sicut & in alio Psalmo dicitur, Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui: secundum nomen tuum Deus (nomen, inquam, magnificentiæ, decoris, & liberalitatis,) sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. Nam plena manu, per Spiritum scilicet, quem effudit in nos abundè, iustitiam, sanctitatem, & donorum cælestium thesauros nobis contulit. Quod si aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, quid fecisse

Psal. 47.

ad Tit. 3.

Psal. 144.

esse credendus est, cum sinum aperuit? Nam Pater vnigenitum, qui erat in sinu eius, misit, vt viueremus per illum. Et vita manifestata est, & vita, quæ erat apud Patrem, apparuit nobis. Expergiscere ô homo, expergiscere: nec gaudeas quod in vita naturali socius es pecorum, sed quod ad sanctitatem, & iustitiam renouatus ad sublimiora peruenieris per illius ineffabilem misericordiam, qui vt nos ad sua proueheret, in nostra descendit. Promisisti te Deo, dedisti te illi. Quid melius facere potuisti, quã vt illi te redderes, cuius multiplici iure totus es? cum præsertim Patris erga nos tantũ extiterit amoris indiciũ, vt etiam filium suum mitteret, qui pro nobis moreretur? Sed illud animaduerte, quia quemadmodum Iustitia eius sicut montes Dei, ita & iudicia illius abyssus multa: vt discas cum timore, & tremore seruire illi, & tuam ipsius salutem operari: discas non sublime sapere, sed humiliter coram ipso ambulare: discas assiduè ad illum pulsare, vt te perpetuo innouet, & sine intermissione ad se trahat. Non enim potes peruenire ad illum, nisi gradiendo post ipsum: neque hoc ipsum nisi adiutus ab illo: & ideo ora, vt traharis per illum.

Ioan. 1. Io. epist. 1. c. 1.

Psal. 35.

Et deducet te mirabiliter dextera tua.

Christus sola vir-

HIc incipit septima laus, quod scilicet tam insignem victoriam, tam

tute sua regnum comparauit.

amplum regnum nullius opera, nullorum militum fortitudine, sed sola propria virtute comparauit, iuxta illud alterius Psalmi. Cantate Domino Canticum nouum,

Psal. 97. quia mirabilia fecit. Et ne putes hæc mirabilia aliorum opera, aut præsidijs facta, subijcit, Saluauit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Et ipse per Isaiam lo-

Isa. 63. quitur. Et saluauit mihi brachium meum. Et Pater ad eum secundum assumptam serui formam. Posui verba mea in ore tuo, vt

Isa. 51. scilicet, qui erat per æternam generationem semper in sinu Patris ipse nobis enarraret verba cælestia, verba abscondita, verba vitæ æternæ, per quæ regnaret in nobis, nosque in illo. Recognosce quæ supra dicta sunt in versiculum, Diffusa est gratia in labijs tuis. Et vmbra manus meæ protexi te, (haud dubium, quin in omnibus, quæ gloriosè aut pertulit, aut egit)

Plantauit cælos, & fundauit terram.

Vt plantes cælos, & fundes terram. Admirabile planè opus, & quòd sola Christi dextera, quæ eum deduxit, facere potuisset. Quam excelsa vox, Vt plantes cælos, & fundes terram! Et quidem extendenti cælos, terramque fundanti adfuit principio æterna sapientia Patri, simul & ipsa extẽdens, & fundans. Quis autem poterat tam magnificum sibi vendicare opus, vt nunc denuò plantaret cælos longè visibilibus splendidiores, & firmiores; & fundaret terrã fructus immarcescibiles, æternosque pro-

progignentem? Sunt autem cæli noui, & terra noua homines cæleſtes. Non enim qualis terrenus, tales & iſti; ſed qualis cæleſtis, tales & ipſi, cæleſtes. Habet, inquit S. Bernardus, Eccleſia cælos ſuos, homines ſpirituales, vita, & opinione conſpicuos, fide puros, ſpe firmos, latos caritate, contemplatione ſuſpenſos: & hi pluentes pluuiam verbi ſalutarem, tonant increpationibus, coruſcant miraculis, hi enarrant gloriam Dei.] Hos nimirum cælos plantauit dextera ſua Chriſtus IESVS: hanc terram fundauit: quæ non commouebitur, quæ compluitur eius imbribus aſſiduè, germinat herbam virentem, & fructum vitæ. Hos produxit Dominus non ſolo verbo, vt viſibiles; ſed pugnauit vt acquireret, occubuit vt redimeret. Vt meritò dicat ad Sion, Populus meus es tu: quem ſanguine acquiſiuit, ſanguine liberauit, ſanguine regnum fecit. Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Nec ſolum ipſe per ſe mirabilia hæc fecit, ſolus dextera ſua fecit, ſed etiam per Apoſtolos, homines rudes, & infirmos. De quibus hæc opera narrans Michæas ait. Et erunt reliquiæ Iacob (id eſt Apoſtoli) in medio populorum multorum quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam, quæ non expectat virum, & non præſtolatur filios hominum. Non enim expectat auxilium hominum ros vt

Serm. 27. in Cant.

Bern. ibi.

Iſa. 51.

Pſal. 45.

Mich. 5.

decidat, & nutriat gramina, ita nec humanis præsidijs indigebant Apostoli, vt rigarent, ac fœcundarent Ecclesiam. Quod autem nos legimus. Et deducet te mirabiliter dextera tua. Chrysostomus, & Hieronymus. Ostendet tibi mirabilia, vel horribilia dextera tua: quod in idem recidit. Nam deduxit dextera feliciter, ostendit mirabiliter. Est enim hic ostendere, rebus ipsis probare. Vt illud, Ostendisti populo tuo dura, id est, experiri fecisti. Et illud Ioannis, Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ facit, id est, tradit ei, & cum eo communicat. Quæ autem mirabilia intelligantur effecta, supra in illud, Accingere gladio tuo, & alibi significatum est. Porro solum Dei brachium hæc potuit operari: nec alteri omnino conuenire poterat, vt id faceret. Nam vincere Diabolum, peccata delere, mortem abolere, quod in Incarnatione meditabatur, vt ait S. Ignatius Martyr, homines sanctificare, amore allicere, ad cælestia prouehere, & innumera huiusmodi, soli Dei virtuti conueniebant. Nec poterat vnus esse naturæ autor, alius gratiæ, aut terrestres homines, & filios Adæ ab vno principio creari, ab altero sanctificari: nec oportuit amorem, aut gratitudinem hominum diuidi, quin in vnum refunderentur autorem, qui mirabiliter creauit hominem, & mirabilius recreauit:

Psal. 59.

Io. 5.

Epist. 11. quæ est ad Eph.

uit: quod apud cordatos ait Nazianzenus, præstantius est. De hoc itaque Rege solo dici potuit, Deduxit te mirabiliter dextera tua. De hoc cum Michæas dixisset futurum, vt in Bethleem parvula verus homo nasceretur, ostendit brachium, & dexteram, quæ tam magna operatura erat, solius Dei futuram. Cum enim diserte, asseruisset egressum eius ab initio æternitatis, subdit, diuinam eius ostẽdens potentiam. Et stabit, scilicet Christus, & pascet in fortitudine Domini, & in sublimitate nominis Domini Dei sui. Quid est enim pascere in fortitudine Domini, nisi brachium Christi, quod hæc operatum est, brachiũ esse Dei? Et in sublimitate nominis Domini Dei sui. Perpende illud, in sublimitate, item & illud, nominis, quod semper in Scripturis maiestatem, reuerẽtiam, & quandam veluti ineffabilitatem sonat. Domini Dei sui, hoc vel secundum assumptam formam serui, vel originem, qua ab æterno natus est ex Patre: sed primum magis propriè. Iam ergo cum tot mirabilia dextera Domini operata sit, lauda, & admirare: cumque in te, pro te cõplenda sint, caue ne tibi tua culpa pereant. Te vult cooperatorem, quia rationabilis es, & viua materies. Ostende in te mirabilia Dei: &, vt filium tanti laboris, tantique amoris decet, sobriè, & iustè, & piè in hoc seculo viue. Expectat enim

Or. 2. in Pascha.

Mich. 5.

S. Leo ser. 5. de Qu.

Christus fructum laboris sui, Natiuitatis, & Passionis suæ.

7. Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda vel in corde inimicorum Regis.

Arma quibus Christus regnũ acquirit.

EGit iam suprà de modo regnandi; iam de armis, & modo pugnandi, vt ad regnum perueniat. Peruenit autem pugnando sagittis, quas infigit in corda, sed corda inimicorum. Quibus armis populi sub ipso cadent. Inimicos inuenit, inimicos configit, inimicos subijcit: sed, vt de se

L. 8. Conf. c. 8. Li. 9. c. 2. asserit S. Augustinus, insaniunt salubriter, & moriuntur vitaliter. Sagittaueras (ait idem) cor nostrum caritate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus. Vides quàm dulces sagittæ? quàm suauia vulnera? Erant inimici, sed verbo Dei penetrabiliore omni gladio ancipiti, & pertingente vsque ad diuisionem animæ & spiritus, amici, imò & carissimi facti sunt. Penetrant verba eius, sed transfigunt amore. Amant corda vulnerari, & fiunt Christi. Cadunt humiliati, resurgunt erecti: & in corda penetrant sagittæ, & in corde permanent.

Quãdissimilis purgatio mũdi ex diluuio, & ex baptismo.

Considera nunc mihi hanc mutationem dexteræ excelsi. Considera mundi repurgationem in diluuio, considerare nouationem in baptismo. Exiuit cum arcu, & corona vincens vt vinceret, sed vicit sagittis configens

configens amoris. Non permanebit (inquit) Spiritus meus in homine, quia caro est. Ergo vt auferret ab oculis suis hominum immunditias, hominum prophanitatem, Delebo, ait, hominem, quem creaui: quòd & fecit. Ablati sunt impij à facie terræ, purgatus est mundus. Regnauit Deus inimicos delendo, homines peccatores, & impios auferendo. Inundauerunt aquæ super montes, abstulerunt malos de terra. Nunc iam vide, quàm cõtrario modo mundum purgauerit. Factum est diluuium, sed tribulationum, & Passionis super ipsum Christum Deum hominem. At inimici, & impij per aquas regenerationis sanctificati sunt, non auferendo eos de terra, sed immutando. Abominationes abstulit, & pro spiritu, quo animabantur naturaliter, Spiritum sanctum, & spiritum adoptionis, & renouationis effudit. Atque ita, qui erant inimici Regis, subditi facti sunt: morttui sunt peccato, viuunt Deo: ita vt ausus fuerit quispiam dicere, Viuo autem, iam non ego: viuit verò in me Christus. Et quærimus mirabilia quæ ostendit illa dextera eius? Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: dextera tua Domine percussit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos. Verè magnificata in fortitudine: tam mirabiliter homines, qui caro erant, immutans, & erigens. Percussit inimicos non conteren-

Gen. 6.

ad Gal 2.

Exod. 15.

do, sed sanando: & in multitudine gloriæ (quid enim tam glorioſum?) depoſuit aduerſarios; AEgyptios, non quaſi plũbum in aquis vehementibus mergens, ſed ad ſublimia non in aqua ſolum, ſed in aqua, & ſanguine attollens. Vide quid faciãt Chriſti ſagittæ? O admirabilia dexteræ ipſius!
Cant. 2. & 4. Vide quid faciant? Tranſigunt dulciter, occidunt vitaliter. Alioqui quare dixiſſet anima quædam ſancta, vulnerata caritate ego ſum. Et item fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo? Habet ſanè apud ſe de theſauris Sponſi huiuſmodi ſagittarum ignitarũ armamentaria: beata planè, quæ impleuit pharetrã ſuam ex ipſis. Nam & cum fideli ſemper mente verſat ſiue miſericordiam patientis, ſiue victoriam reſurgẽtis, ſiue aſcendentis triũphum, ſiue gloriam ad Patris dexteram conſidẽtis, quid aliud, quam ſe dulciſſimis configi ſagitti: feliciſſimè experitur, nunc compunctionis ſanctę, nunc amoris caſtiſſimi, nunc deſiderij ignitiſſimi, & innumeris eiuſmodi affectibus, quos de armamentarijs copioſiſſimis tam expeditè, & facilè, quàm feliciter profert? Sed ô miſeram conditionem noſtram, ſi talibus ſagittis, tam ſalutaribus, tam vitalibus, tam penetrantibus, tam copioſis, tam promptis duritiam opponimus cordis, quam propheta ſcitũ appellat cordis, & laborẽ Dei. De quo vide ſupra in illud, Accingere gladio tuo.

8 Sed

8 Sedes tua Deus in seculum seculi.

DE æternitate regni dictum supra, in illud, Prospere procede, & regna. Hic tantum meditandum, quod non solum in æternum regnantem, sed etiam Deum vocat Sponsum. Sedes tua Deus (inquit) Quo manifestè, & immobilitas, & æternitas regni declaratur. Non enim ad hanc sedem ascendit Deus, vt homines, qui ceteris natura omnino similes ad sedē, thronumque sublimantur, qui & cadere possunt, & deijci, Christo autem nostro, quia & Deus est, eadem est sedes, & substantia, & Deitas. Non ergo potest à regno, aut sede deijci, non magis, quam à propria natura, & substantia. Felices, qui sub tali Rege, & regnantur, vt ita dicam, & regnant: imò ideo regnant, quia regnantur.

Regnum Christi æternum quia homo idem ac Deus.

Virga directionis, virga regni tui.

SCeptrum Regis nostri virga directionis. Hebræa phrasi dicitur, quasi rectissima. Nam abstractum directionis eminentiam notat. Regit enim in iudicio, & æquitate. Sed plura mihi spirat, & sapit vox ista Directionis. Est enim virga directionis, quia imperium, regnumque illius prospere omnino procedit, vt in Osee dicitur, Iacob directus cum Angelo, & cum Deo, quia prospere egit, & luctatus est. Ita & sceptrum Christi Regis nostri virga est directionis, quia in omnibus prospere

Sceptrum Christi virga directionis primò quia prosperatur.

Osee c. 2.

Conf. l. 5. c. 1. agit : nec manum illius repellit duritia hominum, vt ait S. Augustinus, sed soluet eam cùm volet, aut miserans, aut vindicans, sed primum frequentiùs, & quasi connaturale est illi, quia viscera habet misericordiæ.

Secundò quòd suos ipsemet singillatim dirigit.

Sed suauissimè redolet; & dulcissimè sapit, quòd eos, qui in regno eius sunt, ipse dirigit. Nam terreni Reges possunt quidem vniuersali quadam prouidentia præceptis regere, placitis dirigere, & similia: sed singulares actiones, & internas cogitationes, nec dirigere volunt, nec valent: multò minùs aut intellectum tribuere, aut vires suppeditare. Rex verò noster virga regni sui ita subditos dirigit, vt nec res, nec verba, ac ne cogitationes quidem rectæ sint, nisi ab illo dirigantur. Quicquid enim vel aliunde accipimus, vel alio referimus nisi ad ipsum, à directione non est. O tortuosas vias filiorum hominum, si nõ ab ista directione dirigantur. Vide ergo tu ô Anima, quæ in regno Christi es, ne ab alio principio regaris, nec aliò tua referas. Perdidisti quicquid habes, non apud Deũ. Quanquam, si recogitas te apud Deum esse computatam, fieri non poterit, quin ita viuere enitaris, vt habitationi illi, quam suis præparauit, & hic moribus congruas, & eò spe certa intendas, vt absens illi placere contendens præsens tandem illius pulchritudini conformeris; & similis effecta,

effecta, perfecta simul & rectitudine, & societate perfruaris.

Tertiò Virga directionis Crux est.

Ceterùm, sicut virgam regni victoriosã Crucem appellare non dubito, de qua scriptum est, quia Dominus regnauit à ligno: & quam proprijs humeris ferẽs in sceptrũ sibi vertit potestatis, regale planè sceptrum immortalis gloriæ semper virore frondescens; ita nihil congruentiùs, aut libentiùs eam appellauerim, quàm virgam Directionis. Ipsa enim est, quæ nos & prosperè ingredi facit, & victoriã tribuit, & mentes nostras in omnib⁹ dirigit. Nã & in prosperis deprimit, & erigit in aduersis. Quis enim eam considerans, beatam vitam, inquit S. Augustinus, in ijs positam arbitretur, quæ contemnenda docuit filius Dei? Quibus aduersitatibus cedat, qui naturam hominis in tot aduersis custoditam nouit in filio Dei? Qua peruersitate non careat, (Ecce manifestam directionem) qui dicta, & facta intuetur, diligit, & sectatur illius hominis, in quo se nobis ad exemplum præbuit filius Dei? Perpende verba, Intuetur per contemplationem, diligit per gratitudinem, & affectum, sectatur per imitationem.

De Ag. Christiano. c. 11.

Quartò Virga directionis Christi clemẽtia. *Ester. 4. v. 5.*

Virgam etiam directionis Regis nostri clementiam intelligo. Si enim Rex ille terrenus magnus quidem, & potens; sed tamen vermiculus, angustè, & breui regnans tempore, Assuerum dico, virgam

aurcam clementiæ erga eos ostendebat, quos ad se volebat admittere, quid Rex noster, qui non super cētum viginti septē prouincias, sed super omnem planè orbem superque ipsos regnat cælos? Nonne virgam clemētiæ suæ prorsus auream, id est, pretiosissimam super omnia, ad suos extendet, vt facilem paret accessum: eosque & suauiter clementia alliciat, & suauiùs clementia complectatur? Hanc directionis virgam verè regiā esse nemo ambiget, qui consideret eam accessus, & fiduciæ nostræ, vt in eum tendamus, fundamentum esse. Ipsa enim clementia causa est, virtº, & finis directionis nostræ. Adeamus, inquit Apostolus, cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt misericordiam cōsequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Cum fiducia (inquit) quia habemus in Cælo Pontificem, qui penetrauit cælos: quo etiam nos spe vsque ad interiora velaminis tanquam ancora tuta, ac firma penetramus.

Hebr. 4. cap. 6.

Clementia Christi maximè apparet in Eucharistia.

Non aberrauerit, qui dixerit hanc virgam directionis, & clementiæ nusquam aut pleniùs, aut dulciùs ab hoc Rege nostro extendi erga nos, quàm in supradiuinissima Eucharistia, vbi, vt pulcherrimè ait Cyprianus, quemadmodum vino isto communi mēs soluitur, anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur, ita epoto sāguine Domini, & poculo salutari, exponitur

Cypr. Ep. 63. ex edit. Pam.

nitur memoria veteris hominis, & fit obliuio conuersationis pristinæ secularis, & mœstum pectus, ac triste, quòd antea peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluitur.

9 Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præconsortibus tuis.

DILEXIT iustitiam Rex noster, & odit iniquitatem, non solum quia ipse iustissimus, & sanctus fuit, immo ipsa iustitia, & sanctitas; sed etiam quia diligit, & facit in alijs. Quis enim, in quo Christus regnat, non diligat iustitiam, & odio habeat iniquitatem? Vsque adeo autem Rex iste noster hanc detestatus est, illam esuriuit & sitiuit, vt pro illa inducenda, & hac destruenda Cruci voluerit affigi. Quomodo Christus iustitiam dilexit.

Ad hoc autem (id est enim, Propterea) O Deus homo vnxit te Deus Pater oleo lætitiæ: non enim ideò vnxit, quia dilexisti; sed ideò dilexisti, quia te vnxit. Ab instanti quippe conceptionis virtute hypostaticæ vnionis supra omnem mensuram, & modum vnctus fuisti, non quouis oleo, sed oleo lætitiæ. Meritò Christus vnctus oleo lætitiæ dicitur, quia & ipsũ gratia, & veritate ineffabilis vnctio illa repleuit, & cæteros omnes, qui de plenitudine Vnctio Christi vnio hypostatica.

nitudine eius acceperunt. Vide Scripturarum sanctarum constantiã, quomodo Prophetæ Prophetis concinant. Vngitur apud Dan. 9. Danielem Angelo Gabriele prædicente Sanctus Sanctorum, vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas (Ecce odisti iniquitatem) & adducatur iustitia sempiterna (Ecce dilexisti iustitiam.)

Hanc autem vnctionem quis dignè perpendat ? Vngitur præ consortibus. Non enim ad mensuram vnctionem accepit. Et vngitur præ consortibus, quia ex eius plenitudine alij peruncti sunt. Si olei qualitates perpenduntur, erit aliqua tantæ rei vel tantilla adumbratio. Oleum enim lenissimè fluit: ne ictum quidem sonum edit: tumores, & vlcera mollit, & sanat: lucet, pascit, & vngit: lætitiæ signum, & causa, quia exhilarat faciem: luctatores roborat: sæuiens mare sedat: denique Sacerdotes consecrat, & Reges: vnde & Christi nomen tanto mysterio figuratur. Hoc est igitur oleum lætitiæ, quo à Patre Deo Deus iste filius, Ecclesiæ Rex, & Sponsus perunctus fuit.

Ex virtutibus olei adumbratur consideratio vnctionis Christi.

Sed vt videas & quomodo ipse per se oleum habeat exultationis, lucis, & ardoris; quomodo in suos refundat, recordare admirabilis illius visionis, quæ Zachariæ ostensa est. Siquidem Candelabro quod erat aureum totum, septem lucernæ inerant, & septem infusoria, per quæ scilicet

Zach. c. 4.

oleum

oleum deriuabatur. Sed erat lampas super caput ipsius sine infusorio, quia IESVS Christus Deus homo lampas est super caput Ecclesiæ: quæ plures habet lucernas, Apostolos scilicet, & Apostolicos viros qui eam illuminent iugiter, sed de plenitudine olei, quam ex lampade magna recipiunt. Nam lampas suprema infusorium non habet. Quippe aliunde lumen verum, quod illuminat omnia, lumen, oleumue nō mutuatur; sed ex ipso fōte suo deriuat in alios. Porrò oleo isto vnctionis, quòd præter ea, quæ dicta sunt, suauissimum spirat odorem, de quo Sponsus in Cantico amoris, Oleum, inquit, effusum nomen tuum, &, Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum, solus summus Sacerdos noster vngitur, & qui ab eo Sacerdōtes consecrantur, licèt sine comparatione, aut proportione & vnctionis, & vnguenti; sed tamen de capite in oram vestimenti descendit. Non est verò hoc oleum commune, aut obuium cuiuis, sed fit ex myrrha prima, & electa, cinnamomo, & calamo, & casia. Non licet cuiquam ad alios vsus tale vnguentum componere. Quis dignè reputet species hasce, ex quibus vnguentum eiusmodi conficitur? Sed tamen, quas enumerat ex Apostolo S. Bernardus, suauissimæ sunt. Qui factus est, inquit, nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Hi vnctionis,

Cant. 1.

Exod. 30.

Ser. 22. in Cant.

nis,& olei riui deriuantur in nos, qui nos currere faciunt pòst ipsum. Quid si ipsam vnctionem in se effusam sentiret? inquit idem Sanctus. Cuius ita tenui exhilarata fragrātia permouetur, vt currat, mirum si non & volaret. Est enim suauissimus IESVS, vt Areopagita pulcherrimè ostēdit, omnis vnctionis principiū, omnis odoris fons. Nam ipsa, inquit, vnguenti compositio mystica (vt interim formemus, quæ nequaquam formam admittunt) ipsū nobis pingit Iesum, principalem scilicet diuinorum odorum opulentiam, sacris proportionibus in augustissima quæque spiritualium diuinos vapores immittentē: in quibus spiritus suauiter affecti, sacrisque percept onibus pleni spirituali vtūtur alimonia, odoratis distributionibus ad ipsarum intellectuale diuina participatione subeuntibus.

De Eccles. hast. Hierarchia c. 4. par. 3.

Quid in nobis sacra vnctio debeat efficere.

Vide autem tu, qui tam pretiosum vnguentum à Sponso accepisti, vt dignè operetis ex eo. Leniter fluit oleum, nec percussum sonum edit. Indue igitur viscera mansuetudinis, misericordiæ, & lenitatis, vt omnibus te lenem, amabilemque præbeas; ac ne læsus quidem, aut percussus malum pro malo reddas, aut maledictum pro maledicto. Tumores sanat, & vlcera sedat: O quàm multa sunt eiusmodi in te, quæ Sponsi oleo indigeant? Applica tibi oleum, quod nulli vnquam infirmitati tuę

inuenie-

inuenietur inefficax. Lucet, deriua illud in te ex infusorio iugiter, vt sis lucerna ardēs, & lucens, nec extinguatur in nocte lucerna tua; nec ab alijs turpiter mendicare cogaris, dum Sponso moram faciente, lāpas fatui extinguitur. Si pascit, pascere, ne genua tua à ieiunio infirmentur, & caro tua propter olei defectum immutetur à pinguedine. Si vngit, confotare, & gaude: est quippe lætitiæ signū. Quare Daniel quia in luctu, & dolore erat, negat se vnguēto fuisse vnctum. Iam verò, quia exhilarat faciem hominis, eamque ob rē hortatur Sapiens. Omni tempore sint vestimēta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat, id tibi diligentissimè curandum est semper. Si luctatores roborat, memēto te perpetuo in lucta esse, atque adeo ad hoc oleum confugiendum esse. Bonus Aliptes vngere oleo exultationis, vnguento exinanito. Sedat per lenitatem turbatum mare: parum ergo tibi sit leniter fluere, alijsque non irasci, nisi & turbatos in te aliorum iracundiæ fluctus tua lenitate compescas: quia scriptum est: Responsio mollis frāgit iram. Sacerdotes, & Reges consecrat. Recogita diligenter, quod Apostolus asserit: Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos. Et Ioannes, Habetis, inquit, vnctionem à Sācto. Agnosce itaque dignitatem tuam, & perpende, Quo, Vnde, &

Dan c. 10.

Eccles. 9.

Prou. 15.

2 Cor. 1.

Ep. 1. c. 2.

Ad.

Ad quid consecratus sis, & inunctus. Gratias agunt Sancti in Cælis dicentes, Regi nostro, Christo nostro, Vnctori nostro, fecisti nos Deo nostro Reges, & Sacerdotes: eadem sit vox tua in terris, eadem laus. Postremò tam sancto oleo, tam suaui vnguento delibutus, caue ne muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti. Ita viuere stude, vt, si muscæ molestæ esse non desinant, abigantur sanctæ vigilantiæ manu, nec mori in te, aut putrescere permittantur. O vnguentum. O somnolenitã nostrã. Caue item nede te dicatur, quòd quibusdam minatur Michæas, Tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo, si in tam multis occasionibus proficiendi, tanta abundantia misericordiarum Dei, oleo isto abundantissimo non vngeris.

Exod. 18.

Mich. c.6.

10. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis.

De vestimẽtis odoratis Sponsi.

Hic considerandæ vestes, loca vbi asseruantur, & vnde proferuntur, qualibus odoramentis nobilitentur, à quibus ita odoribus respergantur, quò tandem totus hic apparatus vestium, & odorum tendat. Vestes sunt Sponsi Regis, tanto Sponso, tantoque Rege dignissimæ. Loca vbi asseruantur, & vnde proferũtur, domus non quælibet, sed palatia, & magnificentissimæ ædes, eæque non fortuitò, aut vulgariter

gariter ornatæ, sed ebore purissimo conuestitæ. Vestes verò odoribus respersæ sūt myrrha, aloe, vel stacte, & casia. Odoramentis autem imbuuntur vestes, non à mulierculis, quales sibi vnguentarias Saul facturus prædicebatur, sed à filiabus Regum: quæ omnia in honorem tanti Sponsi, laudesque amantissimè dirigunt. Perpendamus singula. *1. Reg. c. 8*

Primo, Vestimēta Christi eius humanitas.

Vestimenta Christi Domini aliqui humanitatem eius intelligunt, ex qua sine dubio suauissimi efflantur odores. Quis enim sufficiat cogitare, nedum exprimere qualibus, quàm cælestibus, quàm diuinis, quā ininuestigabilibus sint plena odoramentis, quæ non solùm Ecclesiæ nares, mundumque repleant vniuersum, sed etiā Angelos sanctos pòst se trahant. S. Augustinus, vestimenta, inquit, eius sunt Sācti eius, electi eius, tota Ecclesia eius, quam sibi sicut vestem exhibet sine macula, & ruga, propter maculam abluens in sanguine, propter rugam extendens in cruce.] Vt multò magis de Rege nostro, quàm de Hierusalem dictum illud Isaiæ compleri videatur, dicente Patre. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut vestimento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa. Et vestit igitur eos se ipso, quia Christum induerunt; & vestitur ipsis, quia ornatur ab eis. O, quisquis es, qui te Christo vestiri intelligis, qui eum vicissim

Secundo, item sancti, & Ecclesia.

S. Aug. hoc loco.

Isa. c. 9.

Christus vestis Sāctorū, & sancti Christi.

ad Gal. 3.

ciſsim te ipſo induis, vide qualē reoporteat eſſe. Nō enim qui talem veſtē induiſti, ma-
Eccl. 4. culas admittere debes. Cuſtodi ait Sapiens pedē tuum ingrediens domū Dei. Quod ſi domū Domini immundo pede intrare nō licet, quia locus ſanctus eſt, veſtē, quæ ſanctitatis auctor eſt, maculare licet? Caue, & attende tibi, cùm præſertim corpus hoc, quòd corrumpitur, & aggrauat animam, vndique maculas facilè attrahat. Nam etſi macula Chriſto ipſi contrahi non poteſt, anima tamen, quæ contrahit, veſtem hanc inhonorat; & quòd in ſe eſt, fœdare conuincitur.

Tertiò veſtes Chriſti virtutes Sanctorum. *S. Hier. ad Principiam.*

S. Hieronymus ad Principiam hūc Pſalmum explicans, cum dixiſſet de mortificatione, & alijs virtutibus, de quibus dicendum cum de Aromatib⁹ agemus, Hæc indumenta, inquit, para Sponſo noſtro: his à te veſtibus comptus incedat. Itaque tertius ſenſus eſt, vt virtutes, quas filiæ Regum Sponſo exhibent, veſtes aromata ſpirantes intelligantur. Quòd ſi tantopere delectatus eſt Chriſtus materiali veſte, quam Catechumenus adhuc Martinus in paupere illi exhibuit, quantò delectatur amplius hac virtutum veſte?

Eburnea domus quid ſignificent.

Aſſeruantur verò eiuſmodi Spōſi veſtes in ampliſsimis, & regalibus ædibus, ſed eburneis. Ebur autem & puritatem, & firmam conſtantiam, & imputribilitatē, & nobilitatem ſignat. Affertur quippe ex India,

India, nec facilè paratur, cum sit ex dentibus Elephantis; qui quidem sua etiam magnitudine, & mole ebur commendat. Amos 3. & 6. Vnde & domus eburneæ, & eburnei lecti, 3. Reg. 10. & Thronus Salomonis eburneus prædicatur. O qualem esse oportet animam, quæ ebori comparatur, vbi talia vestimenta asseruantur, quæ Sponso illi, & Regi seruantur: de quo Sponsa, Venter eius, inquit, eburneus distinctus Sapphiris. Cant. 5. Nec angusta illa anima, sed latissima tũ spatijs caritatis, tum vacuitate terrenorum omniũ, tum altissimis desiderijs esse debet. Delibuta sunt autẽ eiusmodi vestimenta myrrha, gutta, vel stacte, aut Aloe, quod idem sonat, & casia. Quæ vnguenta sic explicat S. Hieronymus, vt myrrha mortificationem membrorum, quæ sunt super terrã signet. Stacte, vel Aloe bonum Christi odorem: Casia, vt medicinalis pituitas, & rheumata suo calore excoquat: &, vt fistula, vocalis sit in laudes Dei. Hæc de speciebus.

Ceterùm etiam filiæ Regum, & Sponsæ his indumentis induuntur. Et meminisse oportet quid Sponsus in laudem hanc filiarum Regum in Canticis ad Sponsam loquatur, Odor, inquit, vestimentorũ tuorum super omnia aromata. Et infra, sicut odor thuris, id est, diuinum quid redolentia. Imò ipsas aromaticas species enumerans, Cypri, ait, cũ nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vni-

Quas vestes anima sibi debeat parare. Cant. 4.

vniuersis lignis Libani, myrrha, & aloe, cum omnibus primis vnguentis. Vide quàm longè abesse debeas ab eo quòd Sa-
Prou. 23. piens ait, Vestietur pannis dormitatio, cùm te oporteat nō solùm à domibus eburneis, sed etiam pretiosas vestes depromere, easq; non vtcumque seruatas, sed odoramentis talibus delibutas. Perpende deligentiùs qualis appareas in cōspectu Sponsi, vt grata sis oculis eius. Mihi certè de cælestis mysterij splendore arridet, quod indumēta filiarum Regum, quibus oculos Regis oblectant, ipsius vestimenta vocentur. A vestimentis, inquit, tuis. Nam & si filiæ Regum illis induuntur, de Sponsi tamen promptuarijs, & vestiarijs acceperunt. Vidit & beatus Ioannes in Cælo indutos vestimentis albis, & palmas in manibus habentes: sed vnde acceperint, non tacet. Datæ sunt illis, inquit, singulæ stolæ albæ: datæ sunt, non ab illis allatæ: &, si albæ sūt, dealbauerūt eas in sanguine Agni. Nec aliunde habere potuerunt. Nā paterna domo afferre nequiuerunt. Quippe Pater illarum pauper, & nudus vix nuditatem suam consutis ficus foliis valuit vtcūque tegere.
Gen. 3. Itaque & à Rege Sponso acceperunt, & illi' vestimenta sunt: & tamen ipsarum sunt, ijsque delectāt eum, ad honorem, & gloriā eius referentes, & sua confitentes, & Spōsi: vt Dei agnoscentes, non sint superbæ; suas confitendo non sint ingratæ.

Quæ ex Spōsi prōptuarijs petendæ. Apoc. 6. 7.

11 Adstitit

11 Adstitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate.

SI Reginam primo loco intelligamus Virginem matrem, Angelorũ, & Cæli Reginam, haud dubiũ, quin sedeat ad dexteram filij vbique regnantis, cui, vt pote tantæ Matri, longe sublimiorem thronum verus hic Salomon, quã ille terrenus Bethsabeæ matri parauerit. Quæ & in diademate aureo, & in vestitu deaurato, ob regnum, & innumeras, variasque virtutes fulgentissima, super omnem puram creaturam apparet. Et vehemẽter ad gloriam Regis facit, quod talem sibi efformauerit matrem, Matrem carne, Sponsam spiritu, vtrobique reginam: cuius fulgorem mirãtur Cæli ciues, cuius laudes prædicant Angeli: qui quoties filium exaltant, & cãticis efferunt (faciunt autem id sine cessatione) toties in hanc Reginam laudes deriuãtur. Prædicant enim mysteria salutiferæ redẽptionis, atque exaltationis nostræ: id autẽ cum faciunt, Deum hominem factum laudant, & prædicant, factum autem ex Virgine; quæ ideo in his omnibus & pars ipsa fuit, & admirabili modo glorificatur.

Regina à dextris primò Virgo Dei para.

3. Reg. 2.

Sin autem animam quamlibet sanctam intelligamus, quam Sponso placuit ita exaltare, apparet sanè multipliciter Dei nostri bonitas, & potẽtia, quæ id & voluit, fa-

Secundò Quælibet anima sancta.

& potuit. Veſtē enim ex auro puriſsimo, caritate prę̃ſertim patriæ illā induit, amictus ipſe lumine ſicut veſtimento, & circumdedit varietate fulgentiſsimarū virtutum, & gratiarum. Hanc ſibi adſciuit Sponſam, & Reginam. Quis Sponſus (ait Bernardus) & quæ Sponſa? Sponſus Deus noſter eſt; Sponſa, ſi audeo dicere, nos ſumus. Non me capio præ lætitia quod tanti nos fecerit illa Maieſtas. Sed ſiue ſanctę animæ, ſiue Eccleſia, quæ vna columba, & perfecta eſt, intelligantur, in idem recidit. Nam & Eccleſia de puluere, & vermiculis congregata eſt, vt facta regina aſſideat Sponſo: & animæ ſunt partes huius Eccleſiæ, ex quibus ipſa conſtat. Sed vt Dei noſtri miſericordiam magis mireris, & laudes, vide diligenter vnde eam tulerit, quo aſſumpſerit. Explicet Propheta Dei per Spiritum ſanctum huius myſterij profunditatem. Proiecta es (inquit) ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die, qua nata es, & eras nuda, & cōfuſione plena &c. Ecce qualem inuenit, cum in ſanguine ſuo turpiter volutaretur. Quid tum Sponſi bonitas, & magnificentia cum ea? ſequitur, Expandi amictum meum ſuper te, & iuraui tibi, & ingreſſus sū pactum tecū, ait Dominus, & facta es mihi. Qualis firmitas, Iuraui tibi? Ingreſſus ſum pactum tecum: quale, niſi deſponſationis? Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſa

S. Bern.

Tertiò Eccleſia.

Ex quanta humilitate aſſumpta Sponſa.

Ezech 16.

Ad quantā dignitatem, & felicitatē euecta.

Oſee 2.

sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in miserationibus, & sponsabo te mihi in fide. Et facta es mihi, id est, tota mea. Et cum emundationem à sanguine retulisset, subdit; Et vestiui te discoloribus, & calceaui te ianthino: & cinxi te byssо, & indui te subtilibus: & ornaui te ornamento: & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum: & dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et alia pulcherrima prosequitur. Discoloribus vestiuit, id est, varijs virtutibus noui hominis viscеribus misericordiæ, bonitatis, humilitatis, mansuetudinis, patientiæ. Quid hac varietate pulchrius? Sic Ioseph à Patre tunica polymita ornatus est, & Pōtifex cum ingrederetur in sancta varijs vestibus vtebatur. Ianthino, vel hyacintho calceata est, vt postquam lota fuerit, pedibus, id est, affectibus amoris, & desiderij ad cælestia regna festinet. Byssо, & subtilibus cincta, & induta est. Byssus iuxta Hieronymum Puritas intelligitur. Et manifestè beatus Ioannes docet datum esse Sponsæ Agni, vt vestiatur Byssino splendenti, & candido, quæ iustificationes Sanctorum sunt. Notat eodem loco Ezechielis, idem Hieronymus pro subtilibus, Septuaginta noua voce transtulisse τριχάπτον, quasi tantæ subtilitatis esset vestimētum, vt capillorum tenuitatem habere videretur.

Gen. 37. *Exod. 28.* *Hier. l. 4. in c. 16. Ezech.* *Apoc. 19.*

Quod exquisitissimas, & subtilissimas dotes significat, & dona, quibus à Sponso amicta est. Et cum vniuersè dixisset, ornaui te ornamento, quasi cuncta cõplectẽs; explicat deinde sigillatim, atque per partes. Armillas in manibus. Quando bona opera dederit nobis Deus (dona quippe eius sunt) tunc circundat in manibus nostris armillas. Torquẽ, Septuaginta κάδεμα monile scilicet Hieronymi sententia, ex variis gemmis in pectus descendens. Quis istas æstimet gemmas? Quis varietatem distinguat illarum? Et tamen, quia Salomon exquirenti sapientiam, gratiam capiti addendam, & torquem promittit collo: & alibi, Torques sapientiæ, in quas collum inijcere iubemur, in stolam gloriæ futuras prædicat Spiritus sanctus, possumus torquem, sapientiam intelligere, gemmasque, quibus varijs, & pretiosis ornatur, sapientiæ multiplices radios, quos solus ille enumerare, & distinguere potest, qui scrutatur profunda Dei Spiritus multiplex, & subtilis. Circulos in os, siue ad nasum à fronte dependentes, tunc accipimus, cum dicere possumus cum Apostolo, Christi bonus odor sumus: vel cum aureũ circulum sensuum, ac dogmatum diuinorum habemus in naribus, id est, gratiam accipimus, qua odoramenta diuinorum sensuum, & aromata spirantia discernere possumus. (Id enim ex Areopagita vis odora-

Prou 1.
Eccles 6.
2. Cor. 2.

odoratiua significat) vt iure totis medullis dicere possimus Sponso, odor tuus excitauit in me concupiscentias æternas. Circulos porro habet in auribus, qui ad detractiones, scurrilia, & mala quæuis verba claudit, & obturat aures suas. Et vt omnia complectatur, quia ornamentum capitis totius est corporis, Corona aurea, siue diademate decoris, vel, vt in hebraicis, & græcis translationibus habetur, gloriationis decoratur. Hæ sunt igitur fœlitates Sponsæ, quibus ex se scatebat, hæc ornamenta diuitiarum, & gloriæ, quibus à Sponso Rege exornatur. Hæc ruminanda semper studiosæ, deuotæque menti, vt videat quid ex se habeat, quid à Sponso: vt non immeritò hanc gratiam D. Chrysostomus extulerit in illud ad Ephesios, In qua gratificauit nos in dilecto filio suo. Et S. Bernardus suauissimè disputat aliud esse hominem ante Deum: aliud intra Deum: aliud in corde suo, aliud in corde Dei: illud in iudicio veritatis, quo omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, propterea quasi nihilum, & inane reputari: hoc in affectu pietatis qua apposuit erga nos cor suum, & quasi in thesaurum suum in nos respicit. Cuius præter alia, mellitissima verba hæc sunt. Respiremus fratres, & si nihil sumus in cordibus nostris, forte in corde Dei potest aliud latere de nobis. O Pater

De Cæles. Hierarc. c. 15.

ad Eph. 1.

Ser. 5 in ded. Eccl.

misericordiarum, O Pater miserorū quid apponis erga eos cor tuum? Scio, scio, vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuū. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus? Tum consulit requirenda nobis & testimonia veritatis, & testamētum pietatis. Lege (inquit) homo in corde tuo, lege intra te ipsum de te ipso testimonia veritatis, etiam communi hac luce iudicabis te indignum: lege in corde Dei testamentum pietatis, quod firmatum est in sanguine Mediatoris, & inuenies quam longè aliud spe possideas, quam re tenere videris.] Vidisti, ô anima, vilitatem Sponsæ, vidisti gloriam. Quæ nuda erat, & confusione plena adstat Regina in vestitu deaurato, circundata varietate. Gratias tibi amantissime Domine IESV, qui nihil habens in nobis, quod diligeres, ita tamen dilexisti per supereminentem scientiæ caritatem tuam.

Ephes 3.

Quomodo Regina à Spō ſoornata. *Psal.144.*

Sed licet hæc ingentia sint, imò stupēda sint, quæ magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquantur, & virtutem terribilium tuorum, & magnitudinem tuam narrent, & memoriam abundantiæ suauitatis tuæ faciant eructare, minora tamē appareant, si modum quo Reginam ornasti spiritu tuo ad interiora præeunte, cernamus: quo modo eam tam fulgenti veste, & polymita induisti; quomodo tot ornamentis decorasti. O admirandā prorsus

sus sapientiam, & bonitatem Sponsi. Qui terram vniuersam floribus, & fructibus vestit, qui cælum fulgentissimis astris ornat, qui Angelos, & Sãctos mirifico lucis amictu induit, vt Spõsam vestiret vilẽ, ac pauperculam, ipse caritatis vino inebriatus, Cham quidem indigno filio deridente, ceteris vero mysterium adorãtibus nudus in Cruce pependit, vestimenta militibus Crucifixoribus assignauit: misericordia splendidius in ipsa nuditate inter latrones fulgens, quam olim in monte Thabor inter Mosem, & Eliam niueo splendore coruscans, amictus lumine sicut vestimẽto. Mirabaris splendorem Petre sancte, & raptus in desiderium clamabas: Bonum est nos hic esse. At misericordiæ, & pietatis vestis clarius rutilat, absorbet dulcius. Cõuerte tu, anima mea, mentis oculos ad fulgorem amictus huius: vide nudũ Regem, vide nudum Sponsum, vt vestitu deaurato circumdaret Sponsam: cui & in Cælestibus laudes incomparabiles, & cantica dulcissima præparauit. Euge amica, euge Sponsa, intra in gaudium Sponsi tui. Præparauit autem dum nudus pendens opprobria, blasphemias, & sacrilegas capitis agitationes pertulit. Pondera ergo si potes, vestis huius tuæ dignitatem, æstima pretium. Quomodo non omnia ossa tua dicent: Domine quis similis tibi? Quomodo ipsa te ipsam tibi retinere poteris, vt non

Gen. 9.

Mat. 16.

Psal. 34.

tota in eum transeas, qui tantillam te eo vsque prouexit? Laudate Angeli sancti Regis nostri, vestrique pariter dignationem, qui vestræ vrbis miramini restaurationem.

12 Audi filia & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui.

S. Augus. hoc loco. S. Hiero. ep. 140.

HActenus ad Sponsum: nunc iam ad Sponsam sermo conuertitur. Si quæris quis loquatur? S. Augustinus. Propheram ipsum loqui putat. S. Hieronymus, Deum, Patrem Regis Sponsi. Vtrumque congruit. Nam & Propheta linguam suam calamũ sancti Spiritus profitetur, & Pater per Scripturas sanctas alloquitur Sponsam. Quinque tamen sunt quæ præscribuntur, Audi, Vide, Inclina aurem, Obliuiscere populum tuum, & tandem Obliuiscere domum Patris tui.

Quinque requirũtur ex Sponsa. Primò vt audiat. ad Ro 10. Ser 28. in Cant.

Ab auditu meritò incipiendum, quia fides, qua oculi mundantur, ab auditu. Et dignum est, vt vnde irrepsit morbus (ait Bernardus) inde remedium intret: & per eadem sequatur vestigia, vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis. Auditus (ait postea idem Pater) visum restituet, si pius, vigil, si fidelis præcesserit. Meritò itaque monetur Sponsa, vt ab auditu incipiat, & fide, vt placere

placere posſit Deo, & ea aſpicere, quæ carnalis intuitus non attingit: credendo autem iam videre incipit. *Hebr. 11.*

Secundò vt videat.

Sed qualia, & quàm multa videnda ſunt, vt aurem perfectiore modo inclinet? Videndum primo, quæ videntur, temporalia, id eſt, volatica eſſe. Videndum non poſſe hominem non plenum Deo beatum eſſe, cui nullo modo ſufficit ad beatam requiem quicquid ipſo Deo minus eſt: ac per hoc nec ipſa creatura ſibi. Videnda pulchritudo Sponſi, vt amari poſsit, quam ipſe nobis per ſanctas meditationes oſtendit. Sunt enim quędam verba Verbi Sponſi ad nos noſtrę de ipſo meditationes, deq; eius gloria, elegantia, potentia, maieſtate. Videnda fœdiſsima, ac tererrrma peccatorum imago: perſpiciendus virtutum ſplẽdor, & caritatis ardentiſsimę fulgor: contemplanda Ciuitatis, quam ſuis pręparauit Deus, incomparabilis claritas, & huiuſmodi innumera: quæ fides docet, meditatio aperit, diligens inueſtigatio reuelat. Sed, vt beneficiorum Dei memores ſimus, intendenda interdum acies, in fœditatem, cœcitatem, & maculoſitatem, & vlceroſitatem noſtram, quibus tenebamur, donec Sponſi manu educti inde potentiſsimè ſumus. Nam etſi populum noſtrum, & domũ Patris noſtri obliuiſci iubemur (de quo poſtea) non tamen decet nos obliuiſci, quales in eo populo, domoque pater-

2. Cor. 4.

Aug. Cõf. l. 13. c. 8.

Bern. ſer. 32 in Cantic.

S. Bern. na fuerimus: Cuius vitæ vel potius mortis (inquit Bernardus) vtinam frequenter ob oculos cordis nostri tetra versetur imago; vt videlicet considerantes miseriæ pōdus, æstimare vtcumque possimus liberatricis misericordiæ quantitatem. Fuimus *ad Eph. 4.* in populo alienato à vita Dei per ignorantiam, quæ in illo erat, propter cœcitatē cordis illius; vt non fine mysterio psalmus *Psal. 55.* quidā, qui ipsi Dauidi, id est, Christo Domino inscribitur, habeat in titulo, Pro Populo, qui à Sanctis longe factus est. Quod, quia nobis perpetuo memoria retinēdum est, additur. In Tituli inscriptionem, Quia ad perpetuum monimentum inciſa debet esse inscriptio, quod olim profani, & à tēplo, rebusque sanctis omnibus alieni fuimus, vt discamus non superbè sapere, sed humiliter sentire de nobis, magnificè de *ad Col. 1.* Rege nostro, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnū suum.

Tertiò, vt inclinet aurē. *Is. 50.* *Eccl. 3.* *Iob 4.* *S. Greg Moral. 5 c. 2.* Inclinare porro aurem aliquid addit ad id, quod dixerat, Audi. Nam & obedientiam significat, & humilem promptitudinem ad secretiora audienda. Ipse enim Sponsus erigit mane aurem, vt audiamus quasi magistrum: ipse bonæ, attentæque auri, quæ audit cum omni concupiscentia sapientiā, instillat sublimiora, vt purgata auris suscipiat quasi furtiuè venas susurri eius. Venas autē superni susurri auris cordis furtiuè suscipit, ait S. Gregorius, quia subtili-

subtilitatē locutionis intima afflata mēs, & raptim, & occultè cognoscit. Nisi enim se ab exterioribus abscondat, interna non penetrat. Occultatur autem vt audiat, & audit, vt occultetur: quia & subtracta visibilibus inuisibilia conspicit, & repleta inuisibilibus, visibilia perfectè contemnit. Hæc Gregorius. Qui & affert locutionem hanc intimā sciri non posse, nisi à quo haberi potest. Ex quo manifestum est, quæ in hac inclinatione auris interius à Sponso audiuntur, nec narrari, nec intelligi posse, nisi experientia doceat. Nam & de quibusdam discipulis, qui manserunt apud Dominum, vt audirent eum, ait S. Augustinus, Quam beatum diem dixerunt, quam beatam noctem? Quis explicet nobis, quæ audierint illi à Domino? Aedificemus nosmetipsi in corde nostro, & faciamus domum, quo veniat ille, & doceat nos, & colloquatur nobis.]Et Sapiens, Si inclinaueris, inquit, aurem tuam excipies doctrinam. Et rursus, Inclina aurem tuam, & audi verba sapientum: appone autem cor ad doctrinam meam. Ostēdit autem à gustu, & experiētia melius cognosci pulchritudinem eius, subdens. Quæ pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo, id est, corde, & visceribus tuis, & redundabit in labijs tuis. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Vides quid faciat inclinatio auris. Quę profecto necessaria est, vt populum,

Tract. 7. in Io.

Eccl. 6.

Prou. 22.

lum, & domum patris nostri obliuiscamur. Primo enim præcedit auditus. Secundo meditatio, & visus. Tertio inclinatio auris. Primum necessarium est ad alterum, & hoc deinceps ad tertium, Tertium ad reliqua. Ita quodam ordine connexa sunt, quæ Sponsæ suadentur.

Quartò, Vt obliuiscatur populum suum.

Obliuiscere populum tuum, quod magnum est: & domum Patris tui, quod maius, & perfectius. Obliuisci autem dicimur aliquid, cum ita ex animo excidit, vt ne memoria quidem amplius pulset: in quo satis indicatur quam longè ab affectu, & amore antiquæ patriæ Sponsa esse debeat. Non obliuiscetur populum suum, qui linguam, qui mores, qui habitum, qui desideria retinet Patriæ, id est, mundi huius. Si latinus latinè, si græcus græcè loquitur, quomodo oblitus est populi? Ita retinent quidam linguam, & idioma seculi, & moribus patriam repræsentant. Apostolus autem prædicat, In carne enim ambulantes non secundùm carnē militamus. Et alibi, Nostra autem cōuersatio in cælis est. Beatus porro Cyprianus, Quam sublime, inquit, quam capax pectus, vbi talia, & tanta voluuntur? Vbi non nisi Dei præcepta, & Christi præmia cogitantur? Voluntas est illic tantum Dei: & in carne adhuc licet vobis positis, vita iam viuitur non præsentis seculi, sed futuri. Quā multi Patres in Aegypto, in Thebaide, in Nitria, in Palæstina,

2. Cor. 10.

Ep. 16 ex Edit. Pā.

ſtina, & vbique terrarum in deſertis oſtendebant ſe populum ſuum oblitos? Quam multi in medijs populis de mundo ſe non eſſe teſtãtur, ſed ſola inferiori, & ignobiliori parte, ideſt, corpore, in mundo teneri, vitam habere abſconditam cum Chriſto in Deo? Et quidem ad Abraham dicitur, Egredere de terra tua. Parum eſt. Et de cognatione tua. Adhuc maiora audi. Et de domo Patris tui. Patrem aliqui Sancti Diabolum, alij Adamum intelligunt: certè vterque Pater pernicioſus nobis fuit, vterque quàm longiſsimè abijciendus, vt Spõſo placere poſsimus. Iam vide, inquit S. Auguſtinus, Si non debes dimittere Patrem tuum illum, ac populum tuum illũ, & venire ad Regem iuſtum Deum tuum. Deus tuus eſt Rex tuus, & ipſe eſt Sponſus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo ſanata. Quicquid habes, vnde illi placeas, ab illo habes. Hæc ille. Debemus igitur diligenter inquirere, & inueſtigare num in idiomate, habitu, conuerſatione noſtra aliquid redoleat de populo illo, & de patre illo, cùm præſertim ſatis importunum habeamus monitorẽ, ac rememoratorẽ, qui nos illorum penitus obliuiſci non permittat, corpus dico, & paſsiones animæ, quas de patre Adamo traximus. Recurrendum ſubinde ad Sponſum, vt noſtri miſereatur, & dona ſua cuſtodiat, & ad maiora promo-

Gen. 12.

Quintò, Vt obliuiſcatur domũ Patris ſui. *S. Aug. in hunc locũ.*

ueat: miſereatur quando per errorem, aut fragilitatem cõtingat ad priſtinæ vilitatis ruſticos mores redire; & paterna, ideſt, barbara, & incondita lingua loqui. Nã quòd olim Ephratæis euenit, vt Scibboleth dicturi non ſentientes Sibboſeth pronuntiarent: id hodieque non rarò contingit. Tantum materna cõſuetudo poteſt. Dicit quidem Sponſus, & Rex noſter: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Sed ipſe cognouit figmentum noſtrum: & dum agreſtibus interdum moribus patriam, vel nolentes erumpentibus quibuſdam ſignis prodimus, ipſe ad ſe reuerſos Angelorum linguis loqui facit: vt audiat Sponſa, quæ aſcendit dealbata, ſuper Dilectum tamen innixa, vox tua duleis, & facies tua decora.

Iud. 12.

Ezechiel. 16.

Cant. 8. & 2.

13 Et concupiſcet Rex decorem tuum: quoniã ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

QVALIS decor, quanta pulchritudo, vt eam Rex concupiſcat? Vide quid faciat oblitam eſſe populum ſuum, oblitam Patris domum: miram generat pulchritudinem. Vnde & filij Iſraël de tertia manſione, quæ dicitur Etham, ideſt, fortitudo, ad quartam veniunt, quæ vocatur Phihahiroth, quod os nobilium ſonat. Grandis eſt fortitudo AEgyptũ dimittere ait Hieronymus. Quod idem eſt, ac populi

Ex obliuione Patriæ, & Patris decor animæ, & quantus decor.

Hier. ep. 128.

puli sui obliuiſci. Magna planè fortitudo, ſed in Deo faciemus virtutem. Inde tranſgreſsi ad os nobilium aſcendimus, quia, vt ait idem ſanctus Pater, Aſſumpta fortitudine nobilitamur in Domino, & Beelſephon, ideſt, Idoli arcanum contemnimus. Decorem autem animæ, quæ mundum, & viſibilia relinquens, adhæret Sponſo, quis explicet? quam non ſolùm admirētur Angeli; quibus præbet ſpectaculum pariter, & miraculum ſui; vt audiat de ſe loquentes, Quæ eſt iſta, quæ aſcendit delicijs affluens: ſed ipſe etiam Dominus concupiſcat. De hac autē pulchritudine dulciſsimè S. Bernardus, Quid namque eorum, quæ in faciem lucent, ſi internæ cuiuſpiam ſanctæ animę pulchritudini comparetur, nō vile, ac fœdū recto appareat æſtimatori? Quid, inquam, tale in ſe oſtēdit ea, quæ præterit figura huius mundi, quod æquare ſpeciem animæ poſsit illius, quæ exuta terreni hominis vetuſtatem, eius, qui de cælo eſt, decorem induit, ornata optimis moribꝰ pro monilibus, ipſo purior, ſicut & excelſior æthere, ſole ſplendidior? Hanc autem pulchritudinem ex conuerſione ad Sponſum induit, quia auerſa ab eo ſtultè, ac miſerè viuebat, quæ eſt eius informitas. Formatur autem, cum conuertitur ad incommutabile lumen ſapientiæ, Verbum Dei, qui eius Spōſus eſt, cuius ſimilitudinem ex adhæſione induit. De hac egregiè S. Macarius

loco cit.

Cant. 8.

Ser. 27. in Cant.

1. Cor. 7.

Decor animæ ex cōuerſione ad Spōſum.

Hom. 1. rius AEgyptius. Anima, inquit, quæ illustrata est à decore inenarrabilis gloriæ ei⁹, cum præparauerit eam sibi in sedem, & domicilium, tota lumen euadit, tota facies, tota oculus. Et post pauca, cum de Sole, & igne similitudinẽ attulisset, subdit significantissimè. Sic & anima, quæ plenè illustrata est ab illa ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Christi (perpende verba) & Spiritu sancto repleta, ac digna, quæ fieret domicilium, & thronus Dei, tota oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota spiritus euadit. Nempe sic eam adornante Christo, gestante, regente, baiulante, & ducente illam, & hunc in modum illam instruẽte: & spiritali decore adornãte. Adornatur autem & fit tota lumen ad interiora semper se extendens, & subinde quicquid tenebrosum, & imperfectum supereſt, deponens, vt de claritate in claritatem, de minori ad maiorẽ, de inferiori ad sublimiorem proficiat perpetuò. Nõ enim locis aut passibus accedit ad Sponsum, sed claritatibus, ipsisque non corporeis, sed spiritualibus tanquàm à Domini spiritu, à Domini planè, & nõ à nostro, quamuis in nostro. De hoc Apostolus ipse, Reuelata facie, inquit, gloriam Domini speculantes in eandem imaginẽ transformamur à claritate in claritatem, tanquàm a Domini spiritu. Speculantes autem, ideſt κατοπτριζόμενοι, significat susceptam in se imaginem

Bern. ser. 31. in Cantic.

2. Cor. 3.

ginem, atque splendorem tanquam speculum repręsentare. Quod S. Chrysostomus ibi, eleganti exemplo de argẽto perpolito explicat ad solis radios expositio. Sic anima, inquit, repurgata, & argẽto facta lucidior accipit radiũ à gloria spiritus, & hunc vicissim à se remittit. Eoque dicit, scilicet Apostolus, speculantes secundum eandem imaginem transformamur. Vide ergo diligenter quàm politum debeat esse argentũ, quàm studiosè tersum, ne quid resideat, quòd radiorum perceptionem, & cõsequenter emissionem impediat. Sic enim si tuam ignobilitatem, & maculositatẽ illius munditię contemperari non posse cognoueris, flere dulce habebis, eumque deprecari, vt etiam atque etiam misereatur, donec exuas totam miseriam. Cęterùm vt ex radijs Spõsi valeas illuminari, & speculum tersum oportet esse, & ad radios directum assiduè, & nihil interponi medium, quod impediat. Caue tibi anima, examinate, & circumspice diligenter, perpurga sine intermissione, dirige te totam, & intende in decorem, & claritatem vultus eius, qui tuam speciem concupiuit. Ipse enim & facit eam, vt concupiscat, & concupiscit, vt faciat. Hom. 7.

Sed quis concupiscit? Non enim quilibet Rex, sed ipse est Dominus Deus tuus, ideſt, ipsa pulchritudo, quæ omnibus pulchritudinẽ sui participatione impertiat. Cur Spõsus hic vocetur Dominus.

Quis

Deus Spõsæ. Quis non hic Christum, quem prædicamus: & in quem credimus, quamlibet sit tardus agnoscat? ait S. Augustinus. Agnito autem Rege Christo, iam cætera, quæ hic tropicè dicta sunt, quomodo sit speciosus præ filijs hominum quadam tãto magis amanda, atque miranda, quãto minùs corporea pulchritudine: quis gladius eius, quæ sagittæ, & cætera isto modo, non propriè, sed tropicè posita inquirat exotio. Sed quòd ait, Quoniam ipse est Dominus Deus tuus, præter reuerentiam, & horrorem, quem incutit, præter cognitionem nobilitatis suæ, quæ tanto Sponso coniuncta est, præter agnitionem pulchritudinis, & speciei, quam inde contraxit, quam visitans iuxta beatum Iob, idest, diligenter inspiciens, & perscrutans, non peccabit, quia cauebit, ne fœditatem in tanta gloria cõtrahat, est & aliud perspiciendum, quòd adnotauit Chrysostomus, Nimirum hoc nomine, quod Deus est, valde vrgeri Sponsam, vt seiungat se ab illis omnibus, quæ obliuiscenda præmonuit, seque ipsã totam illi dedicet, intelligatq; magnam, & iustissimã esse causam, cur id præciperet, vt populi, & patriæ domus obliuisceretur. Neque dixit, quia ipse est Pater tuus, aut quiduis aliud, sed Dominus Deus tuus, vt hac ratione maximè eam feriat. Quoniam qui est Dominus, & Pater tuus, voluit quoque Sponsus fieri: imò illud ipsum factum esse

de Ciui. li. 17. c. 16.

Iob 5.

Chrysosto. in hunc Psalmũ.

esse dominum, summæ est benignitatis, & clementiæ. Quid est homo, ait Propheta, quia innotuisti ei? Si ergo solum innotescere homini obliuioso, & vilissimo tanta dignatio est, quanta tandem erit & Dominum, & Patrem, & Sponsum esse voluisse? Mihi verò & singulare aliquid in hoc verbo videtur significare voluisse. Vt, quoniã Sponsum Regem cum eo, quòd Dominus est, & Deus, non sine mysterio coniunxit, moneat occultè, imò satis apertè illam, ne ita Spõsum amplectatur, vt Dominum, ac Deum esse obliuiscatur. Quare, vt ei debitus reddatur honor, affectus misceat reuerentiæ, & amoris; sic eum diligens casto, ardentique amore, vt cum reuerentia, & tremore eidem seruiat. Quem locum acutissimè simul, ac suauissimè tractat S. Gregorius explicans illud adorare, & immolare, quod de parentibus Samuelis dicitur. Quisquis, inquit, diuinæ contemplationis arce sustollitur, in illa cuncta illuminante luce respicit, & quod se mirabiliter terreat, & quod ineffabiliter delectet. & post quædam pulcherrima. Tunc quippe adorat, cum cõsiderata illa immensitate omnipotentiæ, sic conditori summittitur, vt cõtra spiritalem conuersationem carnalis cõcupiscentiæ impulsibus non leuetur. Adorãs autẽ immolat, quia, quo humilius diuina veneratione prosternitur, summæ claritatis illius blandimento suauiùs refouetur.

Ps. 143.

lib. 1. *c.* 2. *in* 1. *Reg.*

Adorare

Adorare igitur ascendenti, est diuinæ omnipotētiæ magna casti amoris veneratione submitti: immolare verò diuinæ lucis suauitate ineffabiliter delectari. Hæc ille. Sed vide sequentia melliflua omnia.

13. Et adorabunt eum. Alij, Et adorabis eum.

VTrumque conuenienter. Nam si Deus agnoscitur, ab omnibus adorādus est, & ipsa singulari modo, quē Sponsū amat, adorat Deum. Sed dum legitur, adorabunt, cum non dicatur vt alibi. Omnes gentes venient, & adorabunt: vel, Omnes populi, tribus, & linguę ipsi seruient: aut, Adorabunt eum omnes Reges terræ sed indefinitè, Adorabunt, indicatur non solū filios hominū, sed & astra cœli, quæ iubilant coram eo, imò omnes exercitus Angelorum adoraturos. Nam omne genu flectitur coram eo cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua collaudat, & benedicit, & adorat. Si verò legatur, Adorabis, magnum mihi quoddam videtur innui beneficium. Nam quæ verè Deo, vt Sponsō coniuncta est, quæ illi casto inhærens amore ex eo suspenditur, & singulari modo excellenter adorare dicitur, & ex ea adoratione insigne consequitur donum. Hac enim puritate mentis, & firma adhæsione sensu mentis absorpto, ac de terreno situ

Pſ. 145. Dan. 7.

Pſ. 71.

Ad Philip. 2.

Perfecta Sponsæ adoratio.

Caſſ. col. 9. c. 5.

situ ad spiritalem, atque Angelicã similitudinem reformato, quicquid tractauerit, quicquid egerit, purissima, ac sinceriſsima erit oratio. Vides quam meritò moneatur anima, vt & obliuiſcatur antiqua, & propria, & Sponſum ſua pulchritudine oblectet; quò fit vt & illum debita adoratione proſequatur, & ſibi incredibilia lucra conquirat. Nam ex ea adoratione, vt monet Nebridium S. Auguſtinus, fit in homine nihil timere, fit & ſolidum gaudiũ nullis omnino lætitijs vlla ex particula cõferendum. Quod ſi in naturam humanam talis vita non cadit; cui aliquando euenit iſta ſecuritas, cur tantò euenit crebriùs, quantò quis in mentis penetralibus adorat Deũ? *Ep. 116.*

Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.

IN Hebræo eſt particula כִּי quæ licet plura ſignificet, nihil tamen hoc loco poteſt congruere niſi cauſalis ſignificatio, quoniam, quando, vt noſter tranſtulit. Sed quæ nam ex prædictis nũ proxima, an ſuperiora reſpiciat, non apparet. Poteſt tamẽ ad ſuperiora referri, vt ſit cauſa, quare obliuiſci debeat populi, & domus paternæ: quod meritiſsimè eo ſuadetur, Quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus. Idque, vt ſupra diximus, Chryſoſtomus videtur innuere. Sin autem referatur ad proxima, Concupiſcet Rex decorem tuum, quoniã ipſe

Concupiſcit Deus decorem animæ, quem ipſemet efficit.

ipse est Dominus Deus tuus, difficiliùs quidem intellectu est, sed sapori dulciùs. Puta ergo Prophetam sic alloqui Ecclesiã, vel animam, ne tibi blandiaris ô Sponsa, quod ad tãtam pulchritudinem, tantũque decorẽ prouecta sis, vt te Rex concupiscat: ne sublime sapias, aut te ex te magnum aliquid esse præsumas; ne & de te dicatur, quod de aliquo scriptum est, Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapiẽtiã in decore tuo. Nam decor, si animũ extollat, vnde à Sponso distrahatur, & perdit sapientiã, & perditur ipse. Cõsidera itaque, qui concupiscit decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus, & videbis solùm esse illum, qui non vt ceteri, diligat. Amãt enim alij, quod bonum, pulchrumúe inueniunt, at iste non quod inuenit, sed quod facit. Vnde & Emmanuel nobiscum Deus dicitur reprobare malum, vtique auferendo, & eligere bonum, non quod in mũdo inuenerit: sed, quod non aderat, faciendo. Ita sanè, & pulchritudinem tuam concupiuit, sed quam ipse creauit, non quam inuenit. Vnde & per Ezechielem ad te dicit, Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te.

Ezech. 28.

Isa. 7.

Ezech. 16.

14 Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

ALIQVI

ALIQVI ita connectunt, Ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum filiæ Tyri in muneribus, expuncta coniunctione, &. Verum etiamsi cum ea particula legatur, commodissimè annectitur, vt sit emphasis, & adorabunt eum etiam filiæ Tyri, quæ ab eo cultu, & religione maximè videbantur alienæ. Siue autem dicatur filia Tyri in numero singulari, vt legit D. Hieronymus, siue filiæ in plurali, vt nos habemus, perinde est. Nam & filia Hierusalem, & filia Babylonis, quæ alibi in scripturis leguntur, Ciuitates ipsas designant, & Filiæ dicuntur hebræo idiotismo villæ, seu oppida Ciuitatibus subiecta. Itaque perinde erit, ac si dicatur Ciuitas ipsa Tyri cum subiectis vrbibus. Ipsa ergo adorabit Dominum cum muneribus, quemadmodum de AEgypto dixit Isaias. Cognoscēt AEgyptij Dominum in die illa, & colent eum in hostijs, & in muneribus. Quod autem pro vniuersa Gentilitate Tyrū specialiter nominauerit ea fortè ratio fuit, quod Ciuitas illa Emporium erat nobilissimum, & Hierosolymitanæ Ciuitatis æmula. In hoc autem tria mihi considerāda videntur, quæ ad præsentem explicationem faciunt.

Isa. 37. *Ps. 13.*

Isa. c 1.

Mentio fit nominatim Tyri.

Primùm ipsa Tyri insignis pulchritudo, & frequentia, de qua latissimè Ezechiel, Quomodo (inquit) perijsti, quæ habitas in mari vrbs inclyta, quæ fuisti fortis in

Primò, ob nobilitatem Vrbis.

mari

mari cum habitatoribus tuis, quos formidabunt vniuersi. Et, ô Tyre, tu dixisti, perfecti decoris ego sum, & in corde maris sita. Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum. Et plurima quæ in commẽdationem illius vrbis, cuius ruinam prædicit, magnificè fere toto cap. 27. prosequitur: vt & in cap. 28 cum ad ipsam vrbem, & Regem sermonem, & comminationem vertit. Certè Oseas illius pulchritudinem inuens, Ephraim (inquit) vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine. Quoniam ergo tam celebris erat Tyrus, tam diues, tam potens, tam munita, tam populo plena, tam multis nauibus, & mercatorum etiam externorum copia ornata, assumitur nũc in vsum adorationis, & subiectionis Regis huius nostri, qui homo Deus est, vt non ostendatur nullam nõ potentiam, & nominis celebritatem huic Regi futuram subiectam, quem allatis etiã muneribus venerantur.

Ezech c. 26. & 27.

c. 28.

Osee. c 9

Secundò ob insignem impietatem.

Secundò non solum magnitudo, & celebritas vrbis, sed impietas, viuẽdi licentia, & idololatria, qua maximè laborabãt, cõsideranda; vt appareat gentes, quæ vel maximè à cultu Dei, & eius adoratione ob cœcitatem cordis abhorrebãt, futuras supplices, eumque magna animi demissione ac pietate adoraturas, opesque illi suas, & superbiam subiecturas. De qua re mirificè Dei potentiam, atque sapientiã declarante,

rante, quæ omnia sibi suauissimè subiecta facit, vt iam ostendimus, videtur Isaias prophetasse, dum de pœnitentia, & humiliatione totius orbis sub nomine Tyri agens, Visitationem (inquit) faciet Dominus Tyri: & iterum restituetur in antiquum, (nimirum, quia vt eo loco ait S. Hieronymus) & de ipsa dicitur, Obliuiscere populi tui, & domus Patris tui, & adstitit, vt Regina à dextris Sponsi in vestitu deaurato circundata varietate. & subdit Propheta, Et erit negotiatio eius, & merces sancta Domino. Sed non ipsis congregabitur, sed his, qui habitant coram Domino. Merces enim, & labores non illi Tyro congregabuntur, quæ superba, & Idolis dedita erat, sed ijs, qui habitāt coram Domino, cum felici commutatione ad Ecclesiā transferentur, quæ mamilla Regum lactabitur, & Reges nutricij illius erunt, cum antea deserta, & humiliata posita fuerit in superbiam seculorum. Et fortasse hāc misericordiam, & commutationem illud occultè signabat, quod ad templum vel construendum tempore Salomonis, vel reparādum tempore Esdræ, Tyrij, Sydonijque pulcherrimas cedros, atque abietes contulerunt: vt esset indicium sic tēplū Domini, id est, Ecclesiam Christi ex gētilitatis muneribus, & oblationibus, imò ipsismet gētibus, licet antea impijs, tanquam lignis imputribilibus, & odoratis exædificandū.

c. 23. ex versione S. Hieronymi.

Isai. 60. & 49.

Tertiò ob felicem cōmutationem.

Tertiò Considerandum nomen Tyrus; quod hebraicæ dicitur Zor, quod & petram, & angustiam significat: quæ petra, si de fortitudine situs illius ciuitatis, quæ supra scopulum fortissimum posita in mari erat, accipiatur, iam dictum est; sin autem vt petra duritiam cordis significat, id quoque iam diximus, quàm suauiter illam emolliat Sponsus Rex dum supra tractauimus verba illa, Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum Regis. Si verò accipiamus vt sonat angustiam, iam in hoc pulcherrimè intermicat psalmi titulus. Pro ijs, qui commutabuntur. Nam ex summa cordis angustia, qua sibi ipsis solum placebant, omniaque ad se referebant, iam nunc felici commutatione in latitudinem cordis, quasi arenam, quę est
3 Regi 4. in litore maris à Rege educti omnia sua Deo offerunt. Vidimus AEthiopissam mutasse pellem suam, & ascendisse deal batam, quod Moses facere non potuit.
Num. 12. Sed ecce plusquam Moses hic. Vidimus oblitam populi, & patris, assumptam in Sponsam fuisse. Vidimus nudam & con fusione plenam in vestitu deaurato circu datam varietate. Vidimus abiectam, & proiectam super faciem terræ adstitisse dextris Regis. Nunc cernimus angusti corde, & suis tantum commodis olim ser uientes, qui nec opera, sed nec cogitatio nes quidem Domino offerre volebāt, iam

omnia sua, seque ipsos integrè Deo offerre, ac penitus dedicare, & tradere. Vides quam suauis, quam mira, quam amplectenda commutatio, de qua manifestè in titulo præmonemur. Dixi autem (cum de muneribus tantum in genere psalmus loquatur) se ipsos, ne dum sua omnia Deo offerre, & tradere, quia cetera omnia munera non acceptat Sponsus Rex, si te ipsum non obtuleris. Audi S. Gregorium Nazianzenum. Non apparebis (inquit) in conspectu meo vacuus: verum si quid pulchri habes, tecum feres: at nunc diuerso modo nouus appare, sic nempe, vt totus immuteris. Vetera transierunt: ecce facta sunt omnia noua: huic ferto muneris loco, præclaram mutationem offer: ac ne sic quidem magnificè de te sentias. Verum dic cum Dauide, Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Et alibi idem Pater manifestius, nullum nos posse gratius Deo munus offerre, quã si nosmetipsos, imagini imaginis decus reddentes, hoc est, Christo qui est imago Patris, nos, qui ad eius imaginem facti sumus, per eius similitudinem ad decus reformatos deferamus. Atque vt maius aliquid dicam (inquit idem Pater) omnibus horis, animique agitationibus nosmetipsos Deo immolemus: omnia pro Verbo excipiamus, passionibus passionem imitemur, sanguine sanguinem honoremus.] Hæc ve-

Non accipit munera Deus, nisi te simul offeras.

Or. 43. in no dom.

Or. 1. de Pascha.

Or. 42. quæ est de Pascha.

rè mutatio dexteræ Excelsi, hæc munera largitatis tuæ sunt, atque potentiæ IESV benignissime, vt filias Tyri, & angustissimi cordis, oblitas amoris proprij, qui animam verè coangustat, in muneribus, ijsque præclaris facias ad te currere.

Oblatio grata Deo explicatur ex oblatione panum propositionis *Leu. 24.*

Quæ oblatio, quoniam quotidie renouanda est, quotidie perficienda, mihi miro modo per panes Propositionis significata videtur. Libet enim in hac Meditatione, quæ dulcissima est, diutius immorari. Sic autem iusserat, Accipies quoque similam, & coques ex ea duodecim panes, qui singuli habebunt duas decimas, quorum senos altrinsecus super mensam purissimam corã Domino statues, & pones super eos thus lucidissimum, vt sit panis in monimentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coram Domino susceptí à filijs Israel fœdere sempiterno. *Exod. 25.* Et quoniam longum esset omnia persequi, quæ & hic, & in Exodo de eiusmodi panibus propositionis habentur, aliqua tantum attingam, quæ facile ostendant, quam cara sit Domino sui ipsius oblatio, & quam à nobis diligenter ei reddenda sit, à quo habemus vt simus, & sancti simus; vt aliquando ab eodem, & in eodem beati esse possimus.

Quæ considerandaa in pani.

Primò igitur aduertendum est Panes huiusmodi non ex quauis farina, sed ex similà, id est, pretiosissima parte tritici cõfici-

fici. Deinde non erant parui, aut consuetæ bus pro-
mensuræ panes, sed habebant singuli duas positio-
decimas Ephi, id est, libras octo, quæ pa- nis.
nis insignis est magnitudo. Tum verò, &
fieri, & coqui debebant à solis Sacerdoti-
bus, & si vera est Hebræorum traditio, quã
refert Hieronymus in Malachiam, vt ipsi- c. 1.
met Sacerdotes non solùm facere, & co-
quere panes, sed & triticum ad eam rem
serere, metere, molere deberent, satis ap-
paret quàm mundos esse, & sanctos eos pa-
nes vellet Dominus, quos etiam in loco
sancto comedendos statuit. Per singula
sabbata mutabantur, & antiquis sublatis
proponebantur panes calidi. Appellaban-
tur autem Panes Propositionis, quos Se-
ptuaginta Prothesεos vocarunt: Hebraicè
autem vocantur Panim, id est, facierum,
siue faciei. Nam vox illa Hebræis singula-
re non habet. Imponebantur autem super
huiusmodi panes duæ phialæ aureæ thure
lucidissimo plenæ: ipsi verò Panes intra
Sãcta, non longè ab altari Thymiamatis
ad sinistram super mensam collocabantur,
ex lignis Setim pretiosis, & imputribilibus
confectam, auro purissimo circumtectam,
quæ habebat in summitate coronam item
auream interrasilem. Sic enim appellat
Scriptura. Quæ omnia si diligenter per-
pendantur, manifestè indicant quanta, &
quàm sacra sit oblatio, qua integrè se se-
quisque Deo consecrat.

Quas cõditiones nostra oblatio habere debeat ad similitudinem panum propositionis. *Eccl.* 31.

Primùm itaque ex præcipua, & nobilissima nostri parte oblatio faciẽda est; intellectu scilicet, & voluntate, vt nõ modò in rebus fidei, sed etiam in disciplina, & voluntate Domini bona auris audiat cum omni concupiscentia sapientiam. Voluntas verò, vt ait S. Macarius AEgyptius ita se macret, & sale, atque igne se condiat, vt totam se in holocaustum suo consecret Creatori. Erant autem huiusmodi panes non consuetæ magnitudinis, sed magni. Quippè Deo offerebantur. Quam ob causam ita S. Bernardus fratres alloquitur, Opto igitur, & omnibus modis cupio, vt & paruulos, & magnos, imò, vt plus mireminí, nihil aliud quàm grande aliquid ei, id est, Deo, vos exhibere curetis. Et S. Augustinus Temperantiam verè religiosam amorem esse definiuit, integrum sese Deo castumque custodientem. Audis integram oblationem, audis se totum, audis magnum aliquid Deo offerri, & dubitas mutationem esse factam, vt filiæ Tyri in muneribus adorent.

Ser. 5. *in dedic. Ecclesiæ.*

S. Aug.

Iam verò quod à solis sacerdotibus fiebant, & in loco sacro comedendi erãt, Deus bone, quantam munditiam, quantã sanctitatem in hac oblatione insinuant? Non enim quicquam in ea participare immũdis licet, id est, malignis spiritibus, qui sẽper aliquid ex nostra oblatione decerpere, & furari contendunt, quà decipientes, quà deterren-

deterrentes, quà spōsionis nostræ obliuionem curantes. Sit sanctus qui offert, sit fidelis, sit peruigil: &, cum se ipsum offerat, quia idem est offerens, & quod offertur, videat vt & id omnī ex parte purū sit.

Et quoniam fragilitas nostra maxima est, & illa solum mens, vt ait S. Gregorius nescit per torporem veterascere, quæ semper inchoare studet quotidiana innouatione feruoris, necesse est vt per singula sabbata ponantur panes calidi. Nobis enim sabbatum semper est, quibus feriandum à sensibilibus indicitur: quibusque & beneficiorum Dei, & oblationis nostræ perpetuo renouanda memoria est, ne volumine temporum, vt ait S. Augustinus, ingrata subrepat obliuio. Itaque remotis prioribus calidos panes apponere, est noua sancta desideria oblationesque nostras igne sancti Spiritus ardentia continenter offerre. *S. Greg. l. 22. Mor. c. 2.* *S. Aug.*

Dicebantur autem Propositionis, quia proponebantur in memoriam, & gratiarū actionem Deo. Faciei verò, quantum arbitror, non solum, quia in conspectu Domini ponebantur, sed etiam, quia ipse pro sua benignitate ita ad ea munera hilarem faciem conuerteret, vt semper eorum conspectu lætaretur. Quod nostris muneribus maximè conuenit. Nam si respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, & propter vota, & deuotionem offerentis munera ipsa respexit: at quæ munera? De primogeni- *Gen. 4.*

tis (inquit) gregis sui, & de adipibus eorum: quanto pretiosior nostra oblatio est, quæ non de adipibus ouium, sed de summa nostri parte, imò de totis nobis, totis votis oblata est? Vt proinde vehementer nobis lætandum sit, quòd eam oblationē exiguam quidem illam, & de manu illius acceptam, sed tamen integram, eique placentem, ita accipit, vt & iugiter aspiciat clementiæ oculis, & quasi magnum aliquid obtulerimus, oblationem faciei suæ nominet. Gaudet enim, & collætatur nobis, cum benè fecerit nobis: & ipso aspectu talis oblationis mirificè delectatur. Quis non ergo se totum Deo consecret? Quis non curet perpetuò illi panes faciei offerre, qui non crescit ex redditis, (vt S. Augustinus ait) sed potiùs in se reddentes crescere facit? S. Aug.

Phialas verò aureas lucidissimo thure plenas quis non videat mētem significare purissimam, quæ thus lucidissimū, id est, Orationes sanctas, meditationesque diuinas perpetuò suis oblationibus superponit. Nec opus est de thure plura dicere, cuius Scripturæ varijs in locis semper pro Orationibus Sanctorum, & cælestibus desiderijs meminerunt. O quàm deplorandū, quod ij, qui se totos Deo obtulisse gloriantur, tam insulsè, & frigidè, tam humilibus conceptibus, ac tam parum diuinis affectibus distinentur, vt dicere non valeant,

leant, Odoretur Dominus sacrificium in odorem suauitatis, cùm in thuribulum illud aureum, quo Angelus iuxta Ioannis visionem Deum adorat, illi Sanctorum vota offerens, incensum imponere aut nesciant, aut negligant. Apoc. 8.

Mensa autem, in qua panes superponebantur, non longè aberat ab altari Thymiamatis, vt etiam sic ostenderetur, quam eiusmodi oblatio coniuncta sit cum altari, vbi Thymiama incendebatur. Vix enim oblatio sui ipsius perfecta esse potest, nisi continua diuinarum rerum meditatio, & contemplatio assidua habeatur, quod Thymiama significat. Sed erat mensa de lignis Setim propter elongationem ab omni putredine, carie, & vetustate; sed auro purissimo circumtecta, quia oblatio ipsa caritati, quæ per aurum signatur, solidè innititur, alioqui frustra homo nititur. Caritate fulcitur, sustentatur, seruatur, ornatur. Itaque super huiusmodi mensam, quæ firmitatem, imputribilitatem, & caritatem ostendit, panes collocandi sunt.

Nec desit mensæ corona etiam aurea, quæ & continet ne panes diffluant, & simul ornamento est. Videat ergo quisquis panes faciei, id est, se ipsum offert, vbi, & qualem, & quam firmam, & quam splendidam constituat mensam. Videat vt coronam habeat, quæ hebraicè clausura appellatur, quod metem custodiat, & claus-

dat: ne & de ipso dicatur, quod per Mala-
Mal. c. 1. chiam conqueritur Deus. Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur contemptibile est. Nec mysterio vacat, quod corona illa interrasilis fuisse describitur, quod significat inter varias cælaturas, & quasi emblemata variarum virtutum in splendore Sapientiæ, & auro caritatis micantium, quæ sunt veluti anaglypha opere cælatorio, media esse, plana, & lęuia, nulla figura cælata: quia scilicet inter medias eiusmodi virtutes simplicitas appareat necesse est, aurea illa quidem, & pretiosa, sed plana, & lęuis.

Sin autem mensam auream Christum Dominum accipiamus, sicut & altare, quod es ante conspectum Dei, vbi adoletur incensum, satis ostenditur omnem nostram oblationem, omnem virtutem, fiduciam omnem, & firmitatem in Christo esse ponendam. Qui enim non super illum offert, acceptam Deo Patri oblationem offerre non potest. Quod si etiam primo modo mensam auream accipiamus, etiam sic vox Dilecti, siue amantissimi (quod titulus innuebat) manifestè in nostro profectu, ac sacrificio, & commutatione auditur: Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis non obscurè cōspiciuntur, quia omnis nostra virtus, splēdor omnis, & omnis firmitas (quæ cum nostra est, infirmitas est) ab illo est. Et, vt finem tandem de

huius-

huiusmodi panibus dicendi faciam, possunt suauissimè multę adinueniri dissimilitudines inter panes illos, & nostrā oblationem, quas inuestigare non erit difficile, si opponatur materialitas spiritualitati, mensura mensuræ, Sabbatū Sabbato, calor calori, mensa mensæ, corona coronæ, & innumera alia, quæ cuilibet meditari in promptu est. Id tamen vnum omittere nō possum, quod maximè ad rem faciat, quod scilicet panes illi, quales quales, offerebantur quidem Deo, sed ab eo non comedebantur, sed ab hominibus Sacerdotibus: nostri verò panes, id est, mens, ratio, voluntas, potentiæ omnes, & nos ipsi à Deo comedimur, illique incorporamur, vt merito exclamarit D. Ambrosius, Quanta Domini gratia, vt nos in suo ore cōstituat, & quasdam meritorum nostrorum epuletur dapes, ac, si meremur, deuoret, si nostri cibi suauitatibus delectetur? Beatus, quem sapientia deuorauerit, quem virtus hauserit, quem iustitia receperit. Fieri autem per Dei zelum, ac feruorem docuerat, vt cibus idoneus ori Christi efficeremur, cum diceret. Hic est Dei zelus, hic est fidei vapor, deuotionis feruor, qui nos velut suauem cibū in Christo remollit, ac format. Quò nimirum æstu vrgebatur Beatissimus Martyr Ignatius, cum clamabat, Frumentum Christi sum: dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Et S. Paulinus,

Dei cibus qui Deo se dicant.

Ser. 18. in Ps. 118.

Epist. ad Rom.

Epist. 6. ad Sen. linus ad Seuerum ; quo diuino pane vescamur in æternum, molendum ait in huius mundi pistrino triticum bonum, quòd est obedientiæ fidelis operatio, & caritas in corde puro, & fide non ficta. Et addit. Qua gratia, & virtute cum plenus sis bonam Deo frugem molis, teque ipsum in azymis sinceritatis, & veritatis epulandũ Deo exhibes : cuius esca est quisquis voluntatem eius efficiens, in corporis ipsius membra conuertitur, dicente ipso, Quia qui se iungit Deo, spiritus vnus efficitur. Distinctius autem Bernardus, quomodo hæc manducatio àDeo fiat, vt intimè cum illo vniamur, edocet. Mandor, inquit, cum arguor ; glutior, cum instituor ; decoquor cum immutor; digeror, cum trãsformor; vnior, cum conformor. Igitur cum arguit nos intus, nostrasque maculas, & defectus nobis indicat, initium dare dicitur mãducationi: cum autem nos instituit, & docet, quibus gradibus, quibusue passibus ad perfectiora tendamus, tum glutire : cum autem immutat, quasi diuino calore conficiens, tunc decoquere : si verò ad interiora tendentes etiam transformet, vt quasi non iidem simus, qui antea eramus, dicitur nos digerere : vnit autem, & in se omnino transmutat, cum sibi cõformat Felix anima, quę huiusmodi claritatibus de virtute in virtutem proficiens Spõso perfectè vnitur in eandem imaginem trãsformãta.

Ser. 71. in Cant.

14. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.

VOX Hebræa פנים ostendit non vilem solum plebeculam supplicem futuram, quòd ferè per plebis vocem intelligimus, dicente Scriptura, Percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis; sed dè vniuersa populorum multitudine ditissimos quosque populos deprecaturos vultum eius. S. Basilius, & alij nonnulli, cùm fateantur sermonem dirigi ad Ecclesiam, putant faciem Ecclesiæ esse Christum Dominum, sicut est caput. Hāc ergo faciem, seu vultum ditissimos, ac nobilissimos omnes deprecaturos. Quòd etsi verissimum est, tamen planior, & expeditior sensus erit, si de ipsa Ecclesia, vel de Beata Dei Genitrice intelligamus. Nam vultum deprecari Hebræa phrasi, idem est atque deprecari personam: sed quandam emphasim, & venerationem addit. Vt illud Psalmi, Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo. Et Malachiæ 1. Deprecamini vultum Dei. Et vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius. Si ergo intelligamus de Ecclesia ostenditur eam & propter insignem pulchritudinem, & propter propinquitatem ad Regem, à quo in Sponsam assumpta est, & propter munera, quæ illi ab omnibus deferūtur, tùm propter impetra-

1. Reg. 6.

Vultus nomine quidam Christum intelligunt.

Melius Ecclesia intelligitur.

Psal. 138.

3. Reg 24.

tionem beneficiorum ab ipso Rege, à cũctis populis honorari. Sancti Augustinus, & Hieronymus aiũt vel propter munera, & insignes diuitias, quas Reges, & Principes illi ex deuotione obtulerunt, vel propter scientiam, & sapientiam, quam Philosophi, & doctissimi quique in eam trãstulerunt, hoc & verissimè dici, & experientia comprobari.

Potest & B. Virgo intelligi.

Sed de glorioſissima Dei Genitrice, & suauiùs accepimus, & frequentissimè experimur: in cuius etiam laudes id Ecclesia canit. Huius autem deprecationis non vna est causa. Faciunt enim id fideles omnes. Primùm ob insignẽ pulchritudinem, & solis amictum, stellarumque ornatum in corona, quibus eam filius decorauit, ita vt iam & ipsa cælestis Patria, quod ait S. Bernardus clariùs rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Vt, quantum humanæ naturæ conditio absque personali Dei vnione patitur, luci illi inaccesibili penitus videatur immersa. Quod ait Petrus Damianus.

Quã omnes precãtur. Primũ ob dignitatem eius.

Bern. ser. 1. in Assumpt.

Faciunt secundò, ad impetranda innumera beneficia, quibus assiduè indigent. Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, inquit Bernardus, misericors est. Denique mater est vnigeniti filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè aut non creditum

Secundò ob gratiã impetrãdi beneficia.

Ber. ibid.

ditur Dei filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest omninò in affectum caritatis transisse Mariæ viscera: in quibus ipsa, quæ ex Deo est, caritas nouem mensibus corporaliter requieuit. Quare idem Sanctus concludens sermonem in verba Apocalypsis, Signum magnum apparuit in Cælo, cum per Lunam sub pedibus intellexisset Ecclesiam, his verbis dulcissimè Deiparam affatur. Iam te, Mater Misericordiæ, per ipsum sinceriſsimū tuæ mentis affectum tuis iacens prouoluta pedibus Luna, Mediatricem sibi apud sedem Iustitiæ cōstitutam deuotis supplicationib⁹ interpellat, vt in lumine tuo videat lumen Solis, gratiam tuo mereatur obtētu; quam verè amauit præ omnibus, & ornauit, stola gloriæ induens, & coronam pulchritudinis ponens in capite tuo. Plena es gratiarum, plena rore cæleſti, innixa super Dilectum delicijs affluens. Hæc ille. Quot sūt ergò miseriæ, & necessitates nostræ, quæ innumeræ, & sine cessatione sunt, tot excitamenta putanda sunt, quibus ad deprecandum vultum illius compellimur. Nec vox illa, diuites, aut elatos faciat, aut negligentes. Scimus enim quibus dicitur, Dicis quod diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus. Quod si etiam aliqui per filij ipsius gratiam virtutibus diuites sint, non tamē

Apoc. 12.

Apoc. 3.

deest

deest vel vnde paupertatem suam agnoscant, vel vnde spoliari timeant, vel vnde copiosius ditari appetant. Est tamen eo Virginis Reginæ gloria maior, quod non modo egeni, ac viles, sed locupletissimi quique inter sanctos populos eā maximè venerantur, & gratiam vultus eius, & patrocinium quodammodò supplicitèr ambiunt.

Tertiò vt oblationes hominũ viles ipsa Domino offerēs gratiores faciat. *Serm. de Natiu. B. Mariæ in fine.*

Est & alia ratio serenissimi vultus deprecandi, vt nimirum paupertatis nostræ oblationes, quæ exiguæ sunt, nec ita diuinos oculos oblectare valent, per manus huius præcellentissimæ Reginæ summo Regi oblatæ magis placere possint. De quo egregiè S. Bernardus. Cæterùm quicquid illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem alueo ad largitorem gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neque enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet, sed tibi vehiculũ voluit prouidere. Fortè enim manus tuæ aut sanguine plenæ, aut infectæ muneribus, quòd nõ eas ab omni munere excussisti. Ideoq; modicum istud, quod offerre desideras, gratiosissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendũ tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sũt, nec caussabitur ille liliorũ amator inter lilia non inuentum quicquid illud sit, quod

inter

inter Mariæ manus inuenerit.

15 Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietatibus.

FORTASSE filiam Regis appellari quis putet, quoniam Reges non nisi Regum filias Sponsas ducere solent. Sed cuius Regis poterat procreatione nobilitari, quæ de Patre Amorrhæo, & Matre Cethæa, & infima, atque vilissima propagine assumpta est, vt vidimus? Nisi fortè dicas ex Patre laudari, non à quo genita, sed à quo in filiam sanctificata est, & assumpta, & in sponsam electa. Quia enim tam ingentia sunt Dei dona, tam incomprehensibilia cælestia munera, vt nullis vocibus, aut significationibus explicari valeant, diuersis similitudinibus Scriptura sacra, quasi per minutissimas partes amplissimam picturā subindicat, & quasi digito demonstrat, nunc ergo ab ægritudine, & vulneribus ad sanitatem translatam indicat: nunc de paupertate ad ingentes thesauros euocatā: nunc de seruili conditione ad regium thalamum euectam: nunc de fœditate ad inæstimabilem pulchritudinē reformatā, & innumera huiusmodi, quæ pro meritori affatim influent. Itaque nunc etiam filia dicitur, vt adoptionem agnoscas: & Sponsa, vt sublimitatē intuearis. Mihi ve-

Quare eadem Spōsa, & filia.

Ezech. 16.

Dona Dei præ magnitudine multis similitudinibus explicantur.

10,

rò id videtur hæc distinctio innuere, vt intelligam⁹ pri⁹ vt filiam de ignobilitate terrena ad cæleſtem prouectam eſſe dignitatem per illius ineffabilē miſericordiā, vt ait S. Leo, qui nos vt in ſua proueheret, in noſtra deſcendit: deinde paulatim virtutibus procedentibus aſſumptam in Spōſam: non quod, quæ deſponſata eſt in fide, miſericordia, & miſerationibus, Spōſa dici non poſsit, ſed quia virtutum proceſſus, & arctior cum Deo coniunctio quaſi occultè indicantur. Sunt enim (vt ait S. Bernardus) in amore gradus, ſed Sponſa in ſummo ſtat. Amāt enim & filij, ſed de hereditate cogitant. Suſpectus eſt amor, cui aliud quid adipiſcendi ſpes ſuffragari videtur. Purus amor de ſpe vires non ſumit, nec tamen diffidentiæ damna ſentit. Sponſæ res, & ſpes vnus eſt amor. Ad filios clamat, ſi ego Pater, vbi eſt honor meus? verùm id Pater. Sed ſi Sponſum exhibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet, Si ego Sponſus, vbi eſt amor meus? Nā & antea ita locutus eſt. Si ego Dominus, vbi eſt timor meus? Exigit ergò Deus timeri vt Dominus, honorari vt Pater, vt Sponſus amari. Quid in his præſtat, quid eminet? nempe amor. Vides ergo pro varietate affectuum, & prouectuum nunc Filiam dici, nunc Sponſam. Sed quibus affectibus ornari debeat, quæ Sponſa vocari digna ſit, idem S. Bernardus ſic breuiſsimè docet.

L. Leo ſer. 1. de Paſ.

Bernard. Ser. 83. in Cant

Amor Spōſæ in ſummo ſtat.

Malac. 1.

docet. Quinam (inquit) illi sint, id quidem penes Deum: tu verò audi qualem te esse oporteat, si talis vis esse. Quod tamen dixerim non quasi expertus, sed quasi experiri cupiens. Da mihi animam nihil amantem præter Deum, & quod propter Deum amandum est: cui viuere Christus non tantum sit, sed & diu iam fuerit: cui studij, & otij sit prouidere Deum in conspectu suo semper, cui solicitè ambulare cum Domino Deo suo non dico magna, sed vna voluntas sit, & facultas non desit; da (inquam) talem animam, & egò non nego dignam Sponsi cura, maiestatis respectu, dominātis fauore, solicitudine gubernātis: & si voluerit gloriari, non erit insipiens. Tantū, vt qui gloriatur in Domino glorietur.] Vides ergò quam verè dixerit idem Sanctus, sunt gradus in amore, Sponsa in summo stat. Quod autem dicitur, Omnis gloria eius filiæ Regis nullā facit difficultatem scientibus Hebreæ linguæ vsum. Redundat enim particula, eius. Quæ verò subduntur, In fimbrijs aureis circumamicta varietatibus, nō solū significatione, sed voce propemodum eadem sūt cum ijs, quæ explicata sunt, In vestitu deaurato circundata varietate. Quare nō sunt eadem repetenda.

Ser. 69 in Cant.

Phil. 1.

Psal. 15. Mich. 6.

Illud potius perscrutandum cur dicatur omnis gloria, vel splendor, vel pulchritudo, vel ornatus huius Spōsæ esse ab intus.

Sponsæ pulchritu

Sunt

do ab intus esse dicitur multas ob causas.

Sunt qui putant perinde esse, ac si diceretur, Sponsam non solum cum in publicum prodit, sed etiam cum in thalamo cõtinetur, ornatissimam, ac fulgentissimè decoratam apparere. Si in sensu spirituali sumatur, quod non solum in externa conuersatione, & in iis, quæ apparent, virtutum splendore fulgeat; sed etiam in interioribus, vbi homines videre non possunt, micat splendidissimè, non abnuo: sed si ita intelligãt, nobiscum sentiunt. Mihi certè id potius inuestigandũ est, quid mysterij, vel quas prærogatiuas Sponsæ in hoc breui verbo Spiritꝰ sanctus indicare voluerit, cum dicit gloriam esse ab intus. Scimus enim quis dixerit, cũ varijs laudibus Sponsam ornaret; Absque eo quòd intrinsecus latet. Puto ergo quinque breui hoc verbo insinuari, quæ maximè ad commendãtionem Sponsæ, eiusq; pulchritudinis faciũt.

Cant. 3.

Primũ vt appareat de spirituali gloria agi.

Primùm, quia multa, & præclara dixerat de pulchritudine Sponsæ, quam Rex Deus concupiscceret, de vestibus, de monilibus, de populorum veneratione, de gratia, qua apud Regem polleat, qua & alijs subuenire possit, ne quis ita desiperet, vt putaret hæc de mulierecula quapiam, vt ait S. Augustinus, vel de ipsa Pharaonis filia terreni illius Salomonis coniuge posse vtcũque accipi, aut illi quoquomodo aptari, transfert corporea, & visibilia omnia ad internam pulchritudinem: quã describi

De Ciu. l. 17. c. 16.

bit S. Petrus cum ait, Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorū cultus: sed qui absconditus est cordis homo in incorruptibilitate quieti, & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Ergo mundandus est mentis oculus, & ad interiora figendus, si pulchritudinem animæ, quam Deus sibi assumpsit, volumus intueri. 1. Pet. c. 3.

Secundò, ostendit hanc pulchritudinem esse perpetuam, nec marcescere, aut diffluere, vt corporeā. Illa enim vel infirmitate, vel casu aliquo, vel ipsa ætate omnino minuitur, & sicut flos decidens necesse esse absumatur, vt homo ipse quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra. Vnde & Beatus Iacobus, Exortus est, inquit, sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt. Quam miseri ergo sunt, & deplorandi, qui in externis aut fiduciā habent, aut se iactant! At verò spiritualis pulchritudo, vti de Sapiētia loquitur Scriptura, clara est, & quæ nunquam marcescit. Secundò vt significetur pulchritudo perpetua. Iob 14. Iac. c. 1. Sap. 6.

Tertiò, Corporea pulchritudo minui quidem potest, & marcescere, vt dixi, augeri non potest, quia breui illo tempore, quo durat, incrementa non recipit. At verò interna non modò quotidie: sed singulis horis augeri potest. Quippe sicut crescit in anima amor Dei, & proximi, studium Tertiò vt significetur augeri posse studio.

dium virtutum, mentis puritas, desideria æternorum, ita augetur, & ipsa pulchritudo, & fit per singula momenta Angelis iucundior, cælo splendidior. Itaque non fine causa cum stultus, vt Luna mutetur, nunc crescat, nunc decrescat, de Sapiente vox diuina pronuntiat. Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem, Quare non nisi maxima stultitia existimanda est alijs animam intentam esse, quæ nec augeri, nec diu seruari possunt; illis autem negligentius inuigilare, quæ & quotidie crescere, & perpetuò durare possunt.

Prou. 4.

Quartò insinuatur etiam occultè vbi, & vnde pulchritudo sit animarum sanctarum, quarum amore cælestis Rex, & superna pulchritudo capitur. Dicitur enim esse intus. Ibi enim splendet, vbi, vt ait S. Augustinus, & auditur silentium vocis Dei, & aspicitur inuisibilis forma eius. Hanc autem pulchritudinem inde cõtrahit, quod ad Sponsum conuertitur, quod in corporali specie euenire non potest. Quantalibet enim industria in pulcherrimas formas intendas, imò in ipsum lucidissimum solem, non tamen inde aut pulchrior efficeris, aut splendidior, & solisimilior. At verò anima, quæ in Deum Sponsum intendit, ex illa conuersione ad eum, & pulchra fit super omnem opinionem, & splendidior. Quærit enim anima

Quartò vt ostendatur vbi, & vnde sit animæ pulchritudo.

S. Aug. ad Paulinam sub fin.

Verbum

Verbum, reformanda per ipsum, conformanda ipsi, vt ait S. Bernardus quo reformetur ad sapientiam, & conformetur ad decorem. Quæ pulchritudo paulatim augetur donec tota prorsus dissimilitudo absorbeatur. Facta enim de medio iniquitate, quæ illam, quæ ex parte est dissimilitudinem faciebat, erit mutua visio, mutuaque dilectio. Siquidem adueniente quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est, eritque ad alterutrum casta, & consummata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, coniũctio firma, societas indiuidua, similitudo perfecta. Tunc cognoscet anima sicut cognita est, tunc amabit sicut amata est. Et gaudebit Sponsus super Sponsam, cognoscens, & cognitus, diligens, & dilectus Iesus Christus Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula. *Serm. 85. in Cant. in fine.*

Ex quo sequitur quintò in eo verbo Abintus efficacem admodum admonitionẽ contineri, vt curemus de die in diem in hac pulchritudine perfici, curemus ad interiora nostra frequentissimè cõuerti, curemus intentos habere semper oculos ad Sponsi pulchritudinem intuendam, vnde tanta nobis bona profluunt. Nihil committamus, quod eam pulchritudinem vel minimum fœdare possit: nihil omittam⁹, quod illam possit augere: cum præsertim similitudo illa admiranda prorsus, & stupenda, Quintò vt intelligamus quid nobis curandum.

penda, quæ Dei visionem comitatur, imò quæ Dei visio est, maior vel minor futura sit, prout in hac vita ea, quæ quotidie perfici potest, similitudo maior, vel minor fuerit. Vides quanta cura, & solicitudine in hac peregrinatione & curanda sit, & augenda; cum præsertim illud maximè fiduciam augeat, quod anima, vt ait Sanctus Bernardus de sua singulari intētione, solicitudine, cura, opera, diligentia, studioque, quo incessanter, & attentè inuigilat, quemadmodum placeat Deo, æque hæc omnia in ipso indubitāter agnoscit; & ex propriis, quæ sunt penes Deum intelligit: nec dubitat se amari, quæ amat. Ita est, inquit. Amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio intentam animam facit, solicitudoque solicitā. Nescio enim qua vicinitate naturæ, cū semel reuelata facie gloriam Domini speculata anima poterit, mox illi cōformari necesse est, atque in eandem imaginem transformari. Excutiat ergo se diligenter anima inspiciat qualis sit: exquirat quanta diligentia pulchritudini augendæ inuigilet & quam planè exigua, ac nihili sint, quæ illam ab hac solicitudine remorantur.

Ser. 69. in Cant.

16 Adducentur Regi Virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.

STVPO

STVPOR circumdedit me recogitantem thesauros dulcedinis tuæ: & sapientiâ, ac magnitudo suauitatis tuæ irrigatio est ossium meorum. Confiteantur tibi Domine Iesu, Sponse potentissime, misericordiæ tuæ, & mirabilia tua filijs hominum. Ecce rursus filiæ Regum, ecce Regina, ecce rursus lilia, rursus Sponsæ, rursus aromata vestimentorum, rursus oleum lætitiæ, & exultationis. Adducuntur enim Virgines post Reginam, quæ à dextris adstat. Ad quid putas? Ad quid? nisi vt comitentur eam, & ornent, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronent? Rursum mysterium, & vna est Regina, vna Sponsa; & multæ sunt Virgines Sponsæ: & illa audit de se dictū, Vna est columba mea, vna est perfecta mea: & tamen adducit ipsa post se Virgines, & proximas suas, futuras & ipsas Sponsas, quibus dilecti thalamum non inuidet, sed optat. Si ergo intelligamus Sponsam Ecclesiam, quæ vna est; Virgines, quæ filiæ, & partes ipsius sunt, ipsa ad Regem adducit. Siquidem extra Ecclesiam tam falsa est virginitas, quàm falsa sapientia, & pietas. Sancti ferè Patres accipiunt de Virginibus propriè, quæ sancte & corpore, & spiritu singulari modo Sponsæ vocantur. Videndum Primò, quæ adducuntur. Secundò, quo ordine. Tertiò, cui. Quartò, quò. Quintò, quomodò.

Cant. 6.

Virgines singulari modo Spõsæ.

Adducuntur autem Virgines, & proximæ Reginæ. Quo ordine? post eam. Cuius nempe Regi. Quo? in templum. Quomodo? in lætitia, & exultatione. Et quidem cum ceteræ omnes animæ per fidem, & caritatem Christo coniunctæ Sponsæ dicantur illius, quomodo Apostolus Corinthijs loquens, Despondi, inquit, vos vni viro, Virginem castam exhibere Christo; tamen quæ vitginitatem Deo seruant, singulari priuilegio Sponsæ dicuntur, quia voluptatibus omnibus calcatis se ipsas liliorum amatori, & Virginis filio Virgines Sponsas dicauerunt. Hæ sunt proximę Reginæ, quia & illius filiæ sunt, & illi semper assident; & integritate, atque puritate perpetua ipsi coniunctæ sunt. Dicuntur autem post eam adduci, quia in doctrina & magisterio Ecclesiæ adducuntur: & ipsa tanquam mater præit, suisque etiam precibus ad Sponsum adducit. Tertiò adducuntur ipsi Regi, quia alium non nouerunt, & oblitæ Populi, & Patris, illi casti adhærent amore, qui huiusmodi puritatem maximè delectatur. Neque enim magnus numerus inter eas æmulationem facit: & hinc patet Sponsum esse Deum, de quo Beata Agnes, Ambrosio referente, dicebat: Quem cum amauero, casta sum: cum tetigero, munda sum: cum accepero, virgo sum.

2. Cor. 2.

Si autem accipiamus Deiparam Reginam

nam, cui singulari excellentia conuenit, optimè intelligimus, quomodo post eam Virgines Christo Regi adducantur: post eam, inquam, quia non solum ipsa prima, & præcipua, sed quia post eam dicuntur ire, quæ & illius sequentes exempla virginitatem vouent, & eiusdem protectione nituntur. Vnde Beatus Hieronymus de ipsa Dei Matre sic loquitur: O qualis erit illa dies, cum tibi Maria Mater Domini choris occurret comitata virgineis? cum post mare rubrum, submerso cum suo exercitu Pharaone, tympanum tenens præcinet responsuris, Cantemus Domino &c. Tunc Tecla in tuos læta volabit amplexas: tunc & ipse Sponsus occurret &c. Et S. Ambrosius. O quantis illa Virginibus occurret! quantas complexas ad Dominum trahet! &c. Quæ pompa illa! quæ gratia! quanta Angelorum lætitia applaudentium, quod habitare mereamur in cælo, quæ cælestem vitam vixit in seculo! Tunc etiam Maria tympanum sumens choros virginales excitabit cantãtes Domino, quod per mare seculi sine secularibus fluctibus transierunt &c. Dicitur autem adducere, quia post se trahit, & filio repræsentat. Dicuntur autem adduci primò, quia gratia præueniente, eleuante, & perducente perueniunt. Secundo videntur mihi adduci, & à sanctis Patribus, atque Apostolicis viris, dum virginitatis laudes,

Deipara Virgines ad sponsum Christũ adducit.

Ep. 22. ad Eustoc. in fine.

Amb. l. 2. de Virg.

Virgines adducuntur primò gratia Dei.

Secundò Sanctorũ Patrum exhortationibus.

des, & præconia exaggerantes ad eam impellunt. Mirum quanti sint Patres ferè omnes in virginitate laudanda, & extollenda. Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Gregorius, Basilius, Nazianzenus, & ceteri ferè omnes cum laudibus mirificis, tum exhortationibus efficacissimis ad virginitatem incitāt. Adducuntur & ab exemplis Agnetis, Cæciliæ, Catharinæ, & innumerabilium: quę vincentes annos, & sexum, teneræ, & delicatæ puellæ non solum se Domino integras, castasque seruarunt, sed etiam vsque ad sanguinem pro virginitate certarunt. Adducuntur & spe præmij. Nam & in præsenti vita donis perfruuntur eximijs, & in alia eminentissimis gaudent priuilegijs. Siquidem hic pacem cordis, constantiam in virtutibus, victoriam in tentationibus, coniunctionem cum Deo intimam, suauitatem spiritus, terrenorum despicientiam, & alia innumera possident bona: similiter etiam in carne fragili, & corpore lubrico vt ait Bernardus, viuunt purissimè, quo non Angeli. At in cœlis prærogatiuas habēt singulares. Nam incorruptio & proximos facit esse Deo, & ibi perpetuo adhærentes. Siquidem & sequūtur Agnum quocunque ierit; quod ceteri Sancti non possiunt. Et Canticum nouum, quod soli illis cantare conceditur mirifico, & dul-

Tertiò exemplis.

Quartò spe præmij.

Ser. 27. in Cant.

Apoc. 14. Quāta in cælo Virginū merces.

sono concentu Regina Virginum præeũte perpetuò concinunt. Sed de priuilegijs eiusmodi tam dulciter S. Augustinus agit, vt verba illius prætermittere nec audeam, nec possim. Pergite itaque sancti Dei pueri, ac puellæ, mares, ac fœminæ, cęlibes, & innuptæ, pergite perseueranter in finem. Laudate Dominum dulcius, quem cogitatis vberius: sperate felicius, cui seruitis instantius: armate ardentius, cui placetis attentius. Lumbis accinctis, & lucernis ardentibus expectate Dominum, quando veniat à nuptijs. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum nouum, quod cantabitis in citharis vestris, hoc est, in cordibus dicatis laudibus; non vtique tale, quale cãtat vniuersa terra, cui dicitur Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino vniuersa terra; sed tale, quale nemo poterit dicere nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat: & biberat, & eructabat mirabilia, supercælestia, Dei Verbum. Ipse vos vidit duodecies duodẽna millia Sanctorum Citharœdorum illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde: & quia sequimini Agnum quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc Agnum, quo eum nemo sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos? Quo putamus eum ire? in quos saltus, & prata? Vbi, cre-

Aug. de Sancta Virginitate c. 27.

Apoc. 14.

Psal. 95.

Apoc. 14.

do, sunt grandia gaudia, non gaudia seculi huius vana, insaniæ mendaces; nec gaudia, qualia in ipso Regno Dei ceteris non Virginibus erunt, sed à ceterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium Virginum Christi, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria Virginum Christi. Non sunt eadem non Virginum, quamuis Christi. Nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Ite in hæc. Sequimini Agnum, quia & Agni caro vtique virgo. Hactenus Augustinus. Nec Scripturæ prætereundę sunt. Audi quæ Virginibus per Isaiam Dominus promittat. Hæc dicit Dominus Eunuchis (id est, Virginibus) qui custodierint sabbata mea (semper enim Virgines ob mentis tranquillitatem, ac serenitatem sabbatizant) & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. (Quam sanctè tenent fœdus, pactumque cum Sponso, qui se ei deuouerunt) Dabo, inquit, eis in domo mea, & in muris meis (ô qualis domus, ô quales muri cælestis Hierusalem ex auro, & margaritis, ac gemmis omnino inæstimabilibus!) locum & nomen melius à filijs, & filiabus (id est, quam possent habere ex præclara, & numerosa liberorum sobole) nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Perpende singula verba fluentia lacte, & melle. Audi & Ioannem in Apocalypsi. Et vi-

Isai. 56.

Apoc. 14.

di,

di, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & eum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Quanta dignitas, quanta maieſtas, habere in frontibus nomen Chriſti, & Dei? Si enim Sacerdoti gloria in lamina aurea habere inſcriptum nomen Dei; vnde, & gloria ipſius, & ſanctificatio vocabatur, quanto tandem amplior & gloria erit, & dignitas non illi aureæ laminæ inſculptum habere nomen, ſed in fronte ſupereminenter, & diuinè habere cælatum? Recogitet qui poteſt, & qui poteſt capere capiat, cum ſcriptum ſit poſſe Deum facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus. Poſtremò adducuntur præcipuè ab ipſo Spōſo, & trahente intrinſecus, & cum tranquillitate omnia diſponente. Neque enim per ſe ire valent, vnde exclamant. Trahe nos poſt te: nec verò trahi ſe poſtularent, ſi ex voto per ſe currere poſſent. Adducuntur autem, & trahuntur ſingulariter, quia non omnibus datum virginitatem ſeruare, Sponſæ aſſequi dignitatem.

Exod. 28.

Eccl. 43.

Sap. 18.

Epheſ. 3.

Adducūtur Virgines præcipuè à Spōſo.

Cant. 1.

Nec mirum ergo, ſi cum de modo agitur, dicuntur adduci in lætitia & exultatione: quia & ipſa mentis puritas exultationem facit, qualem non experiuntur: de quibus Apoſtolus loquitur, cum de Nuptis dicit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi. Sed quæ cogitat ſolùm, quæ

Adducūtur in lætitia ob exultationem ſpiritus.

1. Cor. 7.

quæ Domini sunt, nec diuisa est, sed in vnum tendit Sponsum, mirificas experitur delectationes. Trahi verò ab ipso Spōso, & hoc modo trahi ineffabiles habet lætitias: quas, cum anima effari non possit, & præ abundantia tacere non valeat, prorumpat necesse est in iubilationes, efferens vocem ineffabilium gaudiorum in lumine faciei Sponsi, in suauitate, in Spiritu sancto: quales nimirum Propheta intuebatur cum diceret, Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. *Psal. 88.*

Adducuntur in templum. Adducuntur autem in templum. Quam vocem licet aliqui interpretentur Palatiū, seu ædes regias: & verè siue propter amplitudinem, siue ob venerationem regiæ huiusce modi Palatia templa vocentur; mihi tamen nulla apparet eius interpretationis necessitas, tanquam congruentius dicamus Sponsam adduci in Palatium, quam in templum. Nam & Sponsus Deus est cui templa dicantur, & cuius Domus templum est. Et Sponsa non incongruè in templum adducitur, quæ in spiritu iungenda Sponso est: & eum frequentius in ipso templo, tanquam in domo propria familiariter inuenit. Vt vel ex hoc constet, quam longè aberrauerit, qui de sponsis carnalibus, vt de filia Pharaonis, de domo saltus, vel Libani Salomonis ineptè admodum philosophari velit. Et hæc quidem Virginum

præ-

præconia, & singulares prærogatiuæ.

Sed tanta est Sponsi benignitas, vt etiam eas, quæ fornicatæ fuerant cum amatoribus multis, in sponsas assumat. Fornicatur quippe anima, vt ait S. Augustinus Deo loquens, cum auertitur abs te; & quærit extra te ea, quæ pura, & liquida non inuenit, nisi cum redit ad te. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius; qui Virginibus, & præcellentibus Sponsis in cælo coniungere, & velit, & possit, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos fecerit? Verè memoriam abundantiæ tantæ suauitatis eructare debent omnes generis homines. Nam & qui canticum illud solis Virginibus creditum cantare se posse desperant, tamen ex benignitate supereffluentium viscerum exuberantissimæ largitatis Dei non desperant audire se posse. Audientes autem, quoniam Sponsi Laudes Hymni illi dulcissimè resonant, & ipsi collætabuntur, & quasi in Virginibus canere communicata iubilatione se arbitrabuntur. De his S. Bernardus & diuinam collaudans pietatem, & miserorum consolans pusillanimitatem egregiè disputat. Docuimus (inquit) omnem animã licet oneratam vitijs, peccatis irretitam, captam illecebris, exilio captiuam, corporecarceratam, luto hærentem, infixam limo, affixam membris, confixam curis, distentam negotijs, contractam timoris-

Etiam non Virgines dignatur Christus in Sponsas assumere. *Conf. l. 2. c. 6.*

Ser. 83. in Cant. inscriptio.

bus, afflictam doloribus, erroribus vagam, solicitudinibus anxiam, supplicionibus inquietam, & postremò aduenam in
Baruc. 3. terra inimicorum, iuxta Prophetæ vocem, coinquinatam cum mortuis, deputatam cum his, qui in inferno sunt; licet, inquam, sic damnatam, & sic desperatam docuimus tamen hanc in se posse aduertere, non modò vnde respirare in spem veniæ, in spem misericordiæ queat, sed etiam vnde audeat aspirare ad Nuptias Verbi, cum Deo inire fœdus Societatis non trepidet, suaue amoris iugum cum Rege ducere Angelorum non vereatur.] Expergiscere igitur anima quæcunque es, quæ in te & vestimenta candida commaculasti, & insignem Dei imaginem piceo quodam colore denigrasti: expergiscere, inquam, & dispice vbi fuisti, & vbi es, quo tendis, & vbi non es: & dealba in sanguine Agni vestimenta tua: pulchritudinem in te reforma: ad nuptias tanti Sponsi aspira: Matrem gratiæ, Reginam Virginum, quæ Virgines post se proximas adducit, miserabiliter implora. Non despiciet illa & te ad filium adducere, vt cantica illa dulcisona audire possis; & intimè illi vniri, qui dixit
2. Cor. 4. de tenebris lucem splendescere, & illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, cui sit honor in secula.

17. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos Principes super omnem terram.

IAm ad Sponsam conuertit sermonem: & præter ceteras sancti connubij laudes, de quibus iam dixerat, addit nunc prolis fœcunditatem, nec quorumcunque filiorum, sed Principum super omnem terram regnantium. Sunt qui putent, quod & D. Chrysostomo placuit, pro Patribus intelligendos, quos reliquerat: vt, qui hortatus fuerat ad Patriam, Parentesque obliuiscendos, iam consoletur ne id molestè ferat, quod hanc parentum orbitatem filiorum fœcunditate compensatura sit. Sed fortasse congruentius non patres, quos reliquerit (nam vnum reliquit, & plures inuenit) sed Apostoli intelligantur. Nam quoniam Sponsus corporali præsentiæ facturus modum in alta cælorum se recepit, constituendi erāt visibiles Patres, qui Ecclesiæ parentes essent, multamque prolem non sibi, sed Christo, qui pro ipsis Crucifixus est, gignerent. Hi ergo fuerunt Apostoli, illisque dormitionem accipientibus, pro Patribus filij nati sunt. Videndum ergo quales Patres, quales filij, quam latè regnantes. Patres Ecclesiæ Apostoli, quos sibi Sponsus ad hoc elegit. Si enim Patres non essent, non dixisset quidam illorum, Vt filios meos carissimos moneo.

Chrys. in hunc Ps.

Patres Apostoli sunt.

1. *Cor.* 4

Nam si decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui. Et, Filioli mei, quos iterū parturio, donec formetur Christus in vobis. Gratia est tibi Pater orphanorū, Pater miserorum, Pater misericordiarum; & ideo miserorum, quia misericordiarū, quod liberis tuis, quos orphanos non derelinquendos promisisti, tales dedisti Patres, dulces, potentes, & sapientes. Dulces eos ostendunt viscera misericordiæ, qualia sunt eius qui clamat, Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Potentes signa innumera, & in verbis efficacia, quasi malleus conterens petras: ipsique se fatebantur destruere omnem munitionem, & omnem altitudinē extollentem se aduersus scientiam Dei. Sapientes, quia salutarem doctrinam, quam è cælis hauserant, sapientissimè sulcis arētium cordium infundebant. De quibus scriptum est, Riuos, vel sulcos eius inebria, multiplica genimina eius: in stillicidijs eius lætabitur germinās. Nec immeritò & gratias cælesti Sponso agimus, quod tales nobis parentes dederit; & ipsos humiliter veneramur, qui Ecclesiam sanguine suo plantauerunt, doctrinis cælestibus irrigarūt, & nunc etiam per Scripturas suas, & perpetuas prædicationes irrigant. Vnde B. Ioannes in Apocalypsi vidit duodecim fundamenta

Gal. 4.

Et Patres primò dulces.

2. Cor. 11.

Secundò potentes.

Ierem. 23.

2. Cor 10.

Tertiò sapientes.

Psal. 64.

Gratiæ agendæ Deo de traditis Ecclesiæ Apostolis

Apoc. 21.

menta Ecclesiæ vel militantis, vel triumphantis cum nominibus duodecim Apostolorum Agni. De quorum insigni dono Ecclesiæ collato sic Doctor Gentium loquitur, Dedisse Spōsum dilectæ suæ, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas: alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorū, in op⁹ ministerij, in ædificationem corporis Christi. Vides Patres hosce ad id datos, vt sancta, id est, templum Dei, Ecclesiam consummarent, in opus (inquit) ministerij, in ædificationē corporis Christi. Quid rogo excellentius? Ipsa est templum, ipsa Sponsa, ipsa corpus Christi. De qua alibi idem ait, esse illam corpus Christi, & plenitudinem eius, qui omnia in omnib⁹ adimplet, vel adimpletur. Neque tamē vno modo Ecclesiam hanc sancti Patres vel cōstruxerunt, vel custodierunt, vel fœcundarunt. Quia enim multis modis ad rei explicationem in diuinis libris ipsa vocatur, nunc quidem Sponsa, nunc ciuitas, nunc populus pascuæ eius, & oues manus eius; ideirco vt Sponsam ornarunt: vt oues in pascua virentia deduxerunt, quo caritatis pinguedine roboratæ, sicut bon⁹ Pastor dignatus est pro ijs mori, ita & ipsæ non dubitent pro nomine Pastoris occumbere: vt Ciuitatē attentissimi vigiles custodierūt, vt non circumueniretur à Satana. Non enim (inquit) ignoramus cogitationes ei⁹, 2. Cor. 2.

Ephes. 4.

Ephes. 1.

1. Pet. 5. cum tanquam Leo rugiēs circumeat quærens, quem deuoret. Quam custodiam laboribus, vigilijs, sudorib⁹, & sanguine ipso diligentissimè curarunt. Et custodiunt etiam nunc per orationes, & assiduā protectionem, in Verbo Dei Ecclesiæ necessitates sine velamine intuentes, & eas Altissimo summis precibus repręsentàtes. Quare gloriam tanti ministerij, quod in terra illis à Domino creditum est Paulus intuens, Mosis dignitatem, & gloriā, qui Pastor, ac Pater Synagogæ fuit, quamuis alioqui excellētissima fuerit, nullo modo cum Apostolorum gloria conferendā docet. Quod si ministratio mortis (inquit) literis deformata in lapidib⁹ fuit in gloria, ita vt non possent ostendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ei⁹ quæ euacuatur, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? & subdit. Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte propter excellentē gloriā. Tanquam dicat, ne gloriæ quidem nomen mereri illam Mosis claritatem, si cōferatur cum excellenti gloria quam Apostoli, quam Ecclesiæ fideles custodes, ac vigiles, quam boni Patres, qui non suam, sed Domini gloriam, & filiorū salutem quærūt, adipiscuntur. Quod si loquebatur Mosi Deus; & hic amicus Sponsi stat, & gaudio gaudet propter vocem Sponsi. An nō in Apostolis Christus loquitur? An non

2. Cor. 3.

in

in ore illorum ipsa quodammodo verba format? Gratias Deo, inquit Paulus, qui dedit eandem sollicitudinẽ in corde Titi. Vox Spõsi est ipsa sollicitudo lucrãdi animas. Vox Sponsi. Ego autem libentissimè impendam, & superimpẽdar ipse pro animabus vestris. Vox Sponsi, Facti sumus paruuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foueat filios suos. Ita desiderãtes vos, cupidè volebamus tradere vobis non solũ Euangelium, sed etiam animas nostras, quoniam carissimi nobis facti estis. Quis non gaudeat ad has voces? Quis non in illis loquentem Christum audiat? Non ne illa vox Sponsi? An experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus! Vides quam magnum sit, & excelsum tales habuisse Patres, talem pro talib⁹ commutasse, cum populum, & domũ Patris obliti sumus. Hos virtutibus præfulgentes, dignitate supereminentes, Christo inseparabiliter adhęrentes intuebatur Propheta cum diceret admirabundus, & gaudens, Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Nam & simplicitate, & fœcunditate columbas imitati sunt, & edocti fuerant à Magistro, Estote simplices sicut columbæ. Et nubes fuerũt, qui volatu celerrimo omnem terram percurrerũt, spargentes doctrinæ pluuiam salutarem, tonantes increpationibus, miraculis coruscantes.

Dulcedo Christi per voces Apostolorum.

2. Cor. 12.

1. Th ess 2.

2. Cor. 13.

Isai. 60.

Pro

Pro Patribus id est Apostolis succedere Prælati. Io. 21.

Pro his Patribus, quoniam ad sublimiora depositio terreno tabernaculo trāsferēdi erant, successerunt filij. Qui filij? Pastores, & Prælati. Verè filij, si Patrum imitentur mores, & Dominum Sponsum diligant. Certè ex Petro quæsitum est ab eo, qui illos Patres constituit, idque non semel, sed tertiò, num ipsum Dominum diligeret. Perinde ac si illi dixisset, inquit Bernardus, Nisi testimonium tibi perhibēte conscientia tua quod me ames, & valde, perfecteque ames, hoc est, plusquàm tua, plusquam tuos, plusquàm te, vt huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis vtique meus effusus est. Quam venerandi ergò Apostolorum filij, qui eorū locum occupant, illorum fungūtur munere, qui salutem nostram curant: quos interrogat Sponsa, etiamsi pallium eius tollant? Cōstituuntur autem principes super omnem terram, vt vel ex hoc insipiēs appareat illorum solicitudo, qui ad Salomonem referunt. Nam Roboam eius filius non modo super omnem terrā princeps constitutus non est, sed ex duodecim tribubus augusti admodum regni, vix duas retinuit, decem ab eo dilapsis. At nostri Principes super omnem prorsus terram, & mare, & insulas principatū obtinuere latius præsidente Ecclesia dominatione di-

Ser. 76. in Cant.

Cant 5. Principes super omnem terram.

3. Reg. 12.

Quam bonus prin-

vina,

lina, quam Regum potentissimi potestate terrena. Principantur autem non Dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo: principantur quomodo summus Princeps docuit. Principes gentium dominantur eorum: non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Hi autem sic Principes constituti leges toti orbi terrarum statuūt. Nam ceteri, vt notat Chrysostomus, tantum suis Regnis. v.g. Romanus Romanis, Persa Persis, leges statuere potuerunt.

Nec prætermittendum est qua ratione filij, & Principes huiusmodi regnent. Nā latitudine, vt dictum est, in fines terræ, duratione ad finem seculi: &, quod in ceteris humanis regnis non inuenitur, viuēte Patre regnant. Non enim moritur illorum Pater, neque illis regnum decedens relinquit, imò in hac vita, nisi ille viueret, ac regnaret regnare non possent: & in cælis non solum cū ipso, sed in ipso regnāt. Ipse quippe est hereditas eorū, ipse regnum, ipse & vita, & salus, & virtus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona. Quam felix ergo Christi Sponsa, cui tales filios Sponsus dedit! Quam felices populi, qui talibus Pātribus gloriantur! O nos beatos, si eorum doctrinis incessanter eruditamur, exemplis roboremur, patrocinijs adiuuemur: qui in firmamento positi sunt veluti luminaria. Ecce enim, inquit Augustinus,

cipatus Apostolicus. 1. Pet. 5. Matt. 20. Luc. 22.

Chry. in hunc locum.

Solis Ecclesiæ filijs regnare datur viuente Patre.

Conf l.13. c.19. gustinus, tanquam Deo docente Fiant luminaria in firmamento cœli, factus est subitò de cælo son', quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt linguæ diuisæ quasi ignis, qui & insedit super vnumquemque illorum, & facta sunt luminaria in firmamento cæli, verbum vitæ habentia. Vbiq; discurrite ignes sancti, ignes decori. Vos enim estis lumen mũdi, nec estis sub modio. Exaltatus est, cui adhæsistis, & exaltauit vos. Discurrite, & innotescite omnib' gentibus. Hactenus ille.

19 Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, & generationem.

Laus Spôsi à celebritate æterna eius nominis.

ITERVM ad Sponsum sermonem conuertit: & post gloriam regni, post victorias hostium, & triumphos, post laudes Sponsæ, & inclytæ prolis, laudat illum à celebritate nominis, eaque perpetua. Nam si de Iosia dicitur. Memoria Iosiæ in compositionẽ odoris facta, opus pigmentarij In omni ore quasi mel indulcabitur: & vt musica in conuiuio vini] vt omnes ostendatur habere & odorum, & saporum, & sonorum iucunditates quam eminentissimas, qualis erit memoria Regis nostri? Vt mirandũ magis sit, quo modo possint homines illius obliuisci, quã quomodo memores sint nominis eius: meritoque cum quodam

Eccl. 49.

Mirũ posse homines obli-

quodam stupore exclamandum sit, quid est homo, vel Enos, ideſt obliuioſus, quia memor es eius? Nam verè homo, heu nimium, obliuioſus Domini amantiſsimi, cum ipſe cõtra ſemper memor ſit noſtri in bonum. Vnde per Prophetam loquitur, Nũquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar. Ac ne poſſet obliuiſci, ſubiungit. Ecce in manibus meis deſcripſi te. Et, in admirabili illa dilecti diſcipuli viſione, is, qui in medio ſeptem candelabrorũ aureorũ ſimilis filio hominis apparuiſſe deſcribitur, non ſolum veſtitus podere ad perpetuum pro nobis Sacerdotium declarandum, ſed etiam ad mamillas, id eſt in corde, zona aurea, videlicet caritatis erga nos præcinctus eſſe perhibetur.

uiſci Chriſti, quorũ ipſe eſt tã memor. *Pſal. 8.*

Iſai. 49.

Apoc. 1.

Quanta autẽ vel animi ingratitudine, vel dementia homines præſertim fideles, illius obliuiſcantur, ex hac vna re maximè colligere poſſumus, quod omnia, quę memoriã vel excitare, vel ſeruare poſſunt, in eo, ſupra quam credimus, mirabiliter concurrunt. Septem autem ſunt, vt arbitror, quæ id maximè faciant.

Quæ poſſunt excitare memoriam, omnia in Deo concurrunt.

Primùm rei magnitudo. Hæc enim altius memoriæ infigitur.

Ea ſeptẽ præcipuè ſunt.

Secundò nouitas. Nam ferit res noua animum eique tenaciter inhæret.

Tertiò propinquitas temporis, ſi nimirum

rum breui admodum tēporis interuallo, & paulò ante aliquid contigerit.

Quartò frequens repetitio. Quis enim non recordatur, quod frequenti vsu tractat.

Quintò necessitas. Ea scilicet rapax est, & memoriam vel nolentibus vellicat.

Sextò suauitas, & delectatio in eius rei recordatione.

Septimò multitudo suggerentium, quæ obliuionem non patitur.

Primum Magnitudo rei.

Quis autem non videat quanta sic rerum magnitudo, quam oculis nostris per creaturas, & opera sua author ipse obijcit, cum vndique magnitudo operis cōmēdet artificem? Nam Solem, Lunam, Stellas, gubernationem vniuersi, dispositionē, & ordinem rerum, sapientiam in rerum omnium admirabili concentu, nemo nisi demens maxima esse negabit. Sed & cælum, & terra, vt ait S. Augustinus, & omnia, quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt te amem: nec cessant dicere omnibus vt sint inexcusabiles. Altius autem tu misereberis, cui misertus eris, & misericordiam præstabis, cui misericors fueris: alioquin cælum, & terra surdis loquuntur laudes tuas, Et hæc magna dixerim, si in se spectentur.

Conf. l. 10. c. 6.

Rom. 9.

Secundò Nouitas.

At verò si cum ijs conferantur, quæ in nouitatis admirationem reposui, exigua omnino videbuntur. Quid enim tam nouum,

dõuum, aut admirabile, aut inexcogitabile, quam vt Deus ipse (compara diuina attributa cum infirmitate carnis, & antitheſis pulcherrima rẽ elucidabit(propter inimicos homo fieret, & vt nos in ſua proueheret, ad noſtra deſcenderet? illaque, vt ait S. Leo, ſibi pateretur inferri diuina impaſsibilitas, quæ miſerrimè experitur humana mortalitas? Vt mihi quidem de hoc intellexiſſe Beatus Iob videatur c. 26. Vbi, cum multa, ac magnifica retuliſſet de operibus Dei, hæc omnia paruam ſtillam ſermonum eius appellat, Tonitruũ verò magnitudinis eius (haud dubium quin Incarnationis myſteriũ, & opera gratiæ) negat poſſe quemquam intueri. In hac verò conſideratione magna tibi, ô Anima ſanctarum meditationum ſeges, ingens & nouitatis, & amoris theſaurus aperitur, tã miſerationum Domini, quam miſeriarũ tuarum. Quid enim inter omnia opera Dei, in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, ita cõtemplationem mẽtis noſtræ, & oblectat, & ſuperat, ſicut Paſsio Saluatoris? quæ meritò per excellẽtiam miſericordia Dei appellatur: vt etiam Abbati S. Pachomio præclara viſione olim monſtratum eſt. Poſtrato enim in preces, & Dei miſericordiam imploranti apparuere duo Angeli, & in medio eorum iuuenis inſtar ſolis fulgens: & corona ſpinea in capite eius. Tum Angeli ad

S. Leo ſer. 1. De Reſurrect.

Paſsio Domini per excellentiam miſericordia appellatur.

S. Pa-

S. Pachomium, Quoniam petisti, vt ad te à Domino mitteretur misericordia, Ecce ipse est misericordia, Deus gloriæ, Iesus Christus, Vnigenitus Patris missus in mundum propter vos, & Cruci affixus, & Spinis coronatus. Hæc igitur misericordia nobis ante oculos perpetuò esse debet. Nam si tam frequenter, tam exaggerate, tam varijs cęremonijs, & signis, exitus, Israel de AEgypto in manu potēte, & brāchio excelso, nunc immolatione Agni, nunc azymorum celebritate, nunc solennitate Scenopegiæ, nunc alijs modis memoria à Domino commendatur, quid de hac immolatione veri Agni, transitu maris rubri, columna ignis, & nubis, recessione fluminum, inclinatione scopulorū, arietum more exultantium montium, & collium, cēsendum est, quibus, vt cum S. Leone dicam, nō ex dominatione Pharaonis vnus populus, sed ex captiuitate Diaboli totus mundus eruitur?

S Leo. Ser. 9 de Pass.

Tertiò recens euētus.

Iam de temporis propinquitate, & quā non longè ante contigerit, quod memoriam renouet, quis nisi ingratissimi animi nescire potest beneficia Dei ita esse recentia, vt obliuionem capere, vel admittere non possint? Quis enim non videat non modo se à tempore formationis in vtero, & natiuitatis, sed etiam nudius tertius, & heri, ac planè modo, donum percepisse quod temporis, aut obliuionis di-

stantiam

ſtantiam non admittat?

Quartō frequētia & crebritas.

Et quod huic conſiderationi coniunctū eſt, frequens beneficiorum repetitio non patitur obliuionem. Nam & communia Eccleſiæ, vt Sacramentorum ſtupenda, & cæleſtis exhibitio; & propria, quæ innumera ſunt, & cognita nobis, & incognita perpetuam exigunt memoriam cum gratiarum actione. Quare B. Gregorius Nazianzenus, Non tam ſæpe, inquit, ſpiritum ducere, quam Dei meminiſſe debemus, imò, ſi dici hoc poteſt, aliud nihil quam hoc faciendum. Nimirum quia & reſpiratio & vita ipſa perpetuum Dei beneficium eſt. Cogitet, & ruminet, qui ſatiari, & dulcorari cupit. Pergamus ad quintum.

Or. 1. de Theol.

Quintō neceſſitas.

Non ne ſi neceſſitates ſpectemus, cogunt illæ nos ad memoriam Dei? Nam quot ſunt neceſſitates, quæ nos vrgent, tot ſtimuli ſunt, qui mentem noſtram ad Deum ire compellunt, vt ad eum, qui poteſt oēs explere. Quid enim eſt, quod ita cibi, & potus memoriam renouet, vt fames, & ſitis? Quis eſuriens non cibi, quis ſitiens non potus ſine vllo negotio, ſine vlla præmeditatione, ſed ſola neceſſitatis admonitione recordatur? Id ipſum efficit ſpiritualis fames, ac ſitis: quam pulcherrimè S. Leo ita deſcribit. Nihil, inquit, hæc eſuritio corporeum, nihil expetit ſitis iſta terrenum, ſed iuſtitiæ bono deſiderat

S. Leo de gradibus aſcen. ad beatitud.

desiderat saturari : & in omnium occultorum introducta secretum, ipso Domino optat impleri. Felix mens, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum, quem vtique nõ expeteret, si nihil de eius suauitate gustasset.] Nec sola necessitas, sed etiam ornatus, qui nequaquam necessarius est, memoriam occupat, & tamen (ô rusticitatem humanam) conqueritur Dominus se viliorem haberi etiam rebus inutilibus, ac magnam partem supernaceneis, cum ait. Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut Sponsa fasciæ pectoralis suæ? Populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris. Vides profecto, quam sit iusta Domini querela, cum ipse sit non solum verum decus, & ornamentum, & gloria omnis, sed cibus, & omne bonum nostrum; tamen mulieres, & virgines ornamentorum magis suorum, quam non illius conseruare memoriam.

Rusticitas hominum in cõseruãda Dei memoria *Ierem. 2.*

Sextò iucunditas, & suauitas recordationis. *Psal. 76.*

Quid autem memoriam conciliat, si id non conciliat, cuius memoria pascimur, & delectamur? Memor fui Dei, inquit Psalmista, & delectatus sum. Vbi Nazianzenus, procliue, promptumque subsidium admirans exclamat. Quid memoria paratus? Memor esto tu quoque, & delectaberis. O facilem, & parabilem medicinam, ô celerem curandi rationem, ô egregiam diuini beneficij magnitudinem. Non modo animi deiectionem, mœstitiamque se-

Orat. ad Ciu. Naz.

da

dat Dei recordatio, sed & dulcedinem affert. ¶ Quod si sola memoria Dei tam suauis est, quis non recordetur illius? vt cum eodem Psalmista medullitus clamet. Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui. Nec sine causa ipsa diuina Sapientia post verba illa dulcissima, Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini: spiritus enim meus super mel dulcis, addit, Memoria mea in generatione seculorum. Acsi apertius dicat, qui à generationibus, id est, fructibus meis adimpletus est, & spiritus mei dulcedinem gustauit, non potest non semper memor esse mei: cum præsertim ipsa memoria dulcis sit. De qua S. Augustinus de B. Ambrosio loquens sic ait. Et occultum os eius, quod erat in corde eius, quam sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram.

Psal. 41.

Eccl. 24.

Conf. l. 6. c. 3.

Iam de multitudine eorum, quæ nobis Dei memoriam perpetuò suggerunt, non multa addenda sunt, si ea, quæ dicta sunt, altius introspiciantur. Nam & rei magnitudo, & nouitas, & frequens beneficiorum repetitio, & necessitates, quæ nos vndique vallant, & suauitas recordationis, & Epistolæ, quas ad obliuionem effugandam quotidie nobis Pater noster legi curat, quę sunt Scripturæ sanctæ cælitus missæ, vt ait S. Augustinus, Chrysostomus, aliique

Septimò multitudo suggerentium memoriã.

Con. 2. in Psalm. 9 Homil 3 in 2. ad Thess. & Ho. 2. & 14. in Ge. Col. 14. c. 10.

Sancti Patres: & alia innumera memoriã renouant. Quare anima noſtra, vt rectè diſſerit Caſsianus, arca quodammodo teſtamenti continua lectione, & meditatione facienda eſt, vt habeat in ſe duas tabulas lapideas, id eſt, duplicis inſtrumenti perpetuam firmitatem. Vrnam quoque auream hoc eſt, memoriam purã atque ſinceram, quæ reconditum in ſe manna perpetua tenacitate conſeruet, ſpiritualium ſcilicet ſuum, & angelici illius panis petennem, cæleſtemque dulcedinem: nec non etiam Virgam Aaron, id eſt, ſummi, veriſque Pontificis noſtri Ieſu Chriſti, ſalutare vexilli, immortalis memoriæ ſemper viriditate frondeſcens.] Vides vrnam auream in te eſſe fabricandam, id eſt, memoriã puram, atque ſinceram, quæ manna, id eſt, dulcem beneficiorum memoriam, præſertim ſanctiſsimę Euchariſtiæ, id eſt, Angelici illius panis perennem, cæleſtemque dulcedinem conſeruet. Quid enim conuenientius, quã vt eius memoria vigeat, quod Dominus memoriam fecit ſuorum mirabilium? Vbi aduertere potes inter manna & mãna, memoriam, & memoriam quam magnũ ſit, latumque diſcrimen. De illo quippe licet

Anima noſtra quomodo facienda arca teſtamenti.

Cõſeruãda memoria in primis diuiniſsimæ Euchariſtiæ.

Exod. 16. præcepto Domini ſtatuit Moyſes. Implegomor ex eo, vt cuſtodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Aegypti. Sed mãna illud in deſer-

tó acceptum, ibi tantum populum pauit. Neque enim sequẽtibus temporibus eo pasti sunt. Quod verò in vrna aurea saruabatur, tantum ad memoriam antiquæ rei faciebat, sed non pascebat. At verò in vrna nostra cælestis panis asseruatur, qui & præteritos Sanctos, & Ecclesiam vniuersam aluit, nutriuit, & roborauit: & etiam nunc alit, nutrit, & roborat. Ad hoc autem, vt memoriam puram Dei habeamus, duo mihi requiri videntur, de quibus aliud tractãs S. Bernardus loquitur. Da mihi (inquit) animam &c. cui studij, & otij sit prouidere Dominum in conspectu suo semper. Ergo & studium requiritur, & otium. Studium, vt accuratè velit; & otium, vt liberè valeat de Deo cogitare. Quod præcipuè assequimur (nam intenti alijs vix id experiuntur) primò vacuitate terrenarum cogitationum, victoria, & morificatione passionum, puritate cordis, & sanctis desiderijs. Ad eum enim, qui vbique præsens est, & vbique totus, vt ait S. Augustinus, non pedibus ire licet, sed moribus: imus autem non ambulando, sed amando: quem tanto habebimus præsentiorem (quæ præsentia sine dubio memoriam & renouat, & confirmat) quanto eũdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem. Et fortè hanc curarum vacuitatem, mentis tranquillitatem, & diuinæ memoriæ oblectationem Sapiens suabebat, cum

Ad puram Dei memoriam duo requiruntur.

Ser. 69. in Cant.

Studium & otium

Ep. 52.

Eccl. 32. diceret, Præcurre autem prior in domum tuam (haud dubium, quin ad cor te ipsum reuocans) & illic aduocare (mentem, scilicet à terrenis reuocando, eamque ad pedes Domini aduocando, hoc enim est. Et illic aduocare) & illic lude, & age conceptiones tuas, diuinis videlicet & spiritualibus gaudijs te oblectando, ac cælestibus meditationibus, & delicijs perfruendo. Quæ omnia cum Dei memoria faciat, curandum diligentissimè nobis est, vt ea quam fieri poterit frequentissima & collætemur ipsi, & diuinis muneribus respõdeamus.

20 Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.

PArticula propterea, vt manifestè est etiã in Hebræo, causalis est. Nec desunt, qui referant ad ea, quæ proximè præcesserẽt. Quia filios tantæ Matris constituisti Principes super omnem terram; & illi vbique memores erũt nominis tui, propterea populi confitebũtur tibi. Melius Chrysostomus ad omnia præcedẽtia refert. Quia speciosus factus es præ filijs hominum, quia deduxit te mirabiliter dextera tua, vt inimicos vbique subderes, quia veritate, & mansuetudine, & iustitia regnasti, quia Sponsam ex nostro genere assumpsisti, regnique consortem fecisti, tot modis ornasti, mundum felici commutatione

renouasti, propterea populi confitebuntur tibi.

Neque diutius quærendum est, de qua confessione agatur. Nam non solum vox Hebræa יהודוך sed totus cōtextus indicat manifestè de confessione laudis hic agi, de qua millies in Psalmis. Confessio eius super cælum, & terram. Et, Confessionem, & decorem induisti. Et, Confiteantur Domino omnes misericordiæ eius. Et, Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Et, Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: & additur, Terra dedit fructum suum, fortè fructum labiorum: de quo Apostolus, Per ipsum ergo offeramus Hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Quem & Oseas, Vitulos labiorum, quasi sacrificium laudis nominat. Populi autem non vna, aut altera gens, sed planè populi omnes. Quod si Propheta noster constituit Cantores ad laudandum Dominum, Quoniam bonus, quoniam in seculū misericordia eius, quam latè patebat laus illa, quæ in vno Iudææ angulo, imò in vno Hierosolymæ Templo coërcebatur? Nunc autem, & idem Dauid per vniuersum orbem, & insulas, quæ procul sunt, laudes Deo concinit. Vnde S. Chrysostomus exclamat, O magnam citharam, hominum totius orbis animas, veluti neruos quosdā, de pœni-

Confessio hic laus est.

Psal. 148.
Psal. 103.
Psal. 105.
Psal 144.
Psal. 66.
ad Hebr. 13.
Osee 14.
Paral 16.
Humil. 6.

vnam in consonantiam, vnum gloriæ sermonem concrepantem, & congregantem. &, vt ait S. Hieronymus, vel arator stiuam tenens Alleluia decantat : vt in nomine Iesu omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur.

Ep. 18. ad Marcellã

Phil. 2.

Tria excitant præcipuè ad laudem Dei.

Primùm Quod Deus his cãticis delectatur.

Serm 62. in Cant.

Tripliciter autem præcipuè, vt multa omittam, ad confitendum, & laudandum excitamur. Primò, quia Deus ipse his canticis, & cõfessionibus delectatur. Et fortè iuxta S. Bernardum id agebat Sponsus, cum Sponsę diceret, Sonet vox tua in auribus meis. Vox (inquit iste Sanctus) admiratio in animo contemplantis: vox, gratiarum actio est. Et quoniam antè dixerat debere contemplatorem beatarum virtutum, & Sanctorum domicilia percurrere, & facta quasi cauerna in montibus, vel potius in mentibus sanctis, dum se vltrò inflectunt ad pietatem, requiescere vel paululum apud illos, subdit, Delectatur admodum istiusmodi cauernis Deus; è quibus sibi vox resonat gratiarum actionis, vox admirationis, & laudis. Et ipse per Prophetam, Sacrificium laudis honorificabit me: & alibi Scriptura, Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. Et itẽ, Sapientiæ enim Dei adstabit laus. Perpende verbum Adstare. Nunquam enim opera diuinæ sapientiæ à laude disiuncta esse debent. Vnde subdit, Et in ore fideli

Psal. 49

Eccl. 43. c. 15.

abun-

abundabit. Est autem fidele os, quod fructum suum non mentiendo, sed fideliter fructificando Domino reddit. Et, vt scias hanc ipsam laudationem magnum esse Dei donum, adiungit, & Dominator dabit eam illi.

Secundò, quia ipsa laus Dei maximè delectat nos, vt experientia ipsa docet; & Psalmista noster indicat, cum ait, Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus. Ipse Psalmus (inquit S. Augustinus) laus Domini est: hoc ergo ait, Laudate Dominum, quoniam bonum est laudare Dominum: & subdit, Lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet. Nam quoniã psalmus non est quilibet cantus, sed ad psalterium, qui ergo psallit (inquit) non sola voce psallit, sed assumpto etiam psalterio accedentibus manibus voci concordat. Vis ergo psallere? non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordẽt cum voce tua. Cum voce cantaueris, silebis aliquando; in vita sic canta, vt nunquã sileas. Nihil ergo delectabilius, nihil suauius agit homo, quam vt Deo semper confiteatur: vbi & cantat ipse dulci admodũ voce, sed dulciorem audit, dum verba reddentem vicissim Spõsum exaudit. Lingua autem Sponsi, vt ait S. Bernardus, fauor est dignationis eius; animæ verò, feruor deuotionis. Elinguis (inquit) est anima, atque infans, quæ hanc non habet, & non

Secundò quod laus Dei delectat nos.

Psal. 146. Aug. in hunc Psalmum.

Serm 45. in Cant.

potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum Verbo. Vides quali opus sit lingua, vt laudemus Deum, &, vt Deum laudantes ipsa laude delectemur.

Tertiò quod laus Dei repræsentatio est vitæ futuræ.

Tertiò, quia confiteri Domino; & laudare illum repræsentatio quædam futuræ vitæ est, vbi sine termino, & verè in æternum, & in seculum seculi, id est, in æternũ, & vltra laudabitur Deus. Vbi sine tempore in æternitate Beati laudant; & in facie Dei, quam semper vident, legunt sine syllabis temporum (vt ait S. Augustinus) legunt, eligunt, & diligunt. Semper legunt, & nunquam præterit, quod legunt: eligendo enim, & diligendo legunt ipsam incommutabilitatem consilij tui. Non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipse illis hoc es, & es in æternum. Idem dic de concentu, & laudibus sempiternis. In illo enim libro, qui non clauditur, & non plicatur, cantant laudes Dei: vbi eo suauiores erunt voces, quo visio fuerit perfectior, & caritas ardentior. Quam beatum autem erit vocem audire Humanitatis Christi Deum laudantem supra omnem modum, atque mensuram! Quam suauè Deiparæ concentus melliſluos percipere, Angelorũ, Apostolorum, & Sanctorum omnium? vt vox nostra quasi vna cum ceteris facta, etsi non adeò in se magna, his tamen coniuncta magna censenda sit. Quare S. Augustinus in hac vita

Conf. l. 13. c. 15.

Præfat. in Psal. 148.

vita docet nobis incipiendas esse laudes Dei, quas in futura sine fine cantemus. Meditatio (inquit) præsentis vitæ nostræ in laude Dei esse debet, quia exultatio sempiterna futuræ nostræ vitę laus Dei erit. Et nemo potest idoneus fieri futuræ vitæ, qui se ad illam modo non exercuerit. Interim ergo, quandiu in peregrinatione sumus, & laudemus assiduè Dominum, & delectemur laudibus, quas illi Maiestati cælestes Spiritus exhibent. Atque hoc desiderio, cũ illi perpetuò laudent, gratulabundus gaudia sua illorum gaudijs miscens, excedens super se Propheta dixit, Laudate Dominũ de cælis, laudate eum in excelsis. *Psal. 148.* Et, vt sermonem suauissimum de confessione, & laũdibus Dei, & Canticum pro floribus, & lilijs, verbis sancti Spiritus concludamus, audiamus quid dicat. Obaudite me diuini fructus, & quasi rosa plantata super riuos aquarum fructificate. *Eccles. 39.* (Quam pulchrè rosis nostris, vt lilijs, id est, dicatis Deo famulis odore, & splendore virtutum eminentibus, laus congruit?) Quasi libanus odorem suauitatis habete. (Candorem in libano, & odorem thuris, id est, diuinæ laudis agnosce.) Florete flores quasi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, (Et, lilia nominatim ponuntur candore mulcentia, odore oblectantia, in quæ spinæ, vt, dum explicaremus titulum nostri psalmi diximus, commutatæ

sunt.) Et collaudate Canticum, & benedicite Dominum in operibus suis. (Puri enim, & odorem spirantes benè laudant Dominum, quia rectos, non distortos decet collaudatio) Date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in canticis labiorum, & citharis, & sic dicetis in confessione, Opera Domini vniuersa bona valde. Quorum eximia & præstantissima, vtpote gratiæ, & gloriæ in hoc Psalmo cantata sunt. Vt meritò omnes, qui in voce exultationis, & confessionis, & sono spiritualiter epulantis canimus, clamemus incessanter Deo gratias, Deo gratias.
Ep. 77. Nam quid melius (inquit S. Augustinus) & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam Deo gratias? Nihil dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Breuis siquidem est vox syllabarum pronuntiatione, lætissima superabundanti dignatione, grandis admodum mysterij significatione, vtilissima verò perpetua actione.

Nunc ergo, benignissime Iesu, accipe sacrificium laudis de manu linguæ meæ, quam formasti, & excitasti, vt confiteatur nomini tuo: & sana omnia ossa mea, & dicant, Domine quis similis tibi? Laudet te anima mea, vt amet te: & confiteatur tibi miserationes tuas, vt laudet te. Ignos-

sce clementissime, quod enarrauerim immundis labijs mysteria Epithalamij tui, & assumpserim delicias tuas per os meum. Feci vt laudarem te, & excitarem me, vt sic excitatus perfectius laudarem te. Voluntaria oris mei approba Domine; & vel nunc igne de cælesti altari tuo assumpto munda labia mea, vt tibi in hac vita confitear totis medullis cordis mei, & in æterna tandem te regente, te ducente, te reuelante cum Angelis, & Sanctis tuis hymnum concinam nomini tuo, cui sit gloria, & honor in secula seculorum. Amen.

MEDITATIONES IN PSALMVM CXVIII.

HVIVS PSALMI PRAESTANTIA.

TOTVS propè moralis est Psalmus. Itaque S. Ambr. morales sententias Dauidem ait plerisq; locis, veluti stellarum diffudisse lumina; in hoc verò velut pleni luminis solem meridiano feruentē calore constituisse. Ita quanquam longissimus,

Psalterij partes quinque, & singulæ Dei laude terminãtur.

tamen suauissimus est. Mihi verò videri solet totum Psalterium quodam compendio, & summa complecti. Quod, vt breuiter indicetur, considerandum principio est, quod S. Gregorius Nyssenus notat, vniuersum Psalmorum librum in quinque partes describi, quarum singulæ Dei laudibus terminantur. Nam prima Psalmo quadragesimo clauditur: cuius finis est, Benedictus Deus Israel à seculo, & vsque in seculum, fiat, fiat. Secunda Psalmo septuagesimo primo: cuius finis, Benedictus, qui facit mirabilia, & benedictum nomen maiestatis eius in æternum: & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat, fiat. Tertia Psalmo octogesimo octauo, qui finem habet, Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat. Quarta Psalmo centesimo quinto: cuius clausula, Benedictus Dominus in æternum, & dicit omnis populus fiat, fiat. Quinta vltimo Psalmo, & sententia, Omnis spiritus laudet Dominum. Singulæ igitur partes desinunt in laudes Dei, & quidem quatuor cum geminata illa apprecatione, fiat, fiat.

Quid quæque pars præcipuè agat.

Deinde idem B. Pater Gregorius Nyssenus quid in Psalmis singularum partium tractetur, quasi compendio exponit. Nam, vt ille docet, in prima parte abducitur homo ab improba vita, vt legem Dei apprehendat, & secundum eam viuat: ideò primus Psalmus incipit. Beatus vir, qui non abijt

abijt in consilio impiorum. In secunda iam perpurgato animo, plus sititur Dei communicatio, & fons vitæ, isque hominem ad se rapit, ideò inchoatur à Psalmo, Quemadmodum desiderat cerus ad fontes aquarum. In tertia, qui in se iam recepit Deum, perspiciendi facultate maiore donatur, magisque illuminatur vt videat prouidentiã iustam, etiamsi qui rectè viuunt tribulentur, & cõtra prosperentur iniqui. Quod intelligitur ex primo eiusdẽ partis psalmo. Quam bonus Israel Deus. In quarta, qui eo vsque ascendit, iam in tantã sublimitatem eleuatur, vt se ipso fiat maior: vnde titulus primi psalmi eiꝰ partis est, Oratio Moysi hominis Dei, tanquam is, qui ad hunc gradum peruenit, ipse sit legislator, & docere possit, non egeat ipse doctore. Quinta denique velut ad supremum verticem, & excellentissimũ contemplationis gradum ducit eũ, qui ad tantam altitudinem eniti potest, transuolando firma quasi ala omnes araneorum huius vitæ contextus: & in perpetua gratiarum actione, & firmissima stabilitate cõstituit, vt indicãt psalmi, quibꝰ inchoatur ea pars, & finitur. Hoc modo sanctissimus, atque doctissimus hic Pater, quasi breui quadam tabella scopum psalmorũ, & argumenatum delineat. *Psal. 89.*

Quibus positis iam breuissimè ostendamus, quomodo partes huiusmodi omnes **Totum psalteriũ**

velut cõ pẽdio continetur in Psa. 118.

in hoc Psalmo nostro tanquã breui recapitulatione, & summa condantur. Prima pars ferè toto psalmo agitur: sed in primo & secũdo octonario manifestè. Quid enim aliud agit, nisi vt ab improba vita abducat? vt legem Dei homo apprehendat, & secundum eam viuat, dum beatos pronuntiat, qui ambulant in lege Domini, & eius testimonia scrutãtur, totoque corde Deũ exquirunt? Dum viam corrigere docet, Dei mandata custodiendo? & huiusmodi plurima: quæ non difficilè diligens inuestigator aduertat.

Primùm purgatur anima.

Secundò accenditur siti diuinorũ.

Nec obscura pars est secunda de animo perpurgato, & diuina siti. Hoc enim sonant verba illa. In toto corde meo exquisiui te. Et illa, Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Quomodo sitit, quomodo æstuat, quomodo clamat, Defecit in salutare tuũ anima mea? &, Præuenerunt oculi mei ad te diluculo. Et, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quomodo gloriatur se hereditate acquisiuisse testimonia Dei, quæ exultatio cordis sui sunt? Nimirum vt cum apparuerit ille, qui abstergat lachrymas eius, pro pane lachrymarum ipse succedat.

Tertiò illuminatur.

Tertia verò pars clarissimè apparet, dũ se ex diuinis luminis participatione adeo collustratum indicat, vt & super senes, & super omnes docẽtes se intellexerit. Ostẽdit

dit autem prouidentiam, cum dicit. Lōgè à peccatoribus salus. Et, Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis. Et, Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: quod in hebræo est, scoriam reputasti omnes peccatores terræ. Et, Fiat misericordia tua, vt consoletur me. Item, Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam. In quibus satis indicat, inæquali iustorum, & iniquorum afflictione, quæ ex occultis, iustis tamen semper iudicijs Dei prouenit, & quas Deus hominum tribulationes promiscuè & manifestè dispertiat & quid suis occultè reseruet.

Quartò, quod autem, eo vsque ascendēs seipso factus sit maior, docet non obscurè in eo quod mirabilia asserit Dei testimonia, atque propterea ea se scrutatum esse: & declarationem sermonū Dei illuminare, & intellectum dare paruulis; de quorum se numero esse profitetur. Eodem pertinent. Initio cognoui de testimonijs tuis, quia in æternum fundasti ea. &, Principium verborum tuorum veritas. Hæc enim omnia nec experiri possūt, nec cōijcere, nisi mundo corde: & qui se supra se diuino lumine, & ardore eleuant. Quartò fit maior se ipso.

Quintò denique ostendit se ad supremū verticem preueniſſe, & firma quasi ala transuolasse, ac pertrāsisse omnes araneorum huius vitæ contextus, dū ait. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes (sic enim Quintò transuolat humana omnia.

per

per contemptum appellat mundi delectationes,& omnia à lege Dei aliena) sed non vt lex tua, significans præ lege Dei, omnia illa trãsiliſſe,vt inania figmẽta, & ludibria. Ideo & ait. Omnis conſummationis vidi finẽ. Et, Portio mea Domine. Quippe cætera omnia velut quiſquilias,& ſtercora arbitrabatur. Et addit, Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo. Hanc enim ſolam concupiſcens cętera detrimentum putat:in ipſa reſpirat, & conquieſcit.Ibi verò quid non ſuaue, plenũque dulcedinis? Ex his vtcumque apparet non immeritò dixiſſe me quaſi compendio in hoc Pſalmo concludi quicquid S. Gregor.Nyſſenus in tota pſalmorum diſtributione vult contineri.

Phil. c.3.

Quomodo ſingillatim omnes pſalmi ad 118 referantur.

Sed iam placet à generali horũ quinque capitum conſideratione ad ſingularia magis deſcendere, vt appareat omnia ferè, quæ varijs pſalmis continentur, quaſi ad hunc reduci, & in eo quodammodo recapitulari vt ſit hic veluti fructus pſalmorũ ceterorum. Quod in pleriſque, vt ſpero, non difficile oſtendam, dans interim occaſionem ſapiẽtibus idem,ſi voluerint,in reliquis meditandi. Pſalmus primus manifeſtè felicitatem narrat, & proſperum curſum eorum,qui in lege Dei meditãtur. De qua lege non ſolũ in hoc noſtro pſalmo agitur, ſed in ſingulis ferè verſiculis mentio diuerſis nominibus fit: quod attẽ-

Oſtenditurde primo.

tiũs

tius considerandum est.

Psalmi multi agunt de mirabilibus Dei, quæ in manu potenti, & brachio excelso fecit, in exitu Israel de AEgypto, in mari rubro, in deserto, vt Psalmo 43. 77. 105. 106. 107. & 113. Sed hæc omnia eò tandem referenda sunt, vt potentiam magnificētiam, & beneficia eius recensentes, cum gratitudine, & obedientia seruiamus illi, nec vnquam ab eius voluntate recedamus. Et de ijs, qui continent mirabilia Dei. Psal. 135.

Quod si agitur de liberatione ab inimicis, & victoria ex ijs reportanda, vt Psalmo 3. 9. 10. 11. 12. 15. 16. 17. 24. 25. 26. 27. 30. 34. 53. 54. 55. 56. 58. 139. 140. 141. 142. Quæ maior ratio allegari potest ad petendam, impetrandamque liberationē, quod magis præsidiū omni tempore necessarium est, quam obseruatio mādatorum Dei? Sic enim Dominus populo suo pollicetur. Si in præceptis meis ambulaueritis, dabo pacem in finibus vestris: dormietis & non erit, qui exterreat: persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis. Et qui victoriā ex inimicis. *Leu. c. 26.*

Si Psalmos spectemus qui de pœnitentia agunt, vt 6. 31. 37. 50. 101. 129. 142. sanè non poterit fructuosa esse pœnitentia sine obseruatione mandatorū Dei. Qui enim baptizatur à mortuo, & iterùm tangit eū, quid proficit lauatio illius? Et qui sūt de pœnitentia. *Eccl. c. 34.*

Si Dei admirabilis cantetur, ac prædi- Et qui de

cetur

Creatione, & gubernatione mũdi.

cetur efficientia, & sapientia in creatione, dispositione, & gubernatione mundi, vt psalmo 102. & 103. an non magnitudo eius, beneficentia, maiestas, & dominium exactam exigit mandatorum obseruationem? dicente Domino. Si diligitis me, mandata mea seruate. & itẽ. Audi Israel, Dominus Deus noster Deus vnus est: &, Facies hoc, non facies illud: ego Dominus. Ac si dicat. Cum ego verè, & solus naturalis sim Dominus, præcepta mea omni vigilantia, & perfectione custodire debetis.

Io. c. 14.
Deut. c. 6.
Exod. 10. 31. &c.

Qui de protectione istorũ.

Si agatur de protectione Dei super suos, vt psalmo 19 20. 22. 30. non possunt hanc sibi polliceri, qui à Domino recedunt: qui dicunt illi. Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus. De quibus discrtè dicitur. Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Fornicatur autem anima cũ auertitur à Deo, & quærit extra illum ea, quæ pura & liquida non inuenit, nisi cum redit ad illum.

Iob. c. 21.
Psal. 72.

Qui de subdenda anima Deo.

Si subiectionẽ animæ nostræ offerimus voluntati Dei, vt psalmo 61. & 62. certum est neque vt seruum Domino, neque vt filium patri, neque vt templum Deo suo cohærere, qui per prærupta graditur à mãdatis aberrans.

Et de Dei beneficijs

Si beneficia, & abundantiam donorum considcramus, vt psalmo 64. 65. 67. quis tam

tam ingrati, & lapidei cordis sit, vt se non illi totum deuoueat? qui ab ipsius voluntate audeat vel ad modicum recedere?

Si laudes Dei canimus, vt psalmo 18. 28.32.144. 145. 146. sine obseruatione legis audiem⁹, Non est speciosa laus in ore peccatoris. & item. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum? Et eius laudibus. *Eccl.* c.15. *Psal.* 49.

Si canticum graduum cantamus, vt à psalmo 119. & deinceps, siue incolatum querimur, siue custodiam poscimus, siue torrentem nos pertrãsisse lętamur, siue diuinam protectionem cũ admiratione extollimus, quomodo ascensiones vel disponemus in corde, vel ponem⁹ in gressibus, nisi per custodiam mandatorum? Et in Cãticis graduum. *Psal.* 83.

Si Christi Dei nostri ortum antè Luciferum de vtero Patris æterna generatione eructamus: si eius æternum Sacerdotium iureiurando sancitum prædicamus (alij enim sine iureiurando facti sunt Sacerdotes) vt psalmo 109. Nonne monet Apostolus, vt talem habentes Sacerdotem super Domum Dei, accedamus ad eum cum vero corde, aspersi corda à conscięntia mala, & abluti corpus aqua munda? quod fieri nullo modo potest, nisi diuinæ legi toti adhæreamus. Et qui sũt de Christi mysterijs: vt natiuitate æterna. *Hebr.*7. *Heb.*c.10.

Mysteria porrò natiuitatis eius, quod Natiuita-

in

te in tempore.

in descriptione populorum natus sit in Sion, vt homo verus: & fundauerit eam tanquam altissimus verus Deus, vt psalmo 86. quis dignè celebret, nisi qui adeptus participationem generationis Christi carnis renuntiarit operibus: & ab eius germine nullis terrenis cupiditatibus se sinat abduci; sic psalmo 95. & 96. quando domus ædificabātur post captiuitatem, populi, & syluæ, & flumina, vt plaudant manibus nempe operibus, & omnia ligna syluarum inuitantur.

Et de laudibus Sponsi.

Si pulchritudinem, fortitudinem, gratiam labiorum, & mille Sponsi laudes, vt 44. & 71. recenseamus, quomodo id dignè fiet, nisi vestimenta iustitiæ, quæ in lege Dei sunt, è promptuarijs eburneis, purris cordibus, myrrha, gutta, & casia delibuta in eius honorem, & gloriam, & delectationem proferamus:

Psal. 44.

Et de mysterijs passionis

Iam de mysterio Passionis, quod non solum apertissimis verbis psalmo 21. prædicatur (qui meritò pro cerua matutina, vel aurora inscribitur, nam pernicitate pedum summo diluculo præ desiderio currentibus reuelatur: ceteris pigris, & affectu languentibus, ac lentis absconditur) quid dicendum est? de quo & psalmo 68. 70. & 88. magnificè agitur. In quo manifestè sanctuarium eius, ideſt, regium diadema profanatum in terra narratur, quia exinaniuit se; & sibi illa inferri passa est di-

Phil. c. 2.

uina

uina Maiestas, quæ miserrimè experitur humana mortalitas. Quis, inquam, vel sine luce mysterium illud attingere, vel sine amore libare vt cumque potest? At illuminatio sine lege Dei haberi non potest: nec affectus terris affixus ad tam sublima consurgit. Eruatur ergo quasi damula de laqueo: & per legis custodiam properet, qui eo festinare desiderat: & meminerit psalmum 87. inscriptum esse, pro Maheleth, ideſt, choro ad respondendum. Quid est autem ad respondendum? Explicat S. Augustinus verbis Apostoli Petri. Christus passus est pro nobis, vobis relinquēs exemplum. Hoc est enim in choro Christo Domino præcinenti respondere, sequi vestigia eius. Quomodo verò implebitur illud. Dixi ascendam in Palmam, & apprehendam fructus eius? Palma, & quidem dulcissimorū plena fructuum, Crux Christi est. Quo loco si Sponsam, ideſt, Ecclesiam, vel animam quamcumque loqui accipiamus, quomodo potest ascendere in hanc palmam, nisi scala mandatorū Dei? Cupiditatibus quippe terrenis inuiscata, & irretita nec volat anima, nec ascendit. Ergo purgata apprehendit fructus eius. Si autem intelligamus loqui Sponsum ipse ascendit in crucem, & apprehendit fructus eius. Fructus Crucis illius nos sumus. Fructus Crucis gratiæ, & bona, quæ nobis in illa promeruit. Nō enim ad aliud Cru-

Prou. c. 6.

1. Pet. c. 2.

Cant. c. 7.

cifixus

1. Io. 3. cifixus est, quam vt dissolueret opera Diaboli, nos sanctificaret, & ad summa sustolleret: qui ideo in nostra descendit, vt nos in sua proueheret. A Diaboli autem operibus abstinet, & Deo fructificat, qui per obseruantiam mandatorum Dei hosti nō consentit, sed reluctatur, illumque pro merito contemnit, ac Deum diligit.

Et qui de vita æterna. Si promissiones æternæ vitæ concupiscimus, vt psalmo 41.8 .147. Quomodo ad illas aspirabimus, vel tendemus, nisi pedis custodia, cordis munditia, & probabilitate sanctorum morum? quæ omnia mādatorum finibus circumscribuntur. Denique, vt ait S. Augustinus, quis dignè cogitans mansionem, quæ est apud Deum, in quam

Rom. c. 8. omnes conscripti sunt, qui secundum propositum vocati sunt, non enitatur ita viuere, vt illi habitationi congruat? Non potest autem illi congruere in cælesti tēplo,

Io. c. 3o qui mandatis non congruat. Quia nihil inquinatum in illud introibit: nec ferramentum, aut instrumenta ibi audita sunt, quia lapides illic disponendi in hac vita perpoliuntur. Atque hæc satis sint, vt appareat quemadmodum ceteri omnes psalmi reuocari ad hunc possint. Ex quibus illud intelligi volo, quanta sit huius vtilitas, ac præstantia: ac proinde alios omnes tum perfectè cantatum iri, cum ad hunc, id est, ad memoriam legis diuinæ, & mandatorum custodiam referentur.

DE

DE PSALMIS ABECEDARIIS.

* * *

SED quoniam psalmus hic (quod Sancti Patres sine mysterio esse non censuerunt) ita à Propheta cõpositus est vt octoni quique versiculi Alphabetico ordine ab eadem litera inchoentur, sciendum est in toto psalterio septem inueniri hoc modo per Alphabetum dispositos, videlicet vigesimum quartum, Ad te Domine leuaui animam: meam trigesimumtertium, Benedicam Dominum in omni tempore: trigesimum sextum, Noli æmulari: centesimum decimum, Confitebor tibi Domine in toto corde meo: centesimum vndecimum, Beatus vir, qui timet Dominum: centesimum quadragesimum quartum, Exaltabo te Deus meus Rex: & hunc centesimum decimum octauum. Horum meminit D. Hieronymus in præfatione in libros Regum Epistola 106. licet omiserit vigesimum quartum, & trigesimum tertium. Quot, & quinam.

Cetera hoc differt ab aliis psalmus hic noster, quod in ijs singulæ literæ singulos versus, in hoc singulæ octonos inchoant. Vtriusque autem rei hanc rationem S. Ambrosius assignat. Vt, inquit, quem- Cur psalmus 118 per Alphabetũ.

rios distinctus.

quemadmodum paruulorum ingenia primis literarum elemẽtis assuescunt discẽdi vsum assumere, ita etiam nos huiusmodi elementis vsum discamus viuendi. Literis autem singulis octonos ait versiculos adscriptos, vt purgatio indicetur, quæ octauo die statuta est legalis quidem circumcisione; nostra autem, & vera, in resurrectione Christi. Sed vtinam puri simus, nõ sensibus, sed malitia, qui partem ethicen quam in Psalmis Spiritus sanctus complexus est, & qua ad purgationem oculorum & mysteriorum intelligentiã peruenitur, studiosissimè amplectamur. Et mihi quidẽ videtur simili elementaria figura vsus fuisse Spiritus sanctus, cum in Apocaly. B. Ioannis dixit Dominus, Ego sũ Alpha & Omega. Nam cum innumera suppeterent exempla, siue à rebus naturalibus, siue à Mathematicis, siue ab alijs disciplinis, literali vsus est exemplo, vt se principium, ac finem ostenderet, tanquam diceret. Ita tritum, ac fixum omnibus esse debet, me esse principium, ac finem, vt pueris, & elementarijs vulgare est, Alpha, & Omega, principium esse, & finem Græci Alphabeti. Sed illud prætereundum non est, sex alios abecedarios psalmos cum hoc nostro, licet diuerso modo ponantur, quia traduntur, miro modo cõuenire, vt facile conferenti ex ipsa collatione patebit. Nam in 24. quanta exprimitur voluntas pla-

1. Co. c. 14

Cur Dominus dicat se esse Alpha, & Omega.

Apoc. c. 1.

Quã alij psalmi alphabetarij cum 118. consentiant. De 24.

cendi
vias e
mihi
prædi
speran
Firma
eum;
stetur
superb
stos,
inopia
à Dom
hi aute
Angeli
nifeste
sti; &
respect
manda
tum D
& here
omnia
manda
tiæ, tim
num es
testimo
potenti
summa
æterna
minum
iugiter
moratio
tiæ glor

cendi Deo, & cognoscendi, & ambulandi vias eius! Vias tuas, inquit, demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Quam prædicantur, qui timent Dominum, & sperant in eo, & custodiunt eius legem? Firmamentum est Dominus timentibus eum; & testamentum ipsius, vt manifestetur illis. In 33. ponitur discrimen inter superbos, & humiles; peccatores, & iustos, quorum illi egent, & esuriunt præ inopia verorum bonorum, despiciuntur à Domino, & pessima morte moriuntur: hi autem gustant Dominum; & ab eo, & Angelis eius defenduntur. In 36. item manifestè describitur diuersa via impij, & iusti; & retributio vtriusque, vt appareat respectus Dei in Sanctos eius, & seruantes mandata illius. In 110. ponitur testamentum Dei & esca, ac cibus timentibus eum, & hereditas, quæ datur seruantibus fidelia omnia mandata eius. Nec non intellectū mandatorum Dei, qui ab initio sapientiæ, timore scilicet illius inchoatur, ijs bonum esse, qui illa opere adimplent. Centesimo vndecimo manifestè prædicatur potentia, benedictio, gloria, diuitiæ, summa iucunditas, spes, misericordia, & æterna memoria illius, qui timens Dominum in mandatis eius, & vult nimis, & iugiter delectatur. In 144. post commemorationem magnitudinis, magnificentiæ gloriæ, & regni Dei, suauitatis eius,

De 33.

De 36.

De 110.

De 111.

De 144.

veritatis, & æternitatis Imperij, concle-
ditur tandem, prope esse illud omnibus
inuocantibus eum in veritate: & volun-
tatem timentium se facere, deprecationem
corum exaudire, & custodire omnes dili-
gentes se, & omnes peccatores disperdere.
Vides itaque custodiam mandatorum cau-
sam tot bonorum affluentissimam esse,
nec toto hoc nostro psalmo ferè aliud quic-
quam tractari; vt meritò proinde omnes
abecedarij psalmi ita scripti sint, quia pra
cæteris alphabetum continent puerorum
Dei.

Significatio literarum Hebraicarum quam conueniat Psalmo 118.

Literæ Hebræ significatiuæ sunt.

NVnc supereſt considerandum quam
congruè hæc elementa, & illorum si-
gnificatio in hoc nostro Psalmo ponatur.
Sciendum itaque apud Hebræos viginti
duas literas, easque significatiuas esse, quod
ceteris linguis non contingit. Earum si-
gnificationes ponit S. Hieron. epist. 1
ad Paulam Vrbicam, & eodem fere modo
interpretatur Euseb. lib. 10. de præpar.
Euang. c. 2. & sunt hæ.

1 א Aleph doctrina, seu disciplina.
2 ב Beth domus.
3 ג Gimel plenitudo.
4 ד Daleth tabularum, seu librorum.
5 ה He ista.

6 ו Vau &.
7 ז Zain hæc.
8 ח Heth vira.

9 ט Teth bonum
10 י Iod principium.

11 כ ך Caph manus.
12 ל Lamed disciplinæ, siue cordis.

13 מ ם Mem ex ipsis.
14 נ ן Nun sempiternum.
15 ס Samech adiutorium.

16 ע Ain fons, siue oculus.
17 פ ף Phe os pro ore, non pro osse.
18 צ ץ Zade iustitia.

19 ק Coph vocatio
20 ר Res capitis.

21 ש Sin dentium
22 ת Thau signa.

Has autē literarum significationes ita S. Hier. & Euseb. inter se nectunt, vt integras ex ijs ex ijs sentētias eliciāt, hoc ferme modo, vti nos quoq; distinximus. I. Doctrina dom' plenitudo librorū ista. II. Et hæc vita. III. Bonum principium. IV. Manus disciplinę, siue cordis. V. Ex ipsis sempiternū adiuto-

Sententię octo.

rium. VI. Fons, siue oculus oris iustitiæ. VII. Vocatio capitis. VIII. Dentium signa. Quas sententias vbi explicauit Hieronymus subijcit. Oro te, quid hoc sacratius sacramento ? Videamus ergo & nos, quam hæc conuenienter de diuinis Scripturis, atque de hoc præcipuè psalmo dicantur.

I. Doctrina domus, plenitudo librorum ista.

Quid autem sit domus, satis est manifestum: siquidem S. Paulus ad Timot. ait. Vt scias, quomodo te oporteat conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, quæ est columna, & firmamentum veritatis. Huius domus doctrina, Scriptura sacra est, & Apostolorum traditiones: in quibus plenitudo librorum continetur. Extra autem hanc domum nec doctrina est, nec plenitudo librorum. Non habent hanc doctrinam, & plenitudinem Gentiles, quia scripturas non agnoscunt: neque ipsorum quando sublimiora quædam, & cælestia attingere videantur, vt Plato, Trismegistus, Plotinus, & ferè Platonici omnes. Sed tam veram doctrinam non habent, quæ nec veram sapientiam, aut pietatem: & siqua dicunt, non argento probata, sed igne examinata, sed aliqua vera falsis permista, quasi somniantes loquuntur. Et Augustinus de his literis agens, vt cer-

1. Tim. 3.

In Ecclesia sola est vera, & plena doctrina.

Non habent eam Gentiles.

Psal 11. Conf. l. 7. c 20. & 21.

taceantur, præcipua Scripturarum noſtrarum capita eis deeſſe notat, de peccato hominis, de Chriſti redemptione, de chirographi captiuitatis noſtræ euacuatione. Et ſubdit. Non habent illæ paginæ vultum pietatis huius, lachrymas confeſsionis, ſacrificium tuum, ſpiritum contribulatum, cor contritum, & humiliatum, populi ſalutem, Sponſam, ciuitatem, arrham Spiritus ſancti, poculum pretij noſtri. Nemo ibi cantat, Nōne Deo ſubiecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum. Nemo ibi audit vocantem, Venite ad me omnes, qui laboratis: cetera omnia inania ſunt. Vnde idem Sanctus ingemiſcēs, quod in ſcripturis non ſacris tempus cōtriuiſſet, pulcherrimè, atque pijſsimè Deo loquitur. Cum verba tua, per Scripturas tuas, ſuſpenderent palmitem cordis mei, ne per inania raperetur turpis præda volatilibus. Non habent Iudæi: qui Scripturas proferunt, ſed ſine claue, & ſpiritu Chriſti, doctrinam, quam proferunt, non intelligūt. Non habent etiam, audeo dicere, nec ipſi, qui ſacramentis initiati, & in adoptionem, atque honorem filiorum tranſlati, corde non ſolum arido, ſed occœcato, & duro non intelligunt vocem ſpiritus. Nemo quippe intelligit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo: ita & quæ Dei ſūt, nemo intelligit, niſi Spiritus Dei. Sic enim ait Apoſtolus: & idem ſine hæſi-

Pſal. 61.

Matt. 11.

Non Iudæi.

Aliquo modo nec mali Chriſtiani.

1 Cor. 2.

Tit. c. 1.

tatione pronuntiat esse quosdam, qui cõfitentur se nosse Deum, factis autem negant: nec penetrant Scripturas, aut gustant de melle cæli melleas, & de lumine Dei luminosas. Quod S. August. de se, dum in errore versarettur, apertè fatetur.

Conf. l. 9. 9. c. 4.

Doctrina vera quid doceat.

Hæc doctrina compendio docet quicquid ad Dei obedientiam, & pacem pertinet: & iter commonstrat, vt non per deuia, & prærupta erremus in præceps, sed plana, ac suaui ad eum via gradiamur. Quam paucis verbis egregiè S. Cyprianus ita describit. Voluntas autem Dei est, quam Christus & docuit, & fecit, humilitas in conuersatione, stabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iustitia, in operibus misericordia, in moribus disciplina, iniuriam facere non nosse, & factã tolerare posse: cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere: amare in illo, quod pater est, timere quod Deus est: Christo nihil omnino præponere, quia nec nobis quicquam ille præposuit: caritati eius inseparabiliter adhærere: Cruci eius fortiter, ac fidenter assistere. Quando de eius honore certamen est, exhibere in sermone constantiam, qua confitemur; in quæstione fiduciam, qua congredimur; in morte patientiam, qua coronamur. Hoc est coheredẽ Christi velle esse, hoc est præceptum Dei facere, hoc est voluntatem Patris adimplere. Dicitur autem hæc doctri-

De orat. Dom.

na

na plenitudo librorum, quia eminentius ac solidius ea complectitur, quæ ad plenitudinem pertinent. Nam cætera inania sunt, nec plenitudinem habent, nec satietatem.

Cur vocetur plenitudo librorum.

II. Et hæc vita.

In his enim verè vita nostra & alitur, & consistit, cum Deus ipse vita sit animæ, qui per scripturas suas diuinitus inspiratas vtilia docet, arguit, corripit, erudit in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Et sanè si ira in indignatione Dei, & vita in voluntate, id est, amore, & complacentia ipsius est, quomodo potest Deus vel amare, qui per mandatorum negligentiam ab eo recedunt, vel complacere sibi in ijs summa ipse pulchritudo, & sanctitas, quos dissimiles sibi, & à mandatis suis conspexerit deuios? De hac vita egregiè D. Ambrosius in hoc ipso psal. sic ait. Hæc est animæ nostræ vitalis substantia, qua alitur, & pascitur, & gubernatur: nec quicquam est aliud, quod viuere faciat rationabilem animam, quam alloquium Dei. Vide locum pulcherrimū, quem nos etiam supra totum posuimus. Meritò ergo dictum est in hac alphabetica doctrina Ecclesiæ esse plenitudinem librorum, & vitam.

Vita quomodo sit in sacris Scripturis. 2 *Tim.* 3. *Psal.* 29. *Serm.* 7. *vers.* 1. *In Psal. Eruc. v.* 3.

III. Bonum principium.

Hinc certè conijcere licet altitudinem spei nostræ, ad quam, vt ait S. Leo, non se-

Spei Christianæ quāta altitudo.

signiter, nec cum torpore currendum vobis est. Cum enim ipsa adoptio filiorum, gratiarum thesaurus, & perpetua Dei circa nos (vt loquitur Apostolus) effectio, & formatio sit, respectu tamen perfectæ plenitudinis, quæ in alia vita, in fonte luminis, & feruore seruatur caritatis, veluti, quoddam principium est. Vnde B. Apostolus Iacobus etiam regeneratos non est ausus dicere perfectum quid fuisse in hac vita effectos, sed tantum, Vt simus (inquit) initium aliquod creaturæ eius. Vnde cum per Spiritum sanctum, & per scripturas eius die formamur (vt legit Nazianz.) & quotidie expolimur, adhuc sumus initium aliquod creaturæ eius, vt tandem in alia vita ipsa præsente, & absorbente nos Vita, quæ Deus est, perficiamur, & deificemur. Ad quam tamen perfectionis plenitudinem, vt notat Cassianus, nemo perueniet alias in futurum, nisi qui præmeditatus, & imbutus ea fuerit in præsenti, eamque adhuc in hoc seculo positus prælibauerit: Christi membrum pretiosissimum designatus, arrham compaginis illius, per quam corpori eius valeat copulari, in hac carne possederit: vnum duntaxat desiderans, vnum sitiens, ad vnum omnes non solum actus suos, verum etiam cogitationes semper intendens, vt illud, quod in futurum dicitur de beata conuersatione Sanctorum, iam subarrhatum teneat in presenti; id est, vt sit

Iac. 1.

Psal. 118. In sanctã Penec.

De mobilit animæ. c. 6.

Hæc vita præparat ad plenitudinem futuræ.

ei

ei Deus omnia in omnibus.] Sumus enim in hac vita partim Deo similes per virtutes, & dona Spiritus, partim dissimiles propter imperfectiones, & corpus, quod corrumpitur, & aggrauat animam. Tunc autem, cum facta fuerit de medio iniquitas, vt loquitur Bern. quæ eam, quæ ex parte est, dissimilitudinem facit, erit vnio spiritus, mutua visio, mutuaque dilectio. Siquidem veniente quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est: eritque ad alterutrum casta, & consummata dilectio, agnitio plena, visio manifesta, coniunctio firma, societas indiuidua, militudo perfecta.] At dum in hac misera carne per fidem ambulamus, & non per speciem, talis perfectio haberi non potest. Quare idem Sanctus asserit sibi consolationi esse, quod magnus ille Paulus, vas electionis, dum negat se perfectum esse, sed sequi, si quo modo comprehendat, perfectum abnuens perfectum fatetur. Sed quomodo etiam in hac vita suam in nobis similitudinem Deus requirat, egregiè S. Leo. Agnosce, inquit, ô Christiane tuæ sapientiæ dignitatem, & quibus virtutum gradibus, ad quæ præmia voceris intellige. Misericordem te misericordia, iustum vult te esse iustitia vt in creatura sua Creator appareat: & in speculo cordis humani per lineas imitationis expressa Dei similitudo resplendeat.

Sap. 9.
Serm. 82. in Cant.
1. Cor. 13.
2. Cor. 5.
Phil. 3.
In illud. Videns Iesus turbas.

IV. Manus disciplinæ, siue cordis.

Adiungēdum cognitioni opus.

Disciplinam, & doctrinam idem esse nonnulli Doctores notant: dici verò doctrinam, prout proficiscitur à doctore, disciplinam verò, prout est in discipulo. Dictum erat supra de doctrina Ecclesiæ, & plenitudine librorum; iam hanc doctrinā vt fructuosa sit, necesse est in discipuli corde recipi, & inhærere. Non enim frustra

Psal. 118. orat Psalmista, Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me. Et quoniam hæc pars ethicæ multa continet scitu dignissima, orat vt diuina luce illa perspiciat. Verum, quia in parte præcipua morali, & mandatorum, siue legis disciplina parum prodest, imò magis obest scientia (scienslenim voluntatem Domini, & non faciens

Luc. 12. vapulabit multis) nisi ex affectu etiam quisque ad agēdum procedat, additur, Manus disciplinæ. Per manum quippe operis intelligi, vel virtutem operatiuam nemo est, qui ignoret. Monemur igitur, vt, quæ ex sermonibus diuinis assequimur, opere impleamus. Nam Psalmista Deum dicit

Psal. 76. se manibus exquisiuisse: & Spōsa gloriatur

Cant. 5. non in inuentione tantum, sed in quæsitione Sponsi, cum surgeret, vt illi pulsanti aperiret, manus suas stillasse myrrham, & digitos myrrhā probatissimā. Vides manus, & digitos exercendos, si Deum quærere volumus, id est, non solum operibus, quæ per manus significantur, sed etiam di-

gi-

gitis, & articulis; qui subtiliora, & difficiliora opera perficiunt, Deum esse exquirendum. Non enim frustra Psalmographus Deo gratias agit, quod docuerit, non solum manus suas ad prælium, verum & digitos ad bellum: cum tamen nemo sit, qui manibus prælietur, quin digitis etiam vtatur. Sed nostra necessitas innuitur, & subtilitas diuinæ operationis exponitur, dum exponitur non solum manus, sed etiã digitos à Deo mouendos: vt petat vnusquisque vt sit splendor Domini Dei nostri super ipsum, & opera manuum suarum dirigat super eum, & opus manuum suarum dirigat. Hæc enim repetitio operum, & operis, & directio tam necessaria, orationis instãtiam signat, qua id petere debeamus. Quod quiuis in spiritu ambulanti perpetuo faciendum est, si stare, & ad sublimiora assurgere seriò concupiscit. *Psal. 143.* *Psal. 89.*

Addit D. Hieron. Siue cordis, quod non difficile cum prioribus connectitur. Nulla est enim disciplinę manus, si ex corde non prodeat. Inde enim desideria incipiunt: inde vigor animi cedere nescius: inde denique & manuum, & digitorum operatio. Hic meditare quæ cordis rectitudo, quæ munditia esse debeat, vt disciplinæ manus fortiter exerantur. Nam de bono thesauro cordis bona perfruuntur: & quæ inde non exeunt, cordium scrutatori, & ponderatori spirituum accepta esse non Ex corde bonum opus manare debet. *Matt.* 12

possunt.

V. Ex ipsis sempiternum adiutorium.

Adiutorium Dei perpetuo necessarium.

Quam congruè post manus disciplinæ, vel cordis, sempiternum adiutorium inde promittitur? Nulla est enim vel scientia Scripturarum, vel vita, vel sanctitas, quam in bono principio intelleximus, vel manus disciplinæ, siue cordis sine Dei adiutorio. Addit autem, sempiternum, quia illo perpetuò indigemus: & quia Deus non patitur eo nos vel ad horam deseri. Propter hoc Sancti quique vtrumque agnoscentes perpetuò clamant: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Nam se quidem, qui Deo tenente stare sciunt, eo manum retrahente, intelligunt stare non posse. Verbo Domini (inquit S. Bernardus) cæli firmati sunt: & terra stabit sine verbo? ô si scires, quam parum est, quod habes; & illud parum quam citò amitteres, nisi seruaretis, qui dedit? Et S. August. O si cognoscant se homines homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur. Et alibi. Respiro (inquit) in te paululum, cum effundo super me animam meam in voce exultationis, & confessionis, soni festiuitatem celebrantis: & adhuc tristis est, quia relabitur, & fit abyssus; vel potius sentit adhuc se esse abyssum. Et alibi: Bonum illi est hærere tibi semper (loquitur autem de spiritu humano) ne quod adeptus est con-

Psal. 69.

Ser. 85. in Cant.

Psal. 32.

Conf. l. 9. c. vlt.

1. Cor. 1.

Conf. l. 13. c. 2.

lib. 13. c. 14.

uer-

uersione, auersione lumen amittat: & relabatur in vitā tenebrosam abyssō similē. Hæc de necessitate adiutorij sempiterni, quæ nostra est. Si verò cogitemus benignitatem Dei sempiternum adiutoriū vel pollicentis, vel exhibētis, magna nobis est consolationis occasio. Plenæ sunt Scripturæ huiusmodi promissionibus, sed illud suauissimū, quod de templo Salomonico dicitur. Erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus. Quin & Apostolus magna nos fiducia diuini adiutorij replet, cū ad Hebræos scribens, quod dictum fuerat Iosue, transfert ad nos. Non te deseram, inquit, neque derelinquam. Vbi nos docet, quæ promissa sunt Patribus, fidenter sperare. Et paulò post, Mementote (inquit) præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt Verbū Dei, quorum intuentes exitum cōuersationis, imitamini fidē. Dicat quis præ pusillanimitate spiritus, & tempestate, quomodo possum imitari exitum cōuersationis tam eminentium virorum? quomodo sectari fidem? Respondere videtur Apostolus. Numquid illi propriis viribus, aut propria potestate ea fecerunt? Iesus Christus heri, & hodie ipse & in secula. Idem ipse, qui donauit eis, & erat præteritis temporibus, hoc est enim heri, idem & hodie, id est, præsentibus temporibus est, ipse & in sæcula, id est, futuris vsque ad consūmationē seculi. Non enim,

Benignitas Dei in promittendo, & exhibendo adiutorio.

3. Reg. 9.

Hebr. 13.

Iosue 1.

Psal. 54.

Hebr. 13.

vt ait S.Bernardus: in eo aut thesauri gratiæ defecerunt, aut volũtas immutata est. Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiã inueniamus in auxilio opportuno. *Hebr.4.*

VI. Fons, siue oculus oris iustitiæ.

Vtrumque significat vox, Ain, fontem, & oculum: & vtraque significatio egregiè quadrat proposito. Videamus prius de oculo. Dicitur ergo Scriptura diuina, siue Psalmus iste, qui illuminationẽ doctrinæ practicæ continet, oculus oris iustitiæ: vox autem hebræa, Phe, significat tam os, quod loquimur, quam totam faciem, sicut & apud Latinos. Si ergo accipiamus in prima significatione, videtur mihi sensus esse. Non posse aliquem de iustitia, & mãdatis Dei rectè loqui, nisi habeat interiorem oculum, qui lumine diuinæ sapiẽtiæ colluſtretur: nec tractandas esse exhortationes spirituales, aut Scripturarum intelligentiam, nisi oculus iste mãdatus sit: id est, vis nostra intellectiua superno lumine irradietur. Frustra igitur quæri intelligentiã psalmi huius sine diuino magisterio. Si autem accipiamus os pro facie, intelligimus faciem iusti, vel hominem ipsum iustum in omnibus actibus regulam, directionem, & quasi oculum diuinam scientiam habere debere. Quod videri potest eadem phrasi dictum, qua dictum est Dauidem in intellectibus manuum deduxisse populum. *Psal.77.*

Quomodo Scripturaoculus oris ad loquẽdum.

Quomodo oculus oris id est faciei.

populum. Neque enim manus intellectū habent, sed inde colligimus, nihil illū in gubernatione populi fecisse, aut tentasse, quod non diuino lumine præuio aggrederetur. Quod egregiè S. Ignatius Martyr expressit, dum ait perpendiculum nostrarum actionum debere esse Spiritum sanctum. *Epist. 12. quæ est ad Ephes.*

Si verò intelligamus fontem oris iustitiæ, & hoc vtilissimā nobis doctrinam subministrat, ac si dicat, os, quod iustitiam loquitur, vel Dei iustificationes, præcepta, iudicia, & multa huiusmodi, quæ varijs nominibus hoc psalmo nominantur, & idem sunt, non posse rectè ea proferre, nisi à Deo accipiat: tanquam dicat, Nemo potest aquam in plateas diuidere, vt ait Sapiens, nisi eam de fonte deriuet. Hanc verò aquam tantum abest, vt quis deriuare possit, vt ne oculum quidem habere credendus sit, quo fontem aspiciat, si non sit vir iustitiæ. Vbi autem sit huiusmodi fons, egregiè docet Ecclesiasticus, dum ait. Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna. Ingressus autem illius dupliciter accipi potest, passiuè quodammodo, & actiuè. Si accipiamus passiuè, quomodo dicimus ingressum domus, hoc modo intelligimus, nemini patere aditum ad fontem sapientiæ, qui est in excelsis, nisi per mandata æterna. Dicuntur autem æterna, vel quia firma

Quomodo Scriptura fōs oris iustitiæ.

Prou. 5.

c. 5.

Anima p mandata ingreditur ad sapientiā.

Mandata quare æterna dicantur.

firma sunt, & stabilia, vt puta, casta, argentum igne examinatum: vel quia obseruatores suos ad æternam vitam perducunt. De quibus idem Sapiens ait, Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Quod est dicere, si volueris mandata seruare, & fidelitatem, quam Deo debes, perpetuò exhibere eo modo, quo illi placitum est, vel iuxta beneplacitum illius (nam id significat vox græca, εὐδοκία) conseruaberis, & in hac vita per gratiam, ac Dei protectionem, & in alia per perfectissimam securitatem. Vel fidem placitam facere, est ex fide viuere, nempe quam Caritas formet, quod iusto tribuit Apostolus. Sola enim fides, si absit obseruantia mandatorum, ad fontem, qui in cælis est, vbi Sancti & potantur, & inebriantur, perducere non potest. Quod eleganti similitudine, ex auibus petita expressit S. Chrysostom' cum ait alam vnam esse fidem, nec volari posse, nisi altera, quæ est caritas, & obseruantia mandatorum adsit.

Psal. 11.
Eccl. c. 15.
Rom. c. 1.

Et per mãdata ingreditur sapientia in animã.

Non aberrarit autem, si quis actiuè accipiat ingressum fontis, quo significatur Christum Dominum ad eam animam venire, in eaque sibi facere mansionem, quæ accepto ab ipso spiritu iustitiæ, operibus insudat, & mandatis perficiendis peruigili cura laborat. Rectè ergò hæc sententia fructum psalmi nostri indicat, di-

fontis

fontis & oculi, & oris iustitiæ meminit. Neminem enim diligit Deus, vt Scriptura ait, nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat. Ad quam tamen, vt indicat Isaias, non peruenitur, nisi à timore Domini incipiatur. *Sap c. 7.* *Isai. 33.*

VII. Vocatio capitis.

Magna nobis breuibus his verbis consolatio, magnum fiduciæ præstatur robur. Nam & capitis, & vocationis fit mentio. considerandum quis caput sit, qualis vocatio. Caput certè Ecclesiæ Christum Dominum esse nemo Christianorum ignorat: & B. Paulus ad Ephesios, cum dixisset illum à Patre, ad cuius dexteram constitutus est, supra omnem Principatum, & Potestatem, & Virtutem, & Dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro, sublimatum fuisse, subdit, Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam. Vbi in græco significantius: dedit caput supra omnia Ecclesiæ. Ac si dicat, Supra omnia beneficia, & super omnem gloriam est habere caput Christum, & Ecclesiam esse corpus ipsius, & plenitudinem eius: qui omnia in omnibus adimpletur, vel adimplet. Nam Græca vox vtrumque sonare potest. Præcelsum caput Christus, quod & ex vera humanitate membris congruat, & eadem ex vera diuinitatis maiestate ad

Christus est caput.

Cap. 1.

Bona immensa ex Christo capite.

subli-

sublimitatem participādæ Deitatis extollat. Bonum caput Christus, quod vitales iufluxus in membra influat. Bonum caput quod suo illa spiritu vegetet, moueat, & sensim instruat, decoretque. Bonum caput, quod pro corpore sanguinem fudit. Magnus thesaurus Christi sanguis, diues ad pretium, efficax ad medicinam. Bonū caput Christus, qui vt membra sibi arctius agglutinaret, corpus, & sanguinem, in cibum, & potum dedit. Hinc illæ diuinæ
Io.c.17. voces. Et ego claritatem, quam dedisti mihi dedi eis: haud dubium, quin per Sacramētum communicatæ carnis, vt S. Hilarius interpretatur. Nam hoc modo gloriam, & diuinitatē suam nobis impertit. Hinc aliæ illæ sublimissimæ, & suauissimę
Ibid. voces, quas ad Patrem discessurus in sermone post cœnam protulit. Pro eis ego sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Et illæ, Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum. Quid est enim esse in eis, nisi caput in membris? Qua participatione fit, vt cum Pater sit in eo, sit & in nobis: neque Spiritus sanctus desit, qui cum Patre, & Filio vna substantia, vna diuinitas est. Denique bonum caput Christus, qui ait, Volo, vt vbi ego sum
Ibid. & illi sint mecum. Non enim possunt membra à capite seiungi, ac proinde quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corHebr. 6.2. poris. Cum virtute suæ minoritatis, qua

minoratus est ab Angelis, æquales nos Angelis, vt asserit S. Gregorius, suo tempore factur⁹ sit, qui moriẽdo docuit mortem non metui, resurgendo de vita confidi, ascendendo de cælestis patriæ hæreditate gloriari: vt quo caput præisse conspiciunt, illuc se subsequi & membra gratulentur. Hæc D. Gregorius. Et S. Augustinus. Qui donauit impijs mortem suam, quid seruat iustis, nisi vitam suam? Erigat ergo se humana fragilitas, non desperet, non se collidat, non se auertat, non dicat, non ero. Et subdit. Plus est, quod Christus fecit, quam quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam vt in æternum viuat mortalis. Vides ergo cuiusmodi capite gloriemur. *in Ps. 148.*

Videamus iam quali vocatione vocati simus. Qui vocauit nos, inquit Apostolus, vocatione sua sancta, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius. Et Apostolus Petrus quasi exclamans, Quomodo (ideſt, quam admirabiliter? quam affluenter? quam supra intellectum?) omnia in nobis diuinæ virtutis suæ, quæ ad vitã, & pietatem donata sunt per cognitionem eius, qui vocauit nos, propria gloria, & virtute (cernis vocationem propria gloria, & virtute factam) per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc

Quam excellens vocatio Christianorum. *2. Tim. 1. 2. Petr. 1.*

hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ. Quod ipsum agnoscere tam necessarium est, tamque salutare, vt Apostolus Paulus perpetuam memoriam faceret, quem-
Cap. 1. admodum scribit ad Ephesios. Vt Deus, inquit, det vobis Spiritum sapientiæ, & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri, vt sciatis, quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in Sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo eius in nos, qui credimus.

Vocatio nō supponit bona, sed facit.

Sed id summopere perpendendum est, quod Dei vocatio nō præsupponit in nobis bona, sed facit, vnde dictū est ab Apo-
Rom. 4. stolo, Qui vocat ea, quæ non sūt, tanquam ea quæ sunt: quod scilicet vocando fecit, vt essent, quæ antea nihil erāt. Quod si de cælis, terra, luminaribus, frugibus, arboribus,
Ps. 148 piscibus, animantibus, & hominibus, quæ omnino nulla erant: scriptū est. Dixit, & facta sūt, & verum est ideò facta, quia dixit: quanto sublimius in rebus, quæ naturam superant, quæ gratiæ, adoptionis, bonorū operum promissionum, sublimatum, & æternitatis, id sentiendum est? vt cum
Rom. 9. Apostolo dicamus, Non ex operibus, sed ex vocante. Recognosce, quæ alibi attulimus ex S. Bernardo, dum tractat quid sit mus in cordib⁹ nostris, quid in corde Dei. Hoc igitur mihi suggerit, & sapit, quod dicitur vocatio capitis. Hæc autem non so-

lum

lum per internas inſpirationes, ſed etiam per auditum fidei, quod ſine prædicante non fit; & per ſcripturarum ſacrarum lumen Vocatio efficit, præciputè verò dum mandata ſeruare docet, quæ via eſt incorruptionis, & immortalitatis. Quæ præciputè doctrina in hoc pſalmo, tanquam in morali parte continetur, dum per viam mandatorum, & legis cuſtodiam nobis currendum intelligimus, vt ad vitam ingredi valeamus. *Rom. 10.*

VIII. Dentium ſigna.

Dens aliquādo ebur.

Hæ duæ voces, quæ ſeparatim poni poſſunt, quod facit Euſeb. Dentes, & ſigna, aliud innuunt: aliud verò ſi coniunctim ponantur, vt fecit S. Hieronymus, Dentium ſigna. Deus aliquando in Scripturis Ebur ſignificat: fortè propter excellentiam, & magnitudinem dentis Elephātis, vnde Ebur eſt. Atque ita ſi dēs accipiatur, philoſophari poſſumus, tum propter candorem, tum etiam propter ſoliditatem Eboris, & frigiditatem, puritatem corporis, & animæ ſignificari: quæ per Scripturas ſacras maximè comparatur, præſertim ſecundùm moralem doctrinam. Et illud S. Hieronymi peruulgatum eſt. Ama ſtudia Scipturarum, & carnis vitia non amabis.

Thau ſignū Crucis.

Quomodo autem intelligimus quid ſit Thau, vel ſignum, niſi fortè ex Ezechiele, cui à Domino dicitur, Signa Thau ſuper

Ezech. 9. per frontes lugentium, & gemẽtiũ? quod
Patribus consentientibus signum Crucis
significat, figura etiam apud veteres He-
bræos non dissimili. Et confirmatur ex
Cap. 7. Apocalypsi, vbi B. Ioannes vidit ad custo-
diam, & perfectionẽ multa millia homi-
num signari: haud dubium, quin signo
Dei viui, quod Crucem accipimus, præ-
sertim cum figura præcesserit, qua domus
Exod. 12. quæ sanguine agni linitæ erãt in superli-
minaribus, & in postibus, id est, in superio-
ribus potentijs, intellectu, scilicet, & vo-
luntate; & inferioribus, quæ sunt cæteræ
animæ potentiæ, AEgyptijs percussis, &
morientibus, liberæ fuerunt ab exterma-
natore.

Quod si coniungamus, vt S. Hieronymus, dicamusq; dentium signa: neque hoc à proposito discrepat. Sunt enim dentes, vt notat B. Dionysius, quibus cibos mandimus, & sapori, atque nutriendis corporibus aptos reddimus, id est, vis ipsa spiritualis discretiua, molitrix, seu masticatiua (vt ita dicamus) spiritualium sensuum; qui à Scripturis sapidissimè eliciuntur. Sunt item, per quos nobis cibos incorporamus.
Act. 10. & Petro dictum est, Surge Petre, occide & manduca: vt quæ antea belluæ erant & ad esum non solum inepta, sed maxime noxia, felici cõminutione, & masticatione per doctrinam fidei, & morum, in corpus Ecclesiæ traijceret. Quanquam non mih

mihi ineptè colligere videretur, qui diceret dentium signa esse, cum quis fortiores cibos mandere potest: iuxta quod Apostol⁹ ad Hæbreos quosdam reprehendit, qui semper lacte non etiam solidiori cibo nutriri volebant. At (inquit Apostolus) omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ. & item, Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo. Perfectorum enim est solidus cibus, & eorũ, qui exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali. Quare hoc sensu idem erit dicere, Signa dentium, vel signum dentium, ac si diceremus, hominẽ iam perfectum, & in Scripturis exercitatũ, hoc signo ostendere, se dentes habere spirituales, si possit sublimiores sensus in Scripturis assequi; quod ipse psalmus noster, & per se, mores reformando, præstat; & dum puritate animi maiore ad excelsiora perducit. Nam (vt ait S. Dionysius) vt inter amicos etiã vsu venire solet, quo magis fuerit quis amicus, eo fidentiùs, & multipliciùs illi secreta nostra communicamus. *Hebr. 5.*

* * *

LAVS DEO, ET B. V.

ME-

MEDITATIONES IN PSALMVM CXVIII.

TITVLVS PSALMI.

ALLELVIA.

Tres causæ tituli huius Psalmi.



VAM congruè psalmus, qui de beatitudine disserit, & observatione legis Dei, titulum, quasi inscriptionē, quæ indicet, quid intus recondatur, habet Alleluia, hoc est, Laudate Dominum. Primū, qui à laude Dei incipiendum est. Secundò, quia eius misericordia lucem, ubi sit beatitudo, manifestantem; tum qua via ad eam ambulandum sit dirigentem, exhibet. Tertiò, quia ambulare in lege Domini hominem & beatū, & hilarem facit: vt secundum eam viuere quasi perpetuum sit Alleluia. Mens enim sic

Prou 15. ra quasi iuge conuiuium: & gaudent labia
Ps 70. iusti, cum cantat Deo suo: & repletur ore eius laude, cum ambulat in vijs eius. Denique, quia huius viæ terminus diuinum

Ps. 80. est Alleluia: & sicut in via hac de virtute in virtutem Iustus ambulat, ita de laudibus in laudes, donec ad perfectam, quæ vera in patria est, laudem perueniat.

Aleph

א Aleph, id est, Doctrina.

Octonarius primus.

1 BEati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.
2 Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.
3 Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.
4 Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.
5 Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.
6 Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.
7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.
8 Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.

1 Beati immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.

HEBRAEA vox immaculati, significat sincerum, sine macula, perfectum, cui nihil desit: quo indicatur, & quales esse oporteat, qui ambulare desiderant in lege Domini, & quales faciat ipsa legis observatio. Sed beati, inquit, in via: & qui ambulant in lege Domini. Audis viam, audis ambulare, audis legem, audis Dominum. Hæc omnia plena sunt doctrinis, iuxta primam literam, vnde psalmus inchoatur. Nam via primum dicit tendentiam, vnde monemur, vt aduertamus, quo via ducat. Etenim de quibusdam dictum est. Errauerunt in solitudine in inaquoso viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Et item. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere. Quomodo enim, nisi stultissimi sunt, qui ab itinere regio deuiãtes, ad illam Metropolim, quæ noster cursus indeclinabiliter semper debet esse directus, non poterunt peruenire? Siquidem extra viam aberrare (nam pergere non est) neque scire quò tendas laborem habet, fatigationem habet: mansionem, requiemque non habet. Alleluia semper tibi cantetur, Pater misericordiarum, qui docuisti nos, & quo tendendum sit, & qua via pergendum. Quanta Philosophi ineptè, quam multa acutè

Via primũ significat tendentiam.

Psal. 106.

Eccl. 10.

Cassi. col. 24. c. 24.

Beatitudo viæ in quo sita.

dem, sed inutiliter de finibus bonorum, & malorum, de ipsa beatitudine disseruerunt? Ita vani, ita cæcutientes, ita inter se disidentes, vt doctissimus Romanorum Varro in libris de Philosophia, teste S. Augustino, ex eorum principijs, & placitis ducentas octoginta octo sectas enumerarit, quæ de beatitudine esse possent. Gratias tibi Doctor veritatis, Magister omnium, dux cœcorum, qui de cœcis videntes facis, gratias tibi semper. En habemus vnico verbo abs te, in quo nostra beatitudo consistat in via. Beati, inquis, immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Hæc est beatitudo viæ, quæ ad beatitudinem Patriæ ducit. Quam multiplex via, quam vna? Vna, quia immaculatum esse, sincerum, integrum, perfectum, & in lege tua ambulare beatum facit. Multiplex, quia in eadem vna via beati sunt pauperes Spiritu, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. *Ciu. l. 19. c. 1.* *Matt. 5.*

Secundò, via dicit fatigationẽ, vt proinde leuamen aliquod necessarium sit. Est autem ipsa confortatio, & alleuatio inspirationis internæ. Dormitauit anima mea prætædio: haud dubium ex fatigatione itineris. Verum audi remedium. Confirma me in verbis tuis. An tibi aliud vel pa- **Secundò via affert fatigationem.** *Psal. 118.* *Psal. 28.*

ti, vel petere videtur, qui hoc petit, quam vt diuina inspiratione, diuinoque aloquio roboretur? De quo pulchrè S. Bernardus. Ergo vbi contingit tale aliquid pati, si misertus Dominus appropiet nobis in via, qua ambulamus, & incipiat loqui de cælo, qui de cælo est; nec non fauorabile quippiam cantare nobis de canticis Sion, narrare etiam de Ciuitate Dei, de pace ciuitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis, dico vobis erit pro vehiculo animæ dormitanti, & pigritāti læta narratio, ita vt pellat omne fastidium ab animo audiētis, & à corpore fatigationem.

Serm. 32. in Cant.

Psal. 136.

Tertiò requirit lumen.

Tertiò, via requirit lumen: nam in tenebris ambulare errorem habet, & tædium, non progressum: sed ipsa lex lux est. Aperi Domine oculos nostros, ne clausi etiam sparsam lucem tuam non videant: ne impingamus, & offendamus, quia lux nostra ceoritur à nobis. Sana eos collyrio tuo, vt lucem aspicere possint, & viam cernere, qua gradiuntur; & offendicula vitare, quæ occurrant. Dic, & iussu tuo fiet. Dic Angelis sanctis, Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula, de via populi mei, vt cum lapidibus regionis sit pactum nostrum. Et te præparante viam populi tui, eligantur, id est, semoueātur, lapides offensionis: quo fiet, vt luce tua spiritu dente, itinere complanato, semotis lapidibus, atque offendiculis, viam mandatorum tuo-

Isa. 57.

Iob 5.

Isa. 62.

Psal. 118.

tuorum inoffenso curramus pede.

Quartò, sed & aliud nobis præbet documentum, quod sumus in via: Nimirum nondum in patria, nondum in tuto. Cauendum ergo, quia latrunculi iter nostrum obsident, vt nos de via abreptos, atque in syluas ablatos pro suo arbitratu spolient, furentur, mactent, & perdant. Heu quàm infelix conditio. Aliquid solatij, quod in via sumus; sed nulla securitas, quod nondum peruenimus: adhuc periclitamur. In via, inquit, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi, & rete expanderunt pedibus meis, & foueam foderunt, vt caperent me. O speculator summe, qui oculos lucidissimos apertos te habiturum super nos pollicitus amantissimè es, attende, & respice de cælo. Da lumen, vt laqueos videamus: da pennas, vt euadamus: quia frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.

Quartò monet nõ esse nos in Patria.

Psal. 139. Thren. 1. Psal. 56.

Prou 1.

Tria enim ista perpetuò animę inquirenda sunt, ait S. Bernardus, Via, in qua ambulet; cautela, qua ambulet; mansio ad quam ambulet. Via ipse es Iesu beniguissime, qui dixisti, Ego sum via. Via lex tua, in qua, & per quem ad te pergimus. Via, cursus vitæ huius, quem breuissimo spatio percurrimus, quãtumlibet eius fuerit prolixus vapor. Cautela vero, accurata gressuum nostrorum obseruatio: quia in medio laqueorum positi non difficile capi-

Tria animæ perpetuò inquirẽda.

S. Bern. ser. 33. in Cant.

Primò via per quã.

Io. 14.

Secundò cautela qua.

Ephes. 5.

mur: vt sciamus cautè ambulare, quoniam dies mali sunt, vita breuis, via periculosa: proinde vt non insipientes, sed vt sapientes ambulemus.

Tertiò mansio ad quā ambulet.

At mansio, ad quam per hanc viam tēdimus, Patria est omnino desiderabilis, desideriorum omnium terminus, & adimpletio. Adimplebimur quippe lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem. Propterea securus de via admones, qui de termino securus pronuntias: vt de te meritò Sanctorum tuorum quispiam dixerit. Magna itaque promisit, qui magna præcipiendo docuit, vt magnitudo muneris ad fortitudinem incitaret laboris. Si ergo in mentem venerit assiduè mansio, ad quam ambulamus, delectabit iugiter & via mandatorum, per quā eo currimus.

Psal. 15.

Greg. l. 3. *in* 1. *Reg.*

Quintò, necessarius in via cibus.

Quintò, aliud intelligimus in via pernecessarium ad ambulandum, præcipuè verò ad currendum, cibum nimirum, quo alamur, roboremur, confortemur, atque in cursu incitemur. Si enim ieiuni pergimus, deficimus in via. Nam & Elias, vt ambularet vsque ad montem Dei Horeb ab Angelo excitatus, quę ille parauerat comedit, & bibit: atque in ea fortitudine roboratus grandem viam perficere valuit. De quo cibo spirituali S. Dionysius in Epist. ad Tit. ita philosophatur, egregiè ostendens, quæ ex cibo commoda oriantur. Dicimus, in-

Mar. c. 8. 3. *Reg.* 19.

Ep. 9.

quit,

quit, escam omnem vim habere perficiendi, quos nutrit, dum imperfectum illorum atque indigentiã replet, & infirmitatem curat, vitamque custodit, & reuiuiscere facit, ac renouat; & vitalem illius iucunditatem, copiamque largitur; prorsusq; mœstitiæ, & imperfectionis omnis expultrix, lætitię verò, ac perfectionis indultrix est.] Est autem cibus hic noster, quo alimur, & viuificamur, tum ille, de quo tu Domine panis viuus, & vita ipsa dixisti, [Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: is enim verè roborat, & vires auget; tum Scripturarum sanctarum frequẽs meditatio. Quia verbum tuum panis est vitam præstans, & fortitudinem augens; tum præcipuè panis supersubstantialis, & viuificus, caro videlicet tua, quam in multitudine dulcedinis tuæ Spiritui nutriendo, confortandoque parasti, non vtique ministerio Angelorum de aereo cælo, vt Patribus exhibens manna, sed de cælo cælorum tua potentia panem vitæ ministrans. Idcirco & de ijs, quos labor stultorum affligit: cum dictum esset, Errauerunt in solitudine in inaquoso. viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, subiunctum est, Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit. At contra tuis, & qui in via ambulant, cum excelsa prædicatione dictũ est. Venite, comedite de panibus meis, & bibite vinum, quod miscui vobis.

Ioan. 4.

Exod 16.

Eccl. 2.

Psal. 106.

Prou. 6.

Ambulare quid sit.

Quod autem dicitur, ambulare, quid est nisi progredi? Non enim licet stare, & sedere: sed necesse est perpetuò ambulantes ad anteriora progredi. Qui enim nō proficit, ait S. Leo, deficit: &, qui nihil acquirit, non nihil perdit, quia scilicet non progredi regredi est. Refectis ergo huiusmodi cibis semper progrediendum est, & de claritate in claritatem transeundum; affectibus nimirum semper purioribus ad eum, qui vbique est præsens, non pedibus accedendum. Hoc est ergo in lege Domini ambulare, quod beatum in via, etiam in valle lacrymarum facit, ducendum quandoque ad montem gaudiorum. Sed, quod magis mirere, id euenit in hac via spiritualibus pedibus nostris, quod in corporalibus nusquam inueniri potest: vt expeditiores sint vincti; imò sine vinculis ambulare non possint. De quibus Sapiens, Injice fili mi, pedem tuum in compedes illius, id est, Sapientiæ, & in torques illius collum tuum: & erunt tibi compedes eius ad protectionem fortitudinis, & bases virtutis; & torques illius in stolam gloriæ. Quis non exclamet cum Cypriano ad Martyres (quādo affectus habere pro Christo ligatos genus Martyrij est) ô pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur.

S. Leo. ser. 8. de Pas.

2. Cor. 3.

Eccl. 6.

l. 3. ep. 25.

Quantum Dei donū

Sed vbi ambulandum? in lege, inquit, Domini. Extra eam non est via, sed inuia.

Non

Non progreditur quis, sed inani circuitu fatigatur. Eam habere, & seruare quantæ pacis, quantæ gloriæ est? vt de ea dixerit Dominus. Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc dicant, En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Vides quam excelsum faciat apud omnes populos vt sapientiæ, & intellectus nomen afferat? vt præconijs inter omnes efferat, & magnum denominet legem habere Dei? Non enim cuiuslibet legislatoris lex nostra: non Lycurgi, aut Platonis, aut cuiuslibet hominis lex nostra est, sed lex Domini, Eius nempe, qui & naturalis est Dominus, cui subiectio in totum debetur; & prima est rectitudinis regula, cui conformemur, & solus custodientiū largissimus remunerator. Hanc Dominus ipse semper in ore habendam iubet: hanc qui meditatur, erit tanquam lignum, quod plātatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, nec foliū eius defluet. Seruatur autem ab ijs, qui impedimenta remouent, qui carnales quoscunque affectus diuinæ legis custodiæ postponunt: sicut scriptum est. Qui dixit Patri suo & Matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuū seruauerunt. Iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Israël. Non sanè quam ipse

lex Domini. *Deut. 4.* *Exod. 13.* *Psal. 1.* *Deut. 33.*

condidisti, sed quam à Domino accepisti. Tua enim ideo dicitur, quia tibi, ad te, & pro te data est.

2 Beati, qui scrutantur testimonia eius.

Scrutari quid sit.

TESTIMONIA idem esse, ac præcepta, & legem, toto hoc psalmo manifestius est, quam vt longa explicatione indigeat. Quare idem erit, ac si dicatur, Beati, qui legem eius meditantur, ac perscrutantur. Legem autem scrutari, est diligentissimè inspicere, & inuestigare. Non enim leuiter, ac perfunctorie legem Dei meditari debemus, sed perscrutari. Qua de re affert S. Chrysostomus elegantissimam de aurifodinis similitudinem: in quibus si vel tãtillum signi apparuerit eius venæ, omnia & arenam, & puluerem diligentissimè scrutamur, peruestigamus, excutimus, cum tamen sæpè labor frustra assumatur. Quid ergo curę ponendum in lege Domini, & sacris Scripturis perscrutandis, in quibus nihil adeo minutum, & exiguum videtur, quod non certissimo, opulentissimoque thesauro plenum sit? Sed non arbitror sine causa legem testimonia dictam, & tabernaculum testimonij, vbi lex recondita erat.

Homil. 2. de verb. Isa. Vidi Dominũ.

Exod. 25. 27. &c.

Lex Testimonium Dei, quia testatur. primum

Primum quidem, quia per eam contestabatur Dominus, palam declarans quid fieri, quid non fieri vellet: vt ibi, Contestare populum: & alibi, Contestabor te, Israel.

Israel.

Secundò, quia lex ipsa testimonium est diuinæ prouidentiæ, & sapientiæ, qua nos gubernat. Si enim pluuias dare, & tempora fructifera, quæ ad naturalia spectant, appellat Paulus testimonia diuinæ prouidentiæ, quanto magis per doctrinā, & legem ostendit Dominus nos, nostraque sibi esse cordi? Non enim iuxta insipientes illos circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat, sed instruit nos accuratè, ac dirigit, in via statuit, gressus dinumerat, & ad Patriam ducit. Et, quod maius prouidentiæ signum, quàm vt nos deuios corrigat, tortuosos dolet, rectosque faciat: & quasi torno legis tortuositates, asperitates, & inæqualitates complanans suis præceptis, imò manibus aureis, ac tornatilibus ad similitudinem sui efformet? Nonne si quis legem, ac testimonia hoc modo consideret, exclamabit, Quid est homo, quia innotuisti ei, te ipsum scilicet manifestādo? aut filius hominis, quia reputas eum, ipsum doctrina, & institutione tua reformando? Et item, Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, vt mitiges ei à diebus malis.

Dei voluntatem. *Exod.* 19. *Psal.* 80. Secundò, prouidentiam. *Act.* 14. *Iob.* 22. *Cant.* 5. *Psal.* 143. *Psal.* 93.

Tertiò est testimonium suauitatis, quod dulcius sapit. Nihil enim ita diuinam dulcedinem manifestat, quam quod nos indefessa

Tertiò, suauitatē.

Psal 24. fessa longanimitate suis legibus emolliat, atque perficiat. Dulcis, inquit, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Rectus in se, dulcis pro me: in altero sibi complacet, in altero cõsulit mihi: vtrobique bonus, & misericors

Psal. 144. ac miserator, patiens, & multum misericors. Propter hoc, ait, legem dabit delinquentibus in via. Quid est, Propter hoc? nimirum quia dulcis, & rectus. Ecce dulcedo, & rectitudo in causa sunt, vt legem det delinquentibus in via, hoc est, qui alioqui à via aberrant, & in vsu vitæ huius atque conuersatione à rectitudine deflectunt. Hæc itaque testimonia versanda sunt, ingique meditatione scrutanda. Sine enim te, Deus meus, vera luce, ac sapiẽ-

Exod. 33. tia recti esse non possumus. Nec sine causa insignis ille Dux, Minister, ac successor Mosis Iosue, etiam recedente Mose ad negotia populi, de tabernaculo testimonij non recedebat; vt indicaret, idem nobis semper faciendum ob perpetuam ergate deuotionem: & cum magna aggressuri sumus, ad quę peragenda tuo & lumine indigemus, & brachio, ceteris despectis, ad legem magis, atque ad testimonium currẽdum.

Quartò, quia testatur, & prænuntiat Christum.

Quartò, si legem consideremus secundùm eam partem, quæ figuras, & prophetias continet, cæremonias, & huiusmodi, videtur mihi iure appellari testimonium, quia

quia Christum hæc omnia testata sunt, Christum præloquuta. Nec etiam moralia præcepta testimonium ipsi non exhibent: quia cum impleri deberent, nec tamen sine gratia possent, cum nihil ad perfectum ducerent, sed tantum peccatum ostenderent, illum sine dubio proclamabant, qui autor gratiæ peccatum tolleret, legem impleret, perfectionem præstaret. Nam quod, ait Apostolus, impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus, sed secundùm Spiritum. *Hebr. 7.* *Rom. 8.*

In toto corde exquirunt eum.

RVrsus absentia, rursus via, rursus peregrinatio. Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est: & cum ipse præsentissimus sis, qui das omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: in quo viuimus, mouemur, & sumus, quærendus tamen nobis es, quia Deus absconditus: quia positis in via nondum reuelas faciem tuam. Quærendus autem sine termino, quia & si ex parte quæreris, & ex parte inueniris, quærendus tamen semper, donec euacuato, quod ex parte est, veniat quod perfectum est. Interim præscribitur nobis, Quærite *Psal. 119.* *Act. 17.* Exquirẽdus Dominus semper. *1. Cor. 13.* *Psal. 104.*

Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Neque extundit desiderium sanctum felix inuentio, sed extendit. Et vbique ipsum quærere lætitiam conciliat, iuxta quod scriptum est, laudamini in nomine sancto eius, lætetur cor quærentium Dominum. Quomodo enim lætetur quærens, qui nondū inuenit, quod quærit, nisi quia ipsa quæsitio non solum ex parte inuenit, sed etiam spem perfectæ inuentionis parit, spes autem lætitiā? Exquirendus autem in toto corde, quasi scrutari testimonia toto corde quærere faciat; & toto corde exquirere moueat, & accendat ad testimonia perscrutanda, in quibus Dilectum anima inuenit: quæ etiam in nocte huius vitæ, & tentationis Deum exquirit manibus: & interim, dum plenè teneat, habet solatium suū. Memor fui Dei, & delectatus sum, ô facilem, & parabilem rationem. Quæritur cum anxietate Sponsus: & cuius quæsitio non est sine dolore, atque suspirio; eius tamen ipsa memoria delectat. Et habetur ergo, & quæritur, sed alio, atque alio modo. Habetur, quia diligitur, quia desiderio tenētur, amoris brachijs astringitur; & tamen delectabilius quæritur, quia semper quæritur. Tibi Domine dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine, requiram. Sed quomodo quærendus es, vt lætemur? in toto corde. Quid est in toto corde? cor-

Bernard. ser. 84. in Cant.

Psal. 104.

Ex toto corde.

Psal. 76.

Psal. 26.

Quid sit toto corde.

de

de magno, & animo volenti. Quid est in toto corde? Diliges, ait, Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima, omnibus viribus. & hoc quis capiat? Si exponere voluero obtundetur potius sapor. Sed tamen toto corde exquirere, est sine intermissione, sine remissione, sine diuisione: quia nunquam cessare à quærendo debeo, nunquam lentè, & frigidè omne bonum quærere, nunquam diuiso corde, vt ad alia deflectat. Non toto corde quærit, qui non tota plenitudine quærit: non toto corde quærit, qui alia simul concupiscit. Et aqua quæ pluribus vijs spargitur (inquit Nazianzenus) ad altiora non assurgit: claudenda est, obturanda est via, ne ad alia cor deriuetur. Amores multi obstruendi, vt ad vnum confluat. Certè animam suam S. Augustinus alloquitur. Iam ergo diu occupata vixisti, & desideriorum diuersitate verberata portas plagas, sauciata, diuisa per amores multos, vbique inquieta, nusquam secura. Anima mea (inquit Propheta) desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te. Audis animam, & spiritum, id est, superiorem mentis portionē etiam in nocte, & tenebris Deum desiderare, & spiritum in præcordijs ad illū vigilare. Quid non expergiscēris, ô anima mea, quærere in toto corde Deum tuum? quem vtique quærens non lassaberis, sed assidentem fori-

Luc. 10.

Nazian. in præce. ad Virg.

Aug. in Ps. 145.

Isai. 26.

Sap. 6. foribus tuis inuenies illum : inquisitione lætaberis, qualicunque inuentione, quantum sat est in hac vita, etiam summis labijs libando reficieris, donec ad plenitudinē fontis admissa inde toto pectore haurias vnde nusquam sitias, perpetuò inebrieris, in æternum viuas : quia ipse est fons vitæ, & sempiterni luminis.

Apoc. 3.

Ioan. 4.

3. Non enim qui operantur iniquitatem, in vijs eius ambulauerunt.

VOx hebræa non modò iniquitatem significat, sed etiam peruersionem, fraudem, stultitiam : quæ rectissimè quadrant in eos, qui viam Domini derelinquunt. Dicuntur autem, qui iniquitatem sectantur, non ambulare in vijs Domini : quod perinde est, ac si dicas, Iniquitas iustitia esse non potest, nec retortuositas rectitudo. Ex quo etiam latenter indicatur, quoniam beatos dixerat eos, qui ambulant in lege Domini illos è contrario, qui iniquitatem operantes in vijs eius non ambulant, omnino miseros esse. Quorum miseria eo magis miseranda est, quod cùm peruersitatis indiuidua sit comes miseria, isti peruersi non solum mali esse volunt, & miseri nolunt, quod fieri non potest, sed ideo volùt mali esse, ne miseri sint. Via autem hæc impiorum, quam Scripturæ tenebrosam vocant, spinarū, & fouearum plenam, à iustorum semitis, quæ quasi lux splen-

Miseri, qui peccant.

S. Aug. in Psal 32.

Via peccatorum qualis.

Prou 4.

splendent, & via differt, & termino. Termino quidem, quia hæc in luctus, tenebras, & mortem desinit; illa verò ad æternam lætitiam, lucem, vitamque terminatur. Nam etsi via impiorum præ cœcitate cordis, & affectus peruersitate ipsis, vt Sapiens loquitur, complanata lapidibus videatur (id est, strata, atque percommoda) in fine tamen illorum, inquit, inferi, & tenebræ, & pœnæ. Vides quam dispar exitus viæ vtriusque. Sed & in hac ipsa via, quas difficultates, quas miserias experiantur pulcherrimè apud Iob describitur. Qui postquam dixit de extinctione ignis, & lucernæ impij, subdit. Arctabuntur gressus virtutis eius (qui scilicet fortem se, & in lata via præsumebat ambulare, sed parum est.) Immisit, inquit, in rete pedes suos & in maculis eius ambulat, tenebitur planta illius laqueo (siquidem ab ipsis retis maculis pedem abstrahere nequit, sed de difficultatibus in difficultates, de impedimẽtis ad impedimenta properat, & quo se magis expedire putat, grauius illigatur.) Et exardescet contrà eum sitis (quam vtique extinguere nequit.) Videnda reliqua, quæ ibi graphicè Scriptura depingit. Et alibi. Lætis est, ait, super faciem aquæ, (id est inconstans, & fluidus, alieno facilè terminabilis, nullo proprio termino consistens.) Maledicta sit pars eius in terra: nec ambulet per viam vinearum: Non est hæc quæ.

Eccles. 21.

Iob. 18.

c. 24.

Via vinearum

via

Marc. 9. via vinearum cursim præcurrenda. Bonum est nos hic esse. Via vinearum iustis longitudine recta est, latitudine delectabilis, decursibus aquarum irrigua, viriditate grata, florum varietate arridens, pinguissimis botris fœcunda, oliuarum copia curuescens, fructuum vbertate ditissima. Quod idem est, ac si dicas, rectitudine, patientia, & longanimitate insignis, caritatis, & securitatis ope latissima, gratiarum cælestium irrigatione, sanctæ spei perpetua possessione virescens, virtutum floribus, & orationibus vernans, botris lætitiæ spiritualis inebrians, misericordiæ visceribus pinguescens, bonorum operum fru-

Deut. 33. ctibus affluens: denique de pomis cæli, de pomis fructuum solis, & lunæ (inde enim fructus, inde poma, quæ Dilecto veteraseruantur, & noua, id est, subinde nascentia)

Cant. 7. continua vbertate fœcunda. At contra, eorum, qui operantur iniquitatem, breuis, & tortuosa, angustia intolerabilis, ariditate sticulosa, siccitate squalida, spinis, ac sentibus horrida, perpetua sterilitate marcida, nulla spirituali vnctione hilaris, fructuum inopia pauperrima, solius egestatis abundans, & dives: vno verbo, ijs omnibus diuitijs, & delicijs carens, quæ de ambulantibus in vijs Domini, indeque beatis breuiter perstricta sunt. Non est proinde illis ambulare per viam vinearum. Quomodo enim id possint quibus, vt stultissimis,

simis, nec vinea est? Quomodo enim vinea, vbi nihil plantatum, nihil elaboratum vspiam paret? Tota spinis sylvescit, & tribulis stulti vita, & vinea est? Non est ibi vitis virtutis, non botrus boni operis, non vinum lætitiæ spiritualis. *Bernard. ser. 63. in Cant.*

4 Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.

ET nimis mandasti, & mandasti, vt nimis custodirentur. Vtrumque enim intelligi potest, & vtrũque verum est. Quod autem tu mandaueris nimis, id est, valde seriò iniunxeris, & volueris valde exactè custodiri, ex multis facile colligi potest. Quam serio mãdarit Deus custodiri mãdata.

Siue cum transgressionem grauiter punisti, vt patet in Angelis, primis cæli habitatoribus: quos, cum non seruassent suum principatum, sed dereliquissent suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruasti. Et in hominibus, quos cum terra aquis diluuij disperdisti, tametsi per contemptibile lignum iustum misericorditer gubernasti. Apparet primò ex pœna Angelorum. *Apoc. 12. 20. Iudæ. 1.* Secundò, ex diluuio. *Gen. 7. Sap. 10.*

Siue cum ob id, quod in se malum non erat, malum tamen ob transgressionem, exempla tuæ iustitiæ edidisti. Quis enim non contremiscat, cum videat primum hominum parentem ob solum pomi esum ita punitum, vt paradiso ciectus, & terra propter ipsum maledicta, cum vniuersa illirpe laboribus, doloribus, & morti addi- Tertiò, ex pœna rei non malę nisi ob transgressionem. *Gen. 3.*

ctus

ctus sit? Cum tamen lignum, quod ipse plantaueras, bonum fuisse non dubium sit, sed contra præceptum legis tuæ præsumptum exitium fuit, quia pura, & simplex obedientia commendata est in præcepto. Quæ virtus mater quædam est omnium, custosque virtutum in creatura rationali, quandoquidem sic facta est, vtei bonum sit subditam esse, pernicioſum autẽ suam, non eius à quo condita est, facere voluntatem. Scientia quippe, & contemplatio, ait Nazianzenus, bona est tempestiuè percepta, sed contra obedientiam, & mandatorum obseruationem inordinatè præsumitur. Siue cum ea, quæ parua videntur, & leuia non leuiter castigasti. Ecce Saul, quia sacerdotem, te consulens, non expectauit, audiuit à Propheta, Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Sed nequaquam regnum tuum vltra consurget. Et, cum populus contra præceptum tuum prædam diripuisset, audiuit secundò. Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis Rex. Siue cum ea, quæ apud homines nullam mali speciem habere videntur, tuo iudicio reprobas, ac ponis. Quis enim tantam cladem timere potuisset ex numeratione populi, quanta vera subsecuta est? Siue cum peccata contra legem tuam admissa, etiam postquam remissa sunt, ita seuerè dijudicas. Audiera, certe

Aug. de Ciu. l. 13. c. 20.

Ora. 2. in Pascha.

Quartò, & culparum, quæ leues videntur.

1 *Reg.* 13

1. *Reg* 15,

Quintò, & remissarum.

certè idem Dauid, Dominus transtulit à te peccatum tuum, & tamen à proprio filio sub oculis solis huius dehonestatus tantum non regno, & vita priuatus Rex fortissimus, & multis insignis victoriis, quasi timidus, & spoliatus fugere cogitur: vbi nec vilissimi hominis puluerem, & lapidem spargentis in eum contumelias effugere potuit, & opprobria. Quod ille humiliter agnoscens, Dominus, inquit, præcepit, vt malediceret. Siue cum negligentia, aut ignorantia peccamus. Nam Heli sacerdotis pœnam, quod corripere filios neglexisset, audiuimus, & horremus. Et pro peccato, quod ex ignorantia admittitur, qui tam multiplex ad expiandum ritus iniungitur, de vitulo, de impositione manuum super caput eius, de sanguine, de septemplici aspersione, quam lucidè indicat, nimis mandata tua custodienda? Sed cuius non aures tinniant, & quidem ambæ, cum audierit Mosem dilectum tuum, quem ex nomine, & præ omnibus noueras, tam durè increpatum, tam acerbè punitum pro eo, in quo humanus oculus ne culpam quidem intueri valet? Quia præuaricati estis in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis, videbis terram, & non ingredieris in eam; & ascendens in montem Hebo mortuus est. Quis credat? Quis non contremiscat? Perpende Mosem, labores in populo deducendo, caritatem

2. *Reg.* 12.

2. *Reg.* 16.

Sextò, & negligentiæ, vel ignorantiæ.

1. *Reg.* 2.

Leu. 4.

Exod. 33.

Deut. 32. & 34.

tem & manſuetudinem in rebelles, familiaritatem cum Deo; & tamen audit. Non intrabis in terram, aſcende in montem, & morere. O iudicia tua abyſſus multa. Non dicat homo, quare hoc? aut quid hoc? non dicat, non dicat: homo eſt. Dicat potius, & oret, vt opere compleat, Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Quod ſi diligenter intueatur, quæ in lege tradenda veteri prodigia, & terribilia adhibueris, quot, & quam horrenda maledicta in eos qui violarent, addideris; multo autem profundiùs, ac mente deuotiſſima conſideret quomodo ad legem tradendam noluam non Moyſem in montem ſeuocaris, ſed ipſe de cælo deſcenderis, & quid à te ipſo laboratum, quid toleratum, quid impenſum, & ſuperimpenſum, vt ea ſanciretur, & commendaretur hominibus, non poterit non cum ſtupore clamare, verè nimis mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.

Pſal. 35.

Cuſtodiēda valde mandata.

Primo, ob maieſtatem legislatoris.

Pſal. 18.

Sed quare id vel nimis mandet, vt mandet vt fiat nimis, non vna cauſa eſt. Primum enim nimis mandat cuſtodiri, quia maieſtas legiſlatoris id exigit. Nam qui Dominus eſt, & tantę autoritatis eminentiæ, ei perquammerito obtemperandum eſt; cum præſertim & ſanctitas præceptorum, & iudiciorum; quæ iuſtificatæ ſunt in ſemetipſa, & rectitudo, atq; ſplendor id ſuadeat. Nec laborandum an vi-

bus

hæc sit ex causis, cum Scriptura dicat. Vt probaret vos venit Deus, & vt terror eius esset in vobis, & non peccaretis. Quorsum enim accensibilis ignis, & mons fumigans? Quorsum lampades, & tonitrua, & fulgura, & voces, & sonitus tubæ, & tam multa terribilia, propter quæ Moyses ipse, teste Apostolo ad Hebræos, dixit: Exterritus sum, & tremebundus. Quorsum, inquam, nisi vt animos hominum, ad reuerentiam, & obedientiam tantæ Maiestati exhibendam permouerent? Denique ad hoc ipsum hortans populum ipse dixisti: Vos vidistis, quæ de cælo locutus sim vobis. Nimis ergo custodienda sunt, quæ tantus præcipit legislator. *Exod. 20.* *Heb. 12.* *Exod. 20.*

Deinde, quia mundi sunt oculi tui, ne videant malum: & ad iniquitatem respicere non poteris. Quomodo itaque præsentissimus omnibus, illorum scrutans renes, & corda rectis oculis aspicere poteris iniquos, cum odio sit impius, & impietas eius? Rectè ergo quoniam præcepta tua repellentes odisti, mandasti mandata tua custodiri nimis. Quis enim in regno suo, & in domo sua, si munditiam diligit, immunda, & fœda tolerabit? Ita cum ex legis obseruatione munditia in corde fiat, mandasti præcepta tua custodiri nimis, per quæ mundum cor in filijs Adæ etiam creatur, & spiritus rectus adhuc in carne mortali innouatur, vt coram te non indignus *Secundò, ob odium Dei contra peccata.* *Apoc. 2.* *Sap. 14.* *Psal. 50.*

dignus appareat. Quod si etiam tam multa peccata, quæ in oculis tuis fiunt, indefessa longanimitate sustentas, non ex minore iniquitatis odio, aut obscura fœditatis notitia prouenit, sed ex abundantia pietatis, vt cum acceperis tempus, & lumen, ac vires addideris, facias per mandatorum obseruationem tales, quos non modo non auersari, sed benignè etiam aspicere possis.

Tertiò, ad reformandam in animis diuinam similitudinem.

Tum etiam, quia regiam illam imaginem, quam ipse pulcherrimam condidisti, & reformare satagis, & venustare. At qui mandatorum neglectu, & transgressione fuscatur pessimè, & quasi piceo quodam colore denigratur. Dignum itaque est, vt superna illustratione, cœlestique fulgore per mandatorum obseruationem tibi similis iterum splendeat, atque in se (ô sublimitatem ambiendam!) tuam ineffabilem pulchritudinem repræsentet, vt audiat de se loquentes. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata, quæ est ista, quæ in tam vili speculo diuinæ formositatis speciem exprimit? cui dicere possis, Concupiscet Rex decorem tuum.

Cant. 3.

Psal. 44.

Quartò, quia simul cum præceptis ipse dat gratiam.

Mandas præterea nimis, quia si præcepta cumulas, gratiam exhibes: & iustè instas præcepto, qui præcurris auxilio, vt si tibi seruire nos diligenter imperas, quasi tuis id sumptibus fiat. Cur ergo non mandes custodiri valde, qui valde subue-

nisi

nis? Quasi verò grauia mandata sint, quæ gratia leuat: aut onus molestè sentiatur, quod iugum super maxillas exaltans ipse subleuas, ipse portas. Augent etiam fiduciam nostram tot dona charismatum, tot munera gratiarum, quę Ecclesiæ tuæ filijs, & in lege tua die, ac nocte meditantibus exhibuisti. Aperitur enim nobis ex ea parte, quæ lucem tuam intendimus, si attentè perspiciamus, gratiæ tuæ sublimitas suauissimè hilaris, & dulcissimè blandiens, extendens ad nos suscipiendos, amplectendosque pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum, dum pueri, atque puellæ teneros annos prætergredientes, nō solum mandata, & iudicia tua seruauerunt, sed etiam cōsilia amplexi sunt: quin etiam vsque ad sanguinem, & immanissimos cruciatus immobiles ad extremum vitæ spiritum adhæserunt tibi. Quis non ergo inconcusso animo mandata custodiat, quando ipse in nobis & pugnas, & vincis? & luctam cum carne considerans hortaris, vt pugnemus: adiuuas vt vincamus: certantes inspectans, deficientes subleuans, vincentes coronans?

Osee 1.

Psal. 1.

Aug. Cōf. l. 8. *c.* 11

Huc accedit nobilitas finis. Nam quo perfectiora, & sublimiora sunt opera, eo instrumenta requirunt subtiliora, & illorum vsum diligentiorem, atque aptiorem: vt, si egregia imago formanda sit ex ligno, vel lapide, scalpella, & alia ferramenta: si in

Quintò, ob præstantiam finis.

lamina ænea incidenda, tenuissimus stylus: si exprimenda coloribus, penicillus idoneus curetur: eadēque ratione in alijs. Denique vt artificis consilio, finique operis, & oculorum acies, & firma intentio, & instrumenta respondeant. Atque finis huius doctrinæ, teste Greg. Nazianzeno, *in Apol.* ille sublimissimus est, animæ pēnas aptare, eamque à mundo abreptam Deo offerre, diuinæque imaginis dignitatem vel integram, atque incolumem conseruare, vel periclitantem fulcire, vel dilapsam pristino splēdori restituere, Christumque per Spiritum sanctum in pectoris domicilium admittere; eique, vt in summa dicam, qui superno ordini se se adiunxerit, diuinitatis supernamque beatitudinem afferre. Huc magistra lex tendit, huc Prophetæ inter Christum, & legem interiecti, huc spiritualis legis absolutor, & finis Christus. Quæ cum sublimia sint, & excelsa, miramur si & artifex ipse Deus tam multa, tam subtilia edidit instrumenta? &, si à nobis, qui cooperatores sumus in hoc opere, multam diligentiam, & singularem attentionem exigit? Ac si nobis apertè dicat, Vide quid operis habeas: vide qualibus adminiculis & quomodo vtaris, vt semper contra habeas exemplar, nec ignis vaporem, aut mallei sonitum reformidans, vigilia tua opus ad perfectum expolias. Audi enim quam diligentiam in terrenis operibus

seculi ponant opifices. Sic omnis faber, & architectus, qui noctem tanquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas eius variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigilia sua perficiet opus. Sic faber ferrarius sedēs iuxta incudem, & considerans opus ferri, vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur: vox mallei innouat aurem eius, & contra similitudinem vasis oculus eius. Cor suum dabit, in consummationem operum, & vigilia sua ornabit in perfectionem. Quod si tantum laboris, ac studij in vilissimis hisce operibus sumitur, quid assumendum ad expoliendam in nobis imaginem Dei? Sanè tam subtiliter curam illam descripsisse videtur Sapiens, vt quomodo alibi piger ad formicam mittitur, ita veræ sapientiæ professores ad infimarum huiusmodi artium sapientes, velut ad Magistros & curæ, & vigiliæ mitteret. Eccl. 38.

Præterea, quod dulcissimum est meditari, & sanctæ spei seminarium, non ideò præcepta coaceruat, vt nos premat, aut minus faciat spontaneos; sed ex ingenti, quo erga nos tenetur amore, & voluntate sua dona liberalius conferendi. Quia enim largè effluere diuinorum flumina donorū minimè possunt, vbi puritas deest mentis: puritas autem sine præceptis, quæ dirigant, & à terrenis abstrahant, acquiri Sextò, vt capaciores efficiamur eius liberalitatis.

non potest: idcirco mentis puritatem studiosè procurans, præceptorum adhibet adiumenta, quibus mansuefacti, & humiliores redditi, capaciores efficiamur. Aqua enim de collibus defluit, in valles confluit: ita thesaurus donorum, & gratiarum non nisi in humili mente quiescit. Vera autem obedientia non est nisi humilium. Quippe humilitas verè vallis benedictionis appellatur: in qua post victoriam & benedicitur Deus in laudibus, & ipse vicissim coronæ benignitatis suæ benedicit. Scriptura refert, vbi populus insigni parta victoria, Domino potius de cælo pugnante, quam ipso terrenis armis præliante, ad hostium spolia conquirenda confluerat, in valle benedictionis substitisse, quia ibi Domino benedixerunt, qui victoriam tribuerat. Ergo si in conflictu carnis, & spiritus victoriam exoptamus, adiutorium nostrum in eius nomine reponentes, ad vallem benedictionis concurramus. Nam si habet argentum venarum suarum principia, & auro locus est, in quo conflatur, vt Scriptura in Iob loquitur, haud dubium, quin in humilitate, qua Deo placemus, & à terrenis abstrahimur, argenti venæ sint, & auri. Infinitus enim thesaurus est hominibus obseruatio mandatorum Dei. Cuius enim disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius. Quis autem dilectionem Dei vacua sibi persuasione promittat, qui

Humilitas vallis benedictionis.

2. Paral. 20.

Iob 28.

Sap. 6.

qui ab eius obedientia, & amore deflectat? 2. Par. 20.
Sic enim & Iosaphat victor extitit, cum cantores Domini constituit, qui voce consona laudarent Dominum, atque dicerent: Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius.

Septimò, ob præmij altitudinem.

Postremò ob magnitudinem coronæ, quæ præcepta seruantibus repromittitur. Non enim, vt olim fideli Abrahæ propter obedientiæ meritum, & vnici filij destinatum animo sacrificium; &, quod in se fuerat, exhibitum, aut posterorum multitudo, aut repromissionis terra promittitur: sed quod oculus non vidit, nec auris audiuit, 1. Cor. 2. nec in cor hominis ascendit, in fine reddendum, sine fine mansurum. Felicitatis Psal. 89. enim illius nequaquam anni sunt, qui pro Psal. 101. nihilo habentur; neque dies sunt, qui sicut vmbra declinauerunt; sed dies sunt nulla varietate mutabiles, nullo termino terminandi. Quare, si verè volumus affirmare, & rectè iudicare, AEterna requies æterno labore esset emenda. Hic autem labor noster exiguus est, breuis est, & quasi vnius diei, etiam si tota vita laboremus. Non Galat. 5. deest quidem labor, carne aduersus spiritum concupiscente, dum renuntiamus carnis operibus; & carnem nostram, quo verè simus Christi, id est, de Christi simus parte, & nos ipse possideat. timoris, & amoris illius casti clauis crucifigimus. Sed quantum est hoc ad illius vitæ perfectam beati-

tudinem? in qua & mensura est sine mensura, & terminus sine termino, & satietas sine indigentia, vel fastidio; & pax, quæ nulla turbatione interpoletur; & lux quam nulla nubes obnubilet; & salus, quam nulla infirmitas intercidat; & denique vita, quam nulla mors auferat, sed omnium bonorum perpetua lætitia cumulet. Cesset ergo vel maligna obmurmuratio, vel insipiens admiratio, si talia præparans talia præcipit, vt mandata eius custodiantur nimis.

5 Vtinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas iustificationes tuas.

VOx hebrea, vnde versum est dirigantur, significat simul præparare, disponere, firmare. Hæc autem omnia necessaria sunt in via Domini, vt rectè quis ambulet. Nam & Apostolus ait. Quæ præparauit Deus (id est bona opera) vt in illis ambulemus: & Psalmista orat. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. Et alibi. A Domino, vel Apud Dominum (vt nostra habet editio) gressus hominis dirigentur, & viam eius volet: id est, opera grata habebit: & complacebit sibi, ac delectabitur in illis. Accipiuntur autem gressus pro itinere, & ratione viuendi. Non enim iste, vt multi, qui vias difficiles sectantur, & lassantur in via iniquitatis, finem vult, media nō vult; sed

Ephes. 2.
Psal. 16.
Psal. 36.
Sap. 5.

sed cupit recto itinere viam mandatorum eius sic currere, vt & in hac vita, eo quo dictum est modo, sit beatus, & ad brauium valeat peruenire. Cupit autem dirigi vias, id est, rectas fieri, ne ad dexteram declinans, aut siniſtram à recto calle deflectat. Quam id autē pro nostra fragilitate prodiue factu sit, & à natura ipsa languida ostendit, & multitudo abstrahentium persuadet, & experientia ipsa plus nimio manifestat. Quam enim multi, qui rectè currere cœperant, à fascinatione nugacitatis, & inconstantia concupiscentiæ abrepti à recto itinere deflexerunt? Porrò optantis vox est, Vtinam. Nec verò leuiter, sed omnino ardēter optat ad Dominum pergere, ad quem totis viscеribus anhelat propter illas omnes rationes, ob quas præcedenti versiculo diximus Dominum mandasse, vt mandata custodirentur nimis. Veruntamen, bone Domine, si res ista in voluntate, & potestate currētis est, quid opus est optare? quid à te petere? cum ea, quæ in potestate nostra sunt pro arbitrio operemur? Hic autem petit, & orat, & optat, vt dirigantur à te vię illius. Nimirum pericula perpēdebat, carnis infirmitates cogitabat: quę cum animaduertuntur, vnum superest, vt ad te confugiamus, qui ponas in via gressus nostros; &, sicut pollicitus es, ipse nos portes. Ego feci, inquis, & ego feram, portabo, & saluabo. Nec vtcumque portabis,

Necessitas directionis Dei.

Sap. 4.

Qui non solum dirigit, sed etiā portat nos.

Isa. 46.

rabis, sed sperantes, amantesque, vt de populo quondam tuo dixeras: super alas portabis Aquilarum, vt non modo veloci cursu tendamus, sed nec fatigemur, nec lassemur: nec in terra hac peregrinationis, & valle lacrymarum semita in pedibus nostris appareat. O felices, ô ter felices, quos super alas Aquilarum, & pennas tuæ vocationis, tuæque virtutis portas: vt iure optimo, qui talia cogitat, optet, atque suspiret, Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas.

Exod. 19.

6 Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Perspicere hic significat etiam effectum operis.

MEritò non confunditur, qui perspexerit in mandata Dei. Sunt qui vocem græcam, ἐπιβλέπειν, putent significare non quemcunque aspectum, sed diligenter inuestigantem, & perscrutantem. Sic enim mandata Dei inspicienda sunt. Et fortasse illud Apostoli Iacobi. Qui autem perspexerit in legem perfectam libertatis, præsentem etiam locum explicat: subdit enim. Non auditur obliuiosus factus, sed factor operis. Quare & hic perspicere non erit nudus aspectus, sed indicat nobis non oportere præceptorum Dei inspectores obliuiosos, & desides esse, sed ad operis executionem renes esse accingendos: vt succincti lumbos in veritate, cum baculo constantiæ, & fidei, nudis à fæce terrenorum

Iac. 1.

Ephes. 6.

rum pedibus ad repromissam terram festinanter properemus. Sed & Hebraica vox quæ & aspicere, & accuratè intendere significat, ac diligenti ad eam rem conatu contendere, indicat nudum aspectum non esse. Et ex eadem radice deriuantur voces, quas interdum spem, interdum fiduciam interpretamur: vt sit sensus. Acutam mãdatorum inspectionem eam esse debere, eoquetandem dirigendam, vt cum spe, & fiducia ad actionem velocissimè progrediamur. Alioqui similitudo illa eiusdem Apostoli de viro considerante vultum natiuitatis suæ in speculo, statimque, vbi oculos auerterit, obliuiscente omnia, optimè in nos quadrabit. Si autem, vt oportet, aciem in ea intenderimus, meritò sperare poterimus non esse nos confundendos. Tunc, inquit, non confundar, cum perspexero. Nam qui auerterit se à mandatis Dei, multiplici confusione cõfundatur necesse est.

Exod. 12.

Iac. 1.

Primum, confundetur confusione illa magna, & horribili; quando cælis magno impetu transeuntibus, cælorumque virtutibus commotis, Iustisque in memoria æterna reseruatis, & non timentibus ab auditione mala, ipsis Angelis testibus, atque hominibus, cuncta creatura contremiscente, in opprobrium æternum, & confusionem interminabilem detrudentur. Cum ignis, & sulphur, & spiritus procellarum

Qui auertitur à mãdatis cõfunditur. Primò cõfusione æternæ damnationis. 2. *Pet.* 3. *Luc.* 21.

Psal. 10. pars calicis eorum fiet. Hæc est enim pars
Iob. 20. hominis impij, & qui procul à lege Dei
sui tam impudenter illectus est, & abstra-
ctus.

Secundò repulsarũ precum. Secundò, significat interdum confusio
in Scripturis rubore illum, & verecun-
2. Reg. 2. diam, quã ex negata sibi petitione aliquis
incurrit: vnde dicitur. Petitionem vnam
postulo à te, ne confundas faciem meam.
Psal. 33. Et Psalmographus ait. Accedite ad eum, &
illuminamini, & facies vestræ non confun-
dentur. Tanquam dicat, qui per obseruan-
tiam mandatorum recto corde ad Deum
accedunt, beneuolentia, & splendore vul-
tus illius, grataque petitionum auditione
recipiuntur. Hoc est enim illuminatio eo
Psal. 30. loco, sicut illis, Illustra faciem tuam super
Psal. 66. seruum tuum. Illumina vultum tuum su-
Psal. 4. per nos. Signatum est super nos lumen
vultus tui Domine. Quoniam ergo Domi-
nus, qui voluntatem timentium se facit,
Psal. 144. & deprecationem eorum audit, preces eo-
rum, vtpotè ab obedientia deductas, atque
ab amore, & spe dictatas clementer exau-
dit, rectè gloriatur Propheta, vbi legem
Domini perspexerit, futurum, vt non con-
fundatur. Quid enim neget Dominus fons
misericordiarum ei, qui sibi se non negat?
Curandum itaque diligenter, si exaudiri
volumus, vt munditiam cordis conquiren-
tes, petamus, quæramus, pulsemus; vt acci-
piamus, vt inueniamus, vt sine hæsitatio-

ne

ne aperiatur nobis.

Sumitur tertiò confusio pro iniuria aliqua, & dehonestatione: quomodo per Ezechielem Dominus dicit. Eras nuda, & confusione plena, Quid enim æquè confusionē parit, atque nuditas, & contemptus? Qui autem præcepta Dei euacuat, iustitiæ lumine, & virtutum indumento nudatur. Quo contra per B. Ioannem dicitur. Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet. Scimus autem, & Nuntijs Dauid quos ad Hanon Regem filiorum Ammon miserat, nihil ignominiosius accidisse, nihil magis confusione plenum, quam vt vestes præscinderentur, & illę partes apparerent, quæ & ob confusionem teguntur, & sine confusione cerni non possunt. Quod Dauid indignissimè ferens, bellum atrocissimum contra eum mouit. Sed, ô deplorandam miseriam nostram. Illi enim id ab alienigena, & per vim passi sunt, quod nos vltrò, si à diuinis mandatis desciscimus, turpissimè nobis inferimus. Et sanè perpendendum valde est, quod de filijs Israel mandata transgrediētibus Scriptura diuina loquitur. Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiā sordis, & inter hostes nudam constituerat.) Quid est enim populum fuisse nudatum, nisi peculiari Dei protectione spoliatum fuisse, quæ eos & tegebat, & ornabat? Quid

Tertiò ignominiosę tractationis. *Ezec. 16.*

Apoc. 16.

2. Reg. 10.

Exod. 32.

est propter ignominiam sordis, nisi nihil esse ignominiosius, nihil sordidū magis, quam hac Dei veste nudari? Additur ad hæc etiam nudum inter hostes constitutū fuisse, fortasse quod in nuditate iustitiæ, & rectitudinis, quibus spoliati, induti sunt quasi diploide confusione sua; & in medio hostium nudi, sine peculiari iustorum protectione derelicti. Vide quid faciat reliquisse Dominum, reliquisse mandata.

Psal. 108.

Est & cōfusio bona ex inspectione legis.

Sed prætereundum non est diuinæ legis inspectionem tum confusionem auertere, sicut dictum est, tum confusionem adducere. Auertit malam, adducit bonam. Nam & non confunditur malis confusionibus dictis, qui præcepta diligenter scrutatur: & idem confusione bona confunditur. Quis enim non vehementer confundatur, si in speculo diuinorum præceptorum faciem animę suę diligēter intueatur? Videt enim in multis se offendere, & propter exactam illorum sinceritatem, & propter multiplices suos nævos. Tam multa sunt, tamque subtilia, in quibus peccamus, vt valde cæcus, & audax sit, qui sibi perfectam puritatem arrogare audeat. In multis, offendimus omnes; &, delicta quis intelligit? Vnde B. Gregorius. Scriptura, inquit, sacra mentis oculis, quasi quoddam speculum opponitur, vt interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi etenim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quātum pro-

Iac. 3. Psal. 18. Moral. l. 2. c. 1.

proficimus, ibi à profectu quam longè distamus. O Domine, Domine da nobis in lumine tuo videre lumen, fœda nostra cõspicere, vt abstergamus: humilitatem nostram agnoscere, ne altè sapere audeamus. Da nobis confusionem adducentem gratiam, & gloriam. Da nitrum, & aquas fullonis ad maculas repurgandas. Ipse enim fons, ipse lotor es. Te lauante, te custodiente non confundemur, cum loquemur inimicis nostris in porta. *Psal.35.* *Rom. 11.* *Ier. 2.* *Psal.126.*

7 Confitebor tibi in directione cordis: in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ.

CONfitebor tibi, & gratiás agam in directione cordis, id est, pro ipsa directione, qua vias meas, studia mea, & voluntates meas direxisti, docens me iustificationes tuas. Quod cum maximum sit beneficium, æquissimum est, vt de eo tibi gratias agam, & confitear nomini tuo. Vel in directione cordis, id est, corde recto, integro, atque perfecto. Super hac misericordia tua, & veritate tua confitebor tibi. Neque enim potest quis pronuntiare vtcumque dignè laudes tuas, nisi recto, & simplici fuerit corde. Sed siue hoc, siue illo modo intelligam, ob id gratias agam, quoniam didici iudicia iustitiæ tuæ, vt doctus, & assuetus fierem præceptis tuis: id enim vox illa, didici, hoc loco significat. O qualis artifex:

tifex est, Domine, Spiritus tuus, qualis doctor! in omne, quod voluerit, mentem docet; solumque tetigisse docuisse est: cum aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, vt auertat hominem ab
Iob 3. his, quæ facit, & liberet eum de superbia, eruens animam eius à corruptione. Merito ergo gratias ago, quod tanto doctore didicerim testimonia tua.

Perfecta doctrina etiam afficit.

Non puto autem de ea doctrina dici, quæ pura, & nuda cognitio est, quæ docet, sed non afficit: instruit, sed non promouet. Nam moralis doctrina nequaquam in cognitione sola consistit; neque hoc est didicisse, vt oportet, legem Domini. Vinum, v. g. non perfectè didicit, qui colorem tantum aspicit, cum flauescit in vitro; sed nec ille, qui eius odore delectatus trahitur. Cùm enim tria sint color, odor, & sapor, quis vinum perfectè eum nosse affirmet, qui saporem illius ignoret? Ergo & vinum testimoniorum diuinorum non planè didicit, qui eorum saporem non degustarit. Sic ergo accipiamus vinum
Eccl. 19. non apostatare faciens à Deo, sed agglutinans illi: non sensum mentis euertens, sed castè inebrians: vinum scilicet electo-
Ephes. 5. rum, non in quo luxuria est, sed germi-
Zach. 19. nans Virgines. Cæleste hoc vinum quis se iactet didicisse, nisi perfectiones, quæ in ipso sunt, sapienter intellexerit? Nam &
3. Reg. 19. Elias mirabili illa visione in spelunca pre-

uentus

uentus spiritu grandi & forti, subuertente montes, & conterente petras, non ibi Dominum degustauit. Vidit quippe quod terreret, vidit quod reuerentiam incuteret, quod faciunt Dei præcepta cognita, sed nondum experientiæ magisterio degustata. Sed nec in igne Dominus, cum scilicet infirma, & carnalia nostra comburit, dum ei in timore, & reuerentia seruimus, quoniam ignis consumens est, sed in sibilo aurę tenuis. Ibi enim, & mandatorum maiestas, quæ ante terruit; & ignis, qui fœnum, stipulamque combussit, in sibilum auræ tenuis, dulcedinem scilicet, & suauitatem mandatorum conuertitur, vt sapiāt ipsum legislatorem. Etenim quemadmodum vinum vini saporem, & cibaria quæque suum proprium exhibent, ita mandata diuina saporem habent Dei. Non itaque immeritò gratias agit, qui non solum illuminatus est, vt intelligeret, permotus vt faceret; sed etiam affectus est, vt mandata Dei percepto eius sapore diligeret: quod verè didicisse est. Vnde & Beatus Gregorius diligenter aduertit, Discipulos, qui cum Domino in Emmaus pergebant tam multiplici ipsius Saluatoris doctrina minimè illuminatos fuisse, vt eum agnoscerēt. (Non enim auditores legis tantum illuminantur) sed faciendo, dum scilicet hospitium ex caritate exhibent, illuminatos esse. Nec mihi ab hac doctrina dissen-

Deut. 2.

1. Cor. 12.

Non audiendo tantum, sed simul agendo oculi animæ illuminantur.

Luc. 24.

sisse

Iob 4. sisse Spiritus sanctus videtur, dum Eliphaz Themanites de longa visione disputans, tria etiam in hac Dei notitia notat, nimirum pauorem, & tremorem omnia ossa perterrefacientem: deinde horrorem pilorum carnis suæ: tertiò vocem quandam quasi auræ lenis. In quorum primo terror, & fulgor præceptorum significatur: in secundo carnis concussio, & confixio, quæ per illam inducitur: in tertio dulcedo auræ lenis, qua illorum suauitas, Deiq; præcipientis dulcedo gustatur. Summa autem visionis hæc est, vt apertè intelligamus, & sensu ipso deguſtemus, hominem Deo comparatum non iustificari: neque factore suo quantalibet fortitudine præceptorum in obseruatione pergat, puriorem apparere posse. Quare tota huius sapientiæ disputatio eo fine concluditur. Ecce

Iob 4. qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Ergo tunc perfectè pro accepta notitia gratias agimus, si mandatorum Dei non solum obseruatione perficimur, & purgamur; sed etiam gustata suauitate pascimur, & oblectamur. Sed metientes, & comparantes

2. Cor. 10. nosmetipsos nobis, cum tremore, & timore salutem nostram operemur, illud cum reuerentia, & humilitate subinde ruminantes. Ecce qui seruiunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem. Eat ergo nunc, si placet, humana superbia

perbia, & vix tenui illorum odore respersa, audeat iactare sese, quod mandata didicerit. Quamuis & gratias agere pro acceptis, ad maiora aditum præparet. Sed attendat quisque sibi: videat vbi iam est, & vbi nondum est: vt de perceptis muneribus gratias agens, ingratus non sit; & ad futura suspirans, quasi iam plenus, superbus non sit.

8. Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.

SI dixisset, iustificationes tuas custodiui, posset quis existimare petitionem hāc, ne omnino derelinquatur, in eo niti, quod mandata Dei custodierit. Et meritò, qui ea seruat, protectionem, & custodiam Dei spe bona sibi pollicetur. Quomodo enim Deus amantem deserat, qui antequam amaretur, institit crebrescens multimodis vocibus, vt amantem quæreret, quærens inueniret, inuentum dilectionis brachijs retineret? Atqui, qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, inquit Veritas: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum. Verè etenim, Domine, te nemo amittit, nisi qui dimittit. Nunc verò, quia non ait custodiui, sed custodiam, duo præcipuè indicare videtur: alterum firmum propositum seruandi legem tuam, sicut & infra dixit, Iuraui & statui

Iure postulat Dei custodiā, qui mandata Dei custodit.

Ioan.14.

Verbo, custodiam, significatur primò, firmum propositum.

tui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Non enim vtcumque seruauit, aut seruaturum se promisit, sed firmo proposito iurauit, & statuit. Alterum perseuerantiæ custodia in obseruatione mandatorum esse pergendum. Neque enim ad tempus aliquod seruare est satis, sed perpetuò idagendum, curandumque est; sicut & perpetuò diuina protectione indigemus, quæ perseueranter custodientibus est promissa: & perpetuò sub illius aspectum viuimus, cuius oculi interiora ventris inuestigant, & perpetuò noua sanctificatione, & emundatione indigemus, qui ipso viuendi vsu quasi quotidie veteraſcimus. Propterea itaque de futuro ait, Iustificationes tuas custodiam.

Secundò perseuerantia.

Sed quod subdit. Non me derelinquas vsquequaque: vel, vt est in Hebræo, vsque valde: quod idem est, atque omnino, prorsusque relinquere; multa nobis, & magna, & dignissima scitu subindicat. Non permittit ne vllo modo derelinquatur, sed ne prorsus deseratur, cum sciret nimirū, vtile nonnunquam esse ad mensuram interdum derelinqui; quod inde multa, atque egregia subsequantur commoda. Relinquit enim nos Dominus vel cum tentationibus concuti, permittit, vel cum tribulationibus, & angoribus sapientissimè quatit. Vbi & sua deserere aliquo modo videtur, nec tamen deserit: quati permittit, sed non deijci. Et

Bona tribulatio aliqua.

vt indulgentissima mater, inquit S. Macarius AEgyptius, filiolum ita igni applicat, vt salubriter calefiat, sed manu interposita seruat, ne plusquam oportet à flamma tangatur: ita interdum in tentationes permittit nos Deus incidere; vt, vbi timet anima se eneruiter cecidisse, ibi accipiat firmius stare. Et deserit ergo, quia tentari nos permittit, & non deserit, quia in ipso conflictu, vt ait B. Diadocus, animæ ostendit ipsius esse victoriam. Multiplex autem inde consequitur vtilitas.

Primùm elucet ipsa Dei potentia, quæ rubum, & spinas tam facilè accensibiles, & igne circumdari sinit, & comburi non sustinet. Magna planè visio, ad quam videndam pellium calceamenta, & inuolucra carnalium cogitationum deponenda sunt. Ita in mirabilibus his alius putatur vincere; id est, anima: alius bella conterit, id est, ipse Deus.

Primùm elucet Dei potentia.

Exod. 3.

Secundò nutritur humilitas, dum homo se experientia magistra librans, & ponderans, videt quam infirmus sit, quam facilè succumberet, nisi iuuantis manu sustineretur. Quid autem vtilius, aut ad promerendam gratiam, & perseuerantiam efficacius, quam si homo se in veritate cognoscat?

Secundò nutritur humilitas.

Tertiò excitatur homo validissimè ad orationem. sic Petrus videns ventum validum, timuit, & statim clamauit; sic Apo-

Tertiò, Homo ad orationem excitatur.

stoli

stoli dormiētem in tempestate Dominum excitarunt. Dormire enim interdum videtur, vt soporem nostrum excutiat.

Matt. 14.
Matt. 8.

Quartò, Acuitur virtus, & exercetur Caritas.

Deinde acuitur Virtus, & Caritas huiusmodi tentationibus exercetur, quæ nisi exercitatione roboraretur, paulatim languesceret.

Quintò, purgatur anima.

Tum purgatur anima, & purior quotidie redditur, prout scriptum est. Auferrubiginem de argento, & egredietur vas purissimum. Temperat quippe Dominus hoc modo animum, & repurgat, virtutesque fortiores reddit. Et erunt, vt Scriptura loquitur, in confirmatione creaturæ illius (hoc est germina, & fructus animæ firmabuntur) quoniam in tentatione, inquit, ambulat cum eo (haud dubium quin Dominus) & in primis eligit eum. Vide autem quam sapienter, & admirabili artificio. Timorem, & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinę suæ (quippe hoc modo docet animam Dominus) donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius. (Non enim credit se Deus animæ nisi probatæ, & tentationibus exercitæ) Qui enim non est tentatus quid scit? Et vide ingentes fructus ex huiusmodi experimentis. Sequitur enim. Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum quod non sine mysterio quasi impropriè dictum videtur, vt ad illum potius dire-

Prou. 25.
Eccl. 4.
Eccl. 4.

ctum

ctum iter adducat, quam illum ad rectum deducat iter. Puto enim facilitatem, & suauitatem quandam innui, quasi iter rectum, & occasiones virtutum, atque directionis studiosè conquirat, ad nos adducat, nobis offerat, & ante pedes statuat. Quid præterea? Lætificabit illum. O quanta lætitia post victoriam ex pugna? quam dulce bellum in triumpho? Et denudabit absconsa sua illi. Vide mirabilem Dei familiaritatem, & mysteriorum inexplicabilem manifestationem. Nimirum animæ ita probatæ iam se totum credit, & aperit. Et quasi hæc abundè non essent, addit voce significantissima, non quacunque largitate effundet, sed thesaurizabit super illum scientiam, & intellectum iustitiæ.

Sextò fit manifesta virtus.

Præterea virtus, quæ in infirmitate latebat, in lucta manifestatur; & brachia ærea, quæ Dominus dedit, hostem prosternunt, atque deijciunt. Quanta enim fortitudo apparet, cum anima cum hoste congreditur; & lacertos, ac vires exerit, quæ ante nuditatem, & pugnam latebant? Atque illo præsertim cum hoste, de quo scriptum est. Reputabit vt paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. & item. Absorbebit fluuium, & non mirabitur: & habet fiduciam, quod influet Iordanis in os eius. Nec est potestas super terram, quæ comparetur ei. Quantæ ergo fortitudinis

Iob 41. & 42.

nis est non solum huic resistere, sed illum etiam ad terram elidere? Proferatur vel vnus testis Iob, cuius, dum omnibus affluueret, & potiretur bonis, pietas, largitas, & misericordia poterant elucere: fortitudo in aduersis, & virtus in hoste prosternendo non poterat. Calumniabatur olim inimicus, atque illius virtutem extenuans Domino dicebat. Numquid frustra Iob timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum? Vnde nosti maligne esse vallatum per circuitum, nisi quia iam antea circumiens, vt dentem infigeres, vbique vallatum, ac fortem, Deique protectione munitum inueneras? Quid, cum in manus hostis datus est? Quis eum non arbitraretur vsquequaque derelictum? & tamen derelictus non erat, quia bellator fortis cum ipso erat. Nec solus pugnabat, nec solus vincebat. Ipse in illo pugnauit, & vicit; qui licet ad horam eum dereliquisse videretur, eum tamen nunquam dereliquit. Quid Beatum Antonium memorem, qui inuisibilibus hostibus datus ad flagella derelictus videbatur; & tamen cum Domino gemebundo clamore diceret. Vbi tunc eras Domine Iesu? suauissimum audiuit responsum. Tecum eram Antoni, & aberat ergo, quia sic flagellari sinebat; & aderat, quia pugilem confortabat.

Iob 1.

Sed

Sed & illa quanta est vtilitas tentationis, qua Deo sic ordinante, ab ipso teterrimo hoste nihil minus volente, coronæ, atque in ipsis fulgentissimæ gemmæ fabricantur? Vt mirari liceat siue vtilitatem, & præmia patientis, siue benignitatem, & fortitudinem protegentis. Qui plura voluerit, legat sanctum Chrysostomum in prima Homilia ad populum Antiochenum de vtilitate tentationum, & tribulationum. Nobis hæc pauca dixisse sufficiat, vt appareat quam meritò, quamque sapienter petierit Propheta non quidem ne aliquo vsque derelinqueretur, sed ne vsquequaque.

Septimò, ab ipso hoste fabricantur coronæ.

ב Beth, id est, Domus.

Octonarius Secundus.

9 IN quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.
10 In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mãdatis tuis.
11 In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.
12 Benedictus es Domine: doce me iustificationes tuas.

13 In

13 In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs.

15 In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.

16 In iustificationibus tuis meditabor: non obiuiscar sermones tuos.

9 In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.

HInc apparet vbique omnino necessariam esse custodiam sermonum Dei. Nam cum pluribus modis iste adolescentior accipi possit, omnibus tamen viis suas custodia verbi Dei corrigit, atque confirmat.

Adolescens accipitur primo de ætate.

Primùm enim si accipiatur adolescens in iuuenili ætate, quæ vitæ pars lubrica est, & periculis exposita, quomodo poterit iste vias suas corrigere nisi meditatione & obseruatione mandatorum Dei? Venit in mentem adolescentior ille filius, qui Luc. 15. Patre discedens prodegit patrimonium in regione longinqua egestate, & fame squalidus adhæsit vni ciuium Babylonis huius

ibique

ibique de siliquis porcorum saturari cupiens, nec valens, sibi ipsi (vt S. Augustinus de se loquitur) factus erat regio egestatis. Quomodo poterat hic adolescentior corrigere viam suam, nisi illa meditatione præciperet, & re ipsa opere adimpleret. Surgam, & ibo ad Patrem meum? Ibi stola reddita est: ibi & annulus datus nobilitatis insigne: ibi suauissimæ epulæ vituli saginati: ibi chorus, & symphonia dulcissimè mulcebant: &, quod præcipuum est, amplexus indulgentissimi Patris, quasi amoris iaculo cor antea auersum à Patre alienum, & malè durum suauissimè transuerberabat. *Conf. l. 2. in fine. Luc. 15.*

Secundò, accipi potest adolescentior non tam ætate, quam sensu; in quo scilicet etiam in virili corpore, & cano capite puerilis animus dominetur. Quod Apostolus seuere prohibet ijs verbis. Nolite pueri effici sensibus. Quod vitæ genus sanè perquam miserum est: quia fatua mens, & illecebris dedita, & tenebris obscurata benè regere non potest: turpiterque ibi fit seruitus, vt debuerat esse dominatus. Quid igitur in huiusmodi vita non anceps? quid non tenebrosum, quid non præceps est? Qui talis est adolescens, bonum malum sæpissimè, & malũ bonũ ponit: perquepręrupta miser, & deuia graditur, illecebris captiuus, timoribus anxius, solicitudinibus inquietus, denique in figura hominis *Secundò, de sensu. 1. Cor. 14. Isa. 5.*

minimè homo: in imagine, quam accepit à Deo, quidnis aliud repræsentans. Quæ igitur ei spes dirigendi, & corrigendi vias suas supereſt, niſi in cognitione, & obſeruatione mandatorum Dei? niſi ad te perpetuò clamet? Ne abſcondas à me mandata tua: &, ne derelinquas me Domine, ne adincreſcant ignorantiæ meæ, nec multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent.

Pſal. 118.
Eccl. 23.

Tertiò, poteſt in bonum accipi, Adoleſcentior, vt vigorem animi, & hominem expeditum, paratumque ad omnia eo nomine intelligamus: quemadmodum in alio pſalmo eadē vox בְּנֵי filij excuſſorū verſa eſt: & alius, filij pubertatis; alius, iuuentutis, tranſtulit. Dicuntur autem excuſſi, quaſi agiles, non grauati, viribus integri, laboribus exerciti. Quod ſi hoc modo accipiamus, etiam ſic adoleſcentior iſte nō niſi per mandata Dei corrigit viam ſuam. Quo docemur, quantumlibet paratos, expeditoſque homines, benè currentes, dexteritate impigros, pugiles aptiſsimos, perpetua tamen indigere cuſtodia, & directione: tum quia in multis offendimus omnes, tum quia perfectiora ſectantes in id inniti bere debent, vt, quæ nondum acceperunt, habeant; & perfectius poſsint poſsidere, quæ ceperint.

Tertiò, de robore, ac rigore.

Pſal. 126.

Iac. 3.

Id vt plenius intelligamus, atque omnia, quę dicta ſunt, tanquam ſummam col-

ligentes

ligentes perstringamus, cogitandum nobis est, Passiones animi, quæ nisi per spiritum dirigantur, & subleuentur, ægritudines quædam sunt, animam diuersas in partes distrahere, eiusque non tam motiones, quam dissonantias efficere. Quò fit, vt primæ illæ pasiones notissimę, quę ceterarū omnium veluti scaturigines, & fontes sunt, Timor, scilicet, Cupiditas, Dolor, atque Gaudium, nisi superiore fræno coercentur, miseram animam pestilentiosis desiderijs conscindant, vt S. Augustinus loquitur. Fundantur autem istæ omnes in amore: qui, si rectus non sit, nec ipsæ rectæ esse possunt. Sed sermones Dei & illum, & has perspicuè rectificant. Docent quippe de Timore. Timor Domini odit malum, & Timor Dei expellit peccatum. Et, In timore Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis. Docent ergo & vnde, & quid timendum. Item de cupiditate, & desiderio. Concupiuit anima mea desiderare Iustificationes tuas. &, Rest[illegible] cupiscentias non eas: & à voluntat[illegible]ua auertere. Et, Mundus transit, & concupiscentia eius. At verò recta concupiscentia dicit. Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: & iterum, Anima mea desiderauit te in nocte. &, Initium Sapientiæ est verissima illius concupiscentia. Iam de Dolore. Et Dolor meus in conspectu meo semper. Quoniam iniquitatem meam annuntiabo,

Affectus animi quomodo lege dei dirigantur.

Prou. 8.
Eccl. 1.
Psal. 118.
Eccl. 18.
1. Io. 2.
Psal. 83.
Isai. 26.
Sap. 6.
Psal. 37.

nuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.
Psal. 118. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. De gaudio verò quid? Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Et gaudebunt de bonis Domini super frumento, vino, & oleo (non vtique visibilibus istis) sed quod in æterna simplicitate pascit, inebriat, lucet, & vigit. Et illud. Memor fui Dei, & delectatus sum. Sic vtique per sermones Dei, & amor rectus fit, & affectiones. Nam ciues quoque sanctæ Ciuitatis Dei, in huius vitæ peregrinationis secundùm Deum viuentes (inquit S. Augustinus) metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. Et quia rectus est amor eorum, istas omnes affectiones rectas habent. Metuunt, sed penam æternam. Cupiunt, sed vitam æternam. Dolent in se, quia ipsi in semetipsis adhunc ingemiscunt, adoptionem expectantes redemptionē corporis sui. Gaudent in spe, quia fiet sermo, qui scriptꝰ est. Absorpta est mors in victoria. Itē metuūt peccare: cupiunt perseuerare. Dolent in peccatis: gaudent in operibus bonis. Non solum autem propter semetipsos his mouentur affectibus, verum etiam propter eos, quos librari cupiunt, & ne pereant metuunt, & dolent si pereunt, & gaudent si liberantur.

Phil. 4.

Iere. 31.

Psal. 76.

Si amor sit rectus, omnes recti erunt affectus.

De Ciuit. l. 14. c. 9.

1. Cor. 15.

Igitur, quoniam sine his affectionibus vita non ducitur, cum in amore naturam fundentur; certumque est vitam rectam

qua perueniendum sit ad beatum, eas rectas habere, peruersam peruersas, amore diuino, & supernaturali corrigendæ sunt. Qui per quatuor illas virtutes, quas Cardinales vocamus (quarum vtinam ita sit in mentibus vis, vt nomina in ore sunt omnium) tum præcipuas illas affectiones, tum quæ inde deriuantur sanat, ornat, & sanctificat. Vnde est, vt Temperantiam, quæ circa delectabilia versatur, & coercendas cupiditates, quibus inhiamus in ea, quæ nos auertunt à legibus Dei, definiamus esse amorem se se Deo integrum, incorruptumque seruantem. Fortitudinem autem, quæ ardua & sustinet, & efficit, esse amorem omnia propter Deum facile perferentem. Iustitiam verò, quæ cuique tribuit quod suum est, amorem Deo tantum seruiendi. Prudentiam denique amorem ea, quibus adiuuetur in Deum ab ijs, quibus impediri potest, benè discernentem, ac sagaciter seligentem. Quas virtutes sic breuiter Scriptura enumerat. Sobrietatem enim, & prudentiam docet, & iustitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil est in vita hominibus. Vides quam rectè dictum sit corrigere adolescētem vias suas custodia sermonum Dei. Hüiusmodi enim virtutibus se ipsum continet: suos effectus, ne auertantur à lege Dei, nec quasi præcipitem eum agant, aut in diuersa distrahant, quasi habenis quibusdam vigilan-

Omnes virtutes quodammodo amores.

Sap. 8.

tissimus auriga moderatur, ac regit. Quod
Serm. 85 in Cant. egregiè asserit S. Bernardus de anima, quę
super dilectum innixa delicijs affluens as-
cendit: alioqui, inquit, frustra nititur, si
non innititur. Sanè etiam contra se inni-
tens inualescet, & facta seipsa validior co-
get pro ratione vniuersa, iram, metum,
cupiditatem, & gaudium veluti quendam
animæ currum bonus auriga reget, & in
captiuitatem rediget omnem carnalem af-
fectum, & carnis sensum ad nutum ratio-
nis in obsequium virtutis.] Cum enim
Rom. 7. (inquit Apostolus) essetis in carne, pas-
siones operabantur in membris vestris, vt
Rom. 6. fructificarent morti: nunc autem liberati
à peccato, serui autem facti Deo, habetis
fructum vestrum in sanctificatione, finem
verò vitam æternam. Quam præclarus au-
riga, qui & tales domuit equos, id est, in-
dociles affectus; & dirigit, atque captiuat
4. Reg. 2. & 13. in obsequium virtutis! De qua anima non
immeritò dicere possis, quod & de Elia
olim Eliseus, & de ipso Eliseo Ioas Rex af-
firmauit, Pater mi, currus Israel, & auriga
eius. Verè beata anima, quæ simul currus
Ezech. 10. Dei est, ipsum vehendo (quod Ezechiel
præstantissima olim visione vidit, & san-
ctus Macarius concinna admodum ex-
positione declarat) simul auriga ipsius cur-
rus equos huiuscemodi frænando, ac diri-
gendo. Quamuis, si verum pronuntiare
volumus, id potius tibi dicendum, Qui

ascendis

ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio. Ipse enim & regis, & saluas. O Sapientia, quæ attingis à fine vsque ad finem fortiter (in instituendis, & continendis rebus) & disponis omnia suauiter in beandis, & ordinandis affectibus, dirige actus nostros, prout nostra temporalis necessitas poscit, & dispone affectus nostros, prout tua veritas æterna requirit: vt possit vnusquisque nostrum securè in te gloriari, & dicere, Quia ordinauit in me caritatem. *Habac. 3. Sap. 1. Bern. ser. 50. in Cant. Cant. 2.*

10 In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.

QVid sit in toto corde exquirere, dictũ est supra in illud, Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Sed quod dicit, Ne repellas me à mandatis tuis, durum sonat, nisi rectè intelligatur. Quomodo enim repellat à mandatis, qui legem ideo tulit, vt secundum eam viueremus? & mandata sua mãdauit custodiri nimis? Nec modo illuminat docendo, sed allicit promittendo, roborat confortando, applicat trahendo? Sed videlicet miseria conditionis nostræ exprimitur, infirmitas declaratur. Dum enim ab alio impellimur, repellimur à mandatis. Non est autem vnus impulsor; impulsor mundus, impulsor Diabolus, impul- *Multa nos à mãdatis Dei repellũt.*

Serm. 85. in Cant. impulsor homo. Quæris, inquit Bernardus, quis homo? quisque sui. Vsque adeò autem homo sibi impulsor est, & suimet præcipitator; vt non sit, quod ab alio impulsore formides, si à te ipso proprias contineas manus. Ergo dum impellimur ad concupiscentias, & veterem hominem induimus, distrahimur à mandatis. Atque adeo nisi Dominus sua nos manu, & ab impellentibus protegat, & post se per mandata currere faciat, eo ipso, quo nos non applicat, repellere dicitur. Vt, verbi gratia, æger, & paralyticus nisi suauiter trahatur, & in lectulo ipso portetur, dici poterit à prandio, vel à cœna repelli: cum tamen verè is, qui prandium parauit, & inuitet, & libentissimè eum recepturus sit. Sed non gestasse hominem, repulisse est. O Domine, Domine, cui infirmitas nostra nota est, tu nos protege, tu infirmos porta, tu per tua mandata in odorem vnguentorum fac ad te currere: alioqui nisi ipse perduxeris, repelli dicimur. Quo quid miserabilius esse potest? Denique à meridiana luce, quæ omnibus obuia est, tum is, quem carcer obscurus tenet, tum cœcus repellitur. Sana ergo me Domine, & sanabor, saluum me fac, & saluus ero. Trahe post te, vt expeditis passibus ad tua mandata, perque vias eorum, atque curricula ad te demum cum prosperitate perueniam.

Deus repellit non adiuuando specialibus auxilijs.

Cant. 1.

Ierem. 14.

11 In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi.

VERBVM. צָפַן significat abscondere, occultare, recondere, reseruare. Benè autem dicitur in corde. Nam siue in memoria retineantur præcepta per recordationem, siue in lingua per pronuntiationem, siue in mente per intelligentiam; nulla consequitur vtilitas, non magis, quam si panis seruetur in arca, nec assumatur in cibū. Itaque in corde abscondenda sunt eloquia Dei, vt non peccemus. Verba Dei abscondēda in corde.

Absconduntur autem, siue vt semen, & radix, quæ in terra reconditur, vt humorem trahat. Ex illa quippe absconsa (nam nisi in profundo lateat exarescit) nascitur honor foliorum non defluentium. Nam folium eius, inquit, non defluet. Quò contra de recedentibus dicitur. Cùm fueritis velut quercus defluentibus folijs. Nascitur decor florum non decidentium: cum contra de nonnullis dicatur. Væ coronæ superbiæ ebrijs Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius. Oritur denique fœcunditas fructuum non marcescētium, qui non excutiantur, aut decidant in os arborem concutientis, vt merito glorietur Propheta se hanc radicem in corde, id est, in principali pectoris sui recondidisse: vnde tam pulchra, tamque vtilia nasci certum est. Ex corde eum prodeunt castæ Primùm, vt semen. *Psal.* 1. *Isai.* 1. *Isai.* 28. *Naum.* 3.

cogitationes, recta consilia, opera, quæ non marcescant.

Secundò, vt thesaurus.

Absconduntur etiam vt thesaurus, qui nisi diligenter, & custodiatur, & recondatur, facilè ab hoste diripitur. Scimus enim quosdam cum gaudio suscepisse verbum Dei, sed quia non absconderunt in corde, volucres cœli comederunt illud, id est, Diabolus de corde abstulit. Quam ob rem quo maior thesaurus est, eo maiore custodia indiget. Altè fodiendus est, ne facilè effodiatur. Quam procliuè est, Iesu bone, vt sancta desideria, & conceptus ex verbo tuo feruor, nisi abscondatur profundius, vel ab hoste diripiatur, vel per se se euanescat? Tu verò potens es, Domine, depositum meum seruare, siue quod ipse apud me seruandum deposuisti, siue quod ego apud te. Nam id tutius. Reserua tibi clauem cordis mei, ne quis alius aperire possit, & thesaurum suffurari. Tu es enim clauis Dauid, quæ claudis, & nemo aperit. Obsigna annulo, & sigillo tuo, ne quis effringere audeat: ipse custodi partem tuam, quam de Amorrhæo tulisti in gladio, & arcu tuo. Solus enim ligato mundi Principe, vasa captiuitatis diripuisti: & de vasis contumeliæ in vasa gloriæ transtulisti.

Matt. 13.

2. Tim. 1.

Apoc. 3.

Gen. 48.

Matt. 12.

2. Tim. 2.

Tertiò vt res carissima.

Reconduntur tertiò tanquam res carissima, quam penitus nobis inserere, intimisque medullis gestare cupimus. Ideò nusquam

nusquam melius, quam in corde seruata honoratur. Nusquam tutius, quam in arce animæ: nusquam nobilius, quam in regia. Quis enim locus præstantior, ac munitior, aut quæ theca nobilior pretiosissimæ, & carissimæ gemmæ præparetur? Felix certè anima, quæ in principali pectoris sui, non tam ad seruandâ, & honorandâ illa, quam ad suimet custodiam, ornatum, fructum, & consolationem verba tua, & legem tuam abscondit.

12 Benedictus es Domine, doce me iustificationes tuas.

IAM vt respiret, collectisque viribus tanquam nouo facto principio, cetera prosequatur, in laudes, & gratiarum actiones erumpit, dicens. Benedictus es Domine, &c. Quam grata vox benedictio est? quam suauis? quam efficax? Grata pro beneficio, suauis pro lætitia, efficax pro impetratione. Nam & Apostolus, Orationi, postulationi, & obsecrationi, vt fructuosæ sint, & iucundæ, gratiarum actiones dicet esse miscendas. Hæ nimirum disponunt animam ad maiora percipienda: &, vt inquit S. Bernardus. Si copiæ aquarum secretis, subterraneisque decursibus incessanter æquora reperunt, vt inde rursus ad visus, vsusque nostros iugi, & infatigabili, erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare

Gratiarū actio quāti facienda.

Thess. 5.

Serm. 13. *in Cant.*

gare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt, reuertãtur flumina gratiarum, vt iterum fluant. Remittatur ad suum principium cæleste profluuium, quò vberius terræ refundatur.] Alioqui si anima ingrata sit, magnum bonum, quod acceperat gratiarum, in magnum sibi vertit malum: dum de donis Domini facta eximia, quasi non agnoscat vnde proueniant, in autorem non refert, quod acceperat. Vnde & consequenter cauet cautè donator, ne quo plura contulerit ingrato, plura perdat. Vides quam magna sit & iniquitas, & calamitas autori gratias non referri, quas quidem diligentissimè ille vult reddi? Nam propterea iussit, vt summo mane ante solis ortum manna colligeretur, vt notum omnibus esset, inquit Scriptura, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam. Et verbum Dei manna est; quod tendentibus ad repromissionis terram in deserto mundi huius præparat Dominus verè pius, verè misericors; vt & videntes cum admiratione exclament, quid est hoc? & gustantes omne delectamentum, & omnem saporem suauitatis experiantur. Qui scilicet cibus & minutus est (vt ait S. Augustinus) propter res subtiles, & spiritales, quas continet: & melli similis, ac similæ propter dilectionem, qua abundat: vnde & infra dicitur.

Eccl. 1.

Exod. 16.

Sap. 6.

Exod. 16.

Sap. 16.

Serm. 91. de temp.

ctur. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel ori meo. Non itaque hoc manna incuriosè habendum est, vt putrescat, sed auidè comedendum: neque stultè nimis permittendum in tanti cibi copia, & dulcedine, vt cucumeres, pepones, porrique, cæpæ, & allia Aegypti, id est, mundi huius vilissimæ illecebræ, in mentem recurrant. Quare meritò cum beneficia Psalmographus retulisset dicens. In toto corde meo exquisiui te, &, In corde meo abscondi eloquia tua, in gratiarum actionem erumpit, & ait. Benedictus es Domine. Et inde quasi parato in petitionem aditu, subdit. Doce me iustificationes tuas.

Exod. 16.

Num. 11.

Omnia Deum benedicunt.

Quis autem est Domine benedictus, nisi tu? Ecce benedictionem tuam omnes creaturæ depromunt, omnes Scripturæ proclamant, omnes Sancti siue in aduersis, siue in prosperis, & in donorum spiritualium siue copia, siue inopia perpetuò resonant. Testes sunt locupletissimi tres pueri tui in camino Babylonico, qui in medio ignis primum colligati, tum flammarum virtute soluti, non solum ipsi admirabile benedictionis canticum condiderunt, sed etiã creaturarum omnium linguis Te benedixerunt, inuitantes ad laudes tuas, & quasi in adiutorium, etiam in frugnas assumentes frigus, pruinam, gelu, ignem, æstum, fontes, maria, terram: denique

nique quicquid creaturarum visibilium enumerare potuerunt. Nam Angelos, & inuisibiles Potestates, quæ tuas sine cessatione laudes concinunt, initio & ad te benedicendum inuitarunt; & veluti coniunctis cum vocibus illorum vocibus suis, deque ipsorum laudibus sibi complacentes, vno te quasi choro collaudarunt, ac benedixerunt.

Sequitur iam petitio. Doce me iustificationes tuas. In qua diutius meditanda immorari suauiter licet, explicanda non licet. Per se enim aperta est. Breuiter tamen quærendum est, cum superius dixerit. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis. &, Confitebor tibi in directione cordis in eo, quod didici iudicia iustitiæ tuæ. & paulò pòst. In corde meo abscondi eloquia tua; quare nunc dicat, Doce me iustificationes tuas. Cum enim certa sint, quæ dixerat, quid opus est iterum vel doceri, vel petere, vt doceatur? Nimirum vt necessitatem perseuerantiæ, & quam perpetuò noua doctrina indigeat, & ingentem cupiditatem ampliora sine intermissione discendi significet.

* * *

ע In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.

QVam iucundum est, quam sublime, quam plenum vtilitatis, ac dignitatis ex ore Dei verba recipere! Suscepit cælum, suscepit terra, suscepit mare: susceperunt sol, luna, & astra verbum Dei: quoniam, ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt: cum & verbum ipsius in æternum permaneat in cælo; & omnis illius ornatus ex eo pendeat: & terra super maria, & flumina eodem verbo & ipsa præparata sit, & firmata. Sed quantum est hoc ad eam gloriam, qua homines donati sunt, cum verba ex ore Dei accipere potuerunt; vt illa & intellectu percipiant, & voluntate adimpleant, & opere, atque amore confirment? Certè cum legem per Mosem daturus esset, Sanctifica, inquit, illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. Vides qua sanctificatione, & præparatione cordis verba ex tali ore accipienda sint. Si enim (vt ait Ecclesiastes) verba sapientum sunt sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt à Pastore vno; satis liquet, verba summi ipsius Pastoris, quo doctore per manus magistrorum data sunt, qua reuerentia, quove affectu in intima sint pectoris admittenda.

Verbum Dei, omnia susceperunt.

Gen. 1. Ps. 148.

Infra in hoc Psal.

Psal. 23.

Quantum beneficiū verba Dei percipere.

Exod. 19.

Eccl. 12.

Certè

Iob 1. Certè Iob vir rectus, & simplex à malo recedens, factorique adhærens, cum pedem suum vestigia eius sequutum fuisse, seque viam illius custodisse, neque ex ea declinasse gloriaretur, subiecit. A mandatis labiorum eius non recessi; & in sinu meo abscondi verba oris eius: causamque subdit. Ipse enim solus est. Igitur, quia hoc est omnis homo, si mandata Dei seruet; & ab ijs declinare à nihilo est, & in nihilum tendit, rectè absconduntur in sinu verba oris eius, qui solus est: quandoquidem congruè adhærere illi verè esse nos facit, sicut ab illo deuiare, facit non esse. Quare & de quodam scriptum est, id est, de impio. Habitent in tabernaculo eius socij eius, qui non est. O felicem animam, quæ aures cordis, quibus diuinæ hæ voces audiuntur, assiduè perpurgat, vt benè possint audiri. Sed quid est, omnia iudicia oris tui? Non frustra puto additur oris. Neque enim illa inuestigare possumus, quæ ipse non protulit, sicut manifestata audire valemus.

Iob 23.

Eccl. vlt.

Iob 18.

Pronuntiat labijs suis.

Primò ob dulcedinem quasi saporis.

Ceterum cur in labijs suis se mandata pronuntiasse dicat, non otiosum est quærere. Non enim tantum se aut intellexisse aut dilexisse asseruit, quod mente fieri potuit, sed etiam labijs pronuntiasse. Pronuntiat itaque labijs suis, primum ob dulcedinem, & suauitatem, quam in ore ex huiusmodi verbis experitur. Siquidem verè est:

rè est dictum. Fauus mellis verba composita. *Prou. 16.*

Deinde videtur mihi quasi dulcẽ quandam melodiam, qua aures permulcerentur, significasse. Neque enim sine causa docet Sapiens in vino lætitiæ spiritualis concentum Musicorum peropportunum esse: neque Musicam esse impediendam. Hæc certè vis est verborum Dei, vt animam rectè compositam cum mulceant suauissimè, tum ad somnum spiritualis quietis, atque contemplationis miro modo & perliciant, & perducant. Secundò ob suauitatẽ melodiæ. *Eccl. 49. & c. 32.*

Tertiò, Vt purget, & sanctificet labia. Est enim eloquium Domini ignitum vehementer: vt infra canit Propheta. Tertiò vt sanctificet labia.

Postremò in labijs pronuntiat, ne solus ea lætitia perfruatur. Nam etsi solus debeat habere aquas, qui sine admistione vanitatis illas intrinsecus participat, monetur tamen ad aliorum vtilitatem in plateas illas diuidere. Hoc siquidem vera, & casta contemplatio habet, ait S. Bernardus, vt mentem, quam diuino igne vehementer succenderit, tanto interdum repleat zelo, & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis præ studio prædicationis libentissimè intermittat. Et S. Augustinus, cum nouus hospes ad Scripturas meditandas, præsertim verò ad Psalmos Dauid, Cantica illa fidelia, & sonos pietatis excludentes. Quartò vt communicet cum alijs. *Prou. 5.* *Serm. 57. in Cant.* Vera contẽplatio zelũ animarum accendit. *9. Con. c. 4.*

dentes turgidum spiritum, accessisset, ita se affectum profitetur, vt accēderetur illos recitare, si posset, toto orbe terrarum aduersus typhum generis humani. Quod spirituales viri, quibus alios iuuandi cura est, diligenter debent imitari: dum tamen cōcham se ex consilio D. Bernardi non canalem exhibeant. Hic quidem penè simul & recipit, & refundit; illa verò donec impleatur expectat; & sic, quod superabundat, sine suo damno communicat. Deinde concha imitetur fontem. Non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec sui satietur aquis. Nec pudeat concham non esse suo fonte profusiorem. Quo loco etiā sapientissimè docet idē Pater quæ, & quanta infundenda sint priusquam effundere præsumamus. Primò quidem, inquit, compunctio, deinde deuotio, Tertiò pœnitentiæ labor, Quartò pietatis opus, Quintò orationis studium, Sextò contemplationis otium, Septimò plenitudo dilectionis. Hic est amor qui zelat, hic replet, hic feruet, hic ebullit, hic iam securus effundit exundans, & erumpens. Domine Deus, Magister bone, virtus, salus, & firmitas nostra, fac nos ita ex aliorum zelo, & caritate pronuntiare labijs iudicia oris tui, quod est de tua largitate effundere, vt & impensius, & prius curemus infundi: quo in spiritu humilitatis, & feruoris, ne parte nostram deteriorē faciamus, quandoquidem, qui id facit, male-

Serm. 18. in Cant.

Sed curandum vt sis concha non canalis.

dictum Scriptura tua pronuntiat: nobis ipsis prius apud te, qui lux es, & vita, verba vitæ toto corde percipiamus, intimisque medullis cautè, ac sedulò inseramus.

14 In via testimoniorum tuorum delectatus sum.

SI dixisset in testimonijs tuis, vel in lege tua, simpliciter acciperemus; sed quid sibi vult in via testimoniorum? Arbitror aliquid significari perutile nobis. Testimonia, seu mandata via dicuntur, quia per ea ad vitam gradimur non pedum passibus, sed affectibus. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Et via interdum, vt diximus, ipsa nostra conuersatio, & viuendi ratio dicitur. Proinde non dicit delectatũ se in testimonijs Domini, hoc est, in nudis præceptis; notitiaque tantum, & speculatione subtili cognitis, quod nec magnum, nec satis esset, sed in via testimoniorũ, hoc est, dum actione, & opere per illa ambulat. Obseruatione enim illorũ, & progressione spiritualium gressuum per viam ad terminum graditur.

Mandata sunt via, quia ducunt ad vitam. *Matth 19.*

Ceterũ non est omnium mandatis Dei delectari. Aliquos enim, qui secundùm carnem ambulant, non delectant, sed premunt. Quis autem delectatur? qui caritate vehitur. Quis delectatur? qui & nouit illorum pulchritudinem, & excellentiam: & facilitatem, & vtilitatem experitur.

Quis delectetur mandatis Dei.

tur. Abstinere quippe ab operibus carnis, quæ diuina lege prohibentur, iucundum est in spiritu ambulantibus. Ipse enim spiritus implet, agit, portat, suaue facit iugum denique delectabilia facit quæcunque ille iusserit, in cuius dextera delectationes sunt vsque in finem. Sed audi quanta necessaria sint, vt in mandatis Domini, id est, in ipso Domino delecteris. Isaias loquitur. Si auerteris à sabbato pedem tuum facere voluntatem tuam in die sancto meo. (En voluntatis abnegatio viuentibus in perpetuis sabbatis, & ferijs Domini. namq; ambulantes in spiritu habent sabbatum ex sabbato, & Neomeniam ex Neomenia) & vocaueris, inquit, sabbatum delicatum, (vide quid faciat amor? Ipse sabbatismus, id est, cessatio, & requies ab operibus mortuis, castæ deliciæ sunt Sanctorum) & sanctum Domini glorioſum (templum scilicet, vbi ipse inhabitat, & nobiscum conuersatur) Et glorificaueris eum, dum non facis vias tuas (à quibus procul dubio abstinendum est, vt viam Domini percurramus) Et non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem (magnum malū propria volūtas, quæ in properantibus ad patriam ita dīsperdi debet, vt nec inueniatur) Tunc, inquit Propheta, delectaberis super Dominum, & sustollam te super altitudines terræ. Illa radix, hic fructus. Ergo qui se gratulatur, in via mandatorum delectatum,

Psal. 15.

Isai. 58.

Isai. 66.

tum, hæc omnia in delectatione huiusmodi sancta, quasi coniuncta, & inclusa gloriatur.

Sicut in omnibus diuitijs.

Quomodo diuitiæ cum mandatis comparentur.

CVm Scriptura dicat Diuites eguerunt, & esurierunt. Et item, Dormierunt somnium suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Quid est, quod rē tam spinosam, tam fragilem, *Psal. 35.* tam infidelem, quæ cum labore quæritur, *Psal. 75.* cum solicitudine possidetur, amittitur cū dolore, diuinis mandatis cōparat? Sed perpendendum primò: cum dixit, in omnibus diuitijs, non solum pecuniæ thesauros, & ampla vectigalia, sed omnia, quæ abundantiam, sufficientiam, & potentiam parere solent, hoc nomine comprehendisse: vt, nō diuitias solum, sed omnia, quæ optari, & possideri in hac vita solent, sufficientiæ, & thesauro mandatorum Dei conferre, & comparare intelligatur. Sed hoc parum est. Hæc enim omnia arena sunt exigua, & quasi lutum æstimanda, si cum diuinis thesauris componantur. Nam *Isai. 33.* diuitiæ salutis, inquit Sapientia, & scientia, Timor Domini ipse est thesaurus eius. Non erga significat parem delectationē, aut securitatem in omnibus diuitijs, & Dei mandatis esse. Sed, quoniam homines

errore

errore quidem insano his sensibilibus diuitijs beatos se, & tutos credunt, puto illum sic dicere, delectatus sum in vijs mãdatorũ tuorũ, sicut solẽt pueriles homines diuitijs oblectari, in ijsque confidere. Hæc quippe solent homines magnifacere, & summam in eis felicitatem reponere. Optimè enim Ambrosius. Alij in auro, alij in argento, alij in vestibus, alij in possessionibus, vinetis, oleis, segetibus, alij in operibus picturæ, marmorum: in diuersis denique singuli delectationes habent: spiritalis in via testimoniorum cælestium delectatur, tanquam omne possidens patrimonium, in omnibus diues, sicut Apostolus dicit. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo IESV, quia in omnibus diuites facti estis in illo.] Quare ex rebus notis affectum indicat, vt per sensibilia discamus ad superiora conscendere. Et fortasse rem totam commodius explicemus, si Sapientis audiamus sententiam. Sicut protegit sapientia, inquit, sic protegit pecunia. An, rogo, non amplius? Quis non videt maximam inter hæc distantiam. Quam ipsemet velut deridens stultorum somnia, per ironiam, vt arbitror, sic explicat: subdit enim Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo. Quasi verò pusillo inter se discrimine hæc distent, extrinsecus duntaxat, incerteque valde,

Ecclo. 2. Cor. 1. Eccl. 7.

valde, atque infirmiter protegere, & vitam tribuere possessori suo. Quare idem Psalmographus infrà loquens non ex opinione communi, sed lingua sua, mandatorum scientiam longè diuitijs prætulit, cum dixit. Ideò dilexi mandata tua super aurum, & topazion.

℣ In mandatis tuis exercebor.

PErpendendum primò est præposuisse Exercebor, postea subdidisse Considerabo: tum quia practica pars, & exercitatio in virtutibus ante theoricen, & inuestigationem, ac meditationem mysteriorum Dei præmittenda est. Quam ob causam rectè S. Ambrosius obseruat initio quoq; huius psalmi primò dictos esse beatos, qui ambulant in lege Domini, deinde qui scrutantur testimonia eius, tũ quia etiam post exercitationem, & obseruationem iugis est retentanda meditatio, vt ad anteriora tendamus. Quo enim quisque amplius in vitæ puritate profecerit, eò melius diuina rimari poterit, & ad maioris perfectionis studium notitiæ, & amoris iugi, & infatigabili studio desudare.

Practica virtutum theoricen præit.

Sed verbũ Exercebor, quod Septuaginta fere per verbum ἀδολεσχήσω explicare solent, hebraicè est loqui ore, vel corde, id est, meditari, orare, loqui, & confabulari. Quo verbo Scriptura vsa est, cum

Exercebor cur græcè ἀδολεσχήσω.

cum de Isaac loquens, egressum ait ad meditandum. Verum Septuaginta, quamuis verbum græcum ferè accipiatur pro nugari, & garrire in malam partem, sine dubio acceperunt in bonam pro continenti meditatione, & exercitatione. Quomodo & S. Augustinus in bonam legit. In mandatis tuis garriam, & S. Ambrosius modo garrire, modo hallucinari vertit. Sunt qui ita interpretantur, vt Psalmista se cũ mandatis Dei, quasi cum intimis amicis colloquia miscere, dulcesque habere sermones innuat. Mihi placet proprietatẽ quandam significari optimam, dum adhibetur in meditatione mandatorum, quamuis bona non sit in eo, vbi propriè inest. Neque enim nouum est in Scripturis, vt verba, quæ fere in vitio quodam poni solent, ad laudabilia transferantur, quo proprietas quædam exprimatur. Quomodo astutia pro prudentia, & eructare pro deprompere cum affectu, quasi ex pleno: & fermentum propter suam efficaciam modo in bonam, modo in malam partem sumitur. Vt igitur significaretur animi delectatio in mandatis, & propensio ad illa meditanda, sumitur verbum ab iis, qui libenter, & effusè, ac prope semper loquuntur. Vt, quę in illis vitiosa est loquendi incontinentia, in iustis sit laudabilis assiduitas, ijdemque admoneantur, quanam in re collocare debeãt oblectationes suas, quam

non

non grauatè in sanctis meditationibus exerceri. Et quidem latinum verbum garrire cum auium propriè sit, optimè studium assiduum, & quasi indefessum laudes canendi Deo designat. Hoc enim modo aues ludunt. Quæ etiam siue ad exortum solis, quasi illum salutantes, atque ad eius aspectum gratulabundæ, ac gestientes, siue ad vesperam cum quiescere volunt, tanquam ei vale dicentes garrulo cantu certatim personant. Hanc ergo proprietatem, quæ in auibus vitiosa non est, si ad homines transferamus, perinde erit, ac si dicamus, Sanctos voce nunquam interrupta, aut remissa mirabilia Dei canere; illum præ lętitia gestientes ad perpetuum exortū (Nam occasus ibi nullus est) continuis laudibus celebrare: illius mandata non cum gemitu, aut tristitia, sed cum perpetua exultatione, & promere laudantes, & exprimere obedientes.

Et considerabo vias tuas.

VIAE Dei dici possunt, vel quibus ipse ad creaturas egreditur, seque in operibus suis manifestat: quomodo fortè dicitur, Initium viarum Dei primus Angelus: & cæli, terra, & omnia, quæ creata sunt, viæ Dei hoc modo dicuntur. Sed longè excellentiores etiam viæ sunt, quibus ad opera exiens redemptionis, & glo-

Viæ Dei operacreationis.

Et redemptionis.

rificationis noſtræ ſe manifeſtat: vt quo-
dammodo priora opera exitus veſperæ,
Pſal. 64. poſteriora hæc exitus matutini liceat ap-
pellare. Et in his procul dubio vijs, quæ
pulcherrimæ ſunt, & inueſtigatu ſupra
modum delectabiles exercebatur. Sed alio
modo magis literæ conſentaneo vias eius
Et mãdata eius. accipimus ſemitas, quibus per viam man-
Pſal. 118. datorum currimus. Quæ viæ Tuæ multis
Quæ dicũtur viæ Dei. ex cauſis, benigniſſime Deus, appellantur.
Primò quia ipſe dedit. Dicuntur enim viæ tuæ, quia ipſe ſolus ſu-
pereminenti bonitate, & caritate tua per
ſcopulos vitæ huius, & prærupta montiũ
viam aperuiſti. Dicitur & via tua, quia te
illuminante videtur, vt eam terere inof-
Secundò quia ipſe dat lumẽ ad ambulandum. fenſo pede poſſimus: neque enim ſine lu-
ce tua per offuſas noctium tenebras viam
hanc ambulare licet. Sed eſt alio modo
tua, quia hanc viam ipſe munis, ipſe cu-
Tertiò quia cuſtodit ambulantes. ſtodis. Cura quippè tua munita eſt, vt non
latrocinentur in ea, qui cæleſtem mili-
tiam deſeruerunt. Virant enim eam tan-
quam ſupplicium, vt niſi ipſi nos ab ea de-
clinemus, atque aliò allecti abripiamur,
à deſertoribus Spiritibus timendum non
Prou. 2. ſit: cum diuina vox ſit: Cuſtodiet recto-
rum ſalutem, & proteget gradientes ſim-
pliciter, ſeruans ſemitas iuſtitiæ, & vias
Sanctorum cuſtodiens. Has vias, vt tuas
probas, & cognoſcis, ſicut ſcriptum eſt.
Vias enim, quæ à dextris ſunt nouit Do-
Prou. 4. minus. Dicitur & tua via, quia ad te du-

cit,

cit, sicut dicuntur viæ Hierusalem, quæ ad eam ducunt: & via ciuitatis habitaculi, quam errantes non inueniunt. Siquidem per viam hanc ad te gradimur, & ad te peruenimus, qui viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum. Insuper & tua est, quia in illa & ipse ductor es, & præis, & trahis. Non enim nisi præeunte te duce, & trahente eam currere possemus. Hinc Patriarcha Iacob cum ignotus, & in aliena terra peregrinaretur, id præcipuè optauit, vt esses cum eo, & custodires eum in via per quam ambulabat: panemque ad vescendum, & vestimentum ad induendum dares. Deduc me Domine in via tua, & in semitam mandatorum tuorum: præcede, & sequar. Non enim Angelo contentus sum, qui me præcedat, & deducat; sed ipse propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Hæc tria desiderans desiderio: ad hæc toto pectore inhio, ac suspiro, vt præcedens trahas, & deducas me, alioqui debilem, & subsequi non valentem: vt des mihi panem ad vescendum, panem scilicet cæli, viuificam, & deificam carnem Verbi tui: & vestimentum, quo operiar, ipsas virtutes illius; quo gloriari & ipse possim, & luminibus placere tuis, abiecto indumento veteris hominis, iam Christum indutus. Quomodò enim tibi nō placeam talibus, tam splendidis, tanque odoratis Primogeniti

Quartò quia ad ipsum ducunt. *Ier. 14. Psal. 106. Habac. 3.* *Gen. 28.* *Psal. 118.* *Exod. 14.* *Psal. 30.*

Gen. 27. niti nempe tui vestimentis, non Matris pia fraude, sed Patris, ac Fratris dulcissima largitione contectus? Pulchrè autem in eadem via, cum hæc optaret Patriarcha scalam vidit super terram stantem, cælum

Gen. 28. tangentem: & Angelos Dei, vtpote in ministerium viatorum tuorum missos, ascendentes, & descendentes per eam. Sed super omnem gloriam protectio tua est, quia innixus eidem scalæ apparere voluisti: qua peculiarem prouidentiam tuam, & curam, quam de tuis geris, significantissimè ostendisti, semper intentos habes oculos, quibus nos prospicis, regis, gubernas, excitas, afficis, & miro modo pertrahis. Quam felix anima, quæ in hac peregrinatione hac visione donatur? hac protectione dignata est? his gressibus per te ad te festinat, vt audiat Angelorum choros de se non sine admiratione clamantes.

Cant. 7. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis? Verè pulchri gressus, qui per vias incedunt, de quibus scriptum est.

Prou. 3. Viæ eius viæ pulchræ. Benè in calceamentis, quia calceata est in præparationem Euangelij pacis. Et meritò filia Principis, in qua cælestis indoles, & imago Patris mirum in modum elucet. Hæ sunt igitur viæ, quas attentissima meditatione post exercitium virtutum cogitare debemus.

16 In

16 In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos.

VERBVM meditabor, longè significantius, & dulcius in Hebræa voce sonat. אשעשע. Innuit enim vox quandam delectationem, & propensionem affectiuam erga aliquid, in quo anima delicietur. Vnde in Isaia dicitur. Vir Iuda germen delectabile: in quo scilicet complacebat sibi, & oblectabatur Deus. Et in Prouerbijs eadem voce Sapientia loquitur. Deliciæ meę esse cum filijs hominum. Nec vacat, quod aliqui obseruarunt, radices, & voces duplicatas, cuiusmodi est hæc, emphasim quandam, & energiam peculiarem habere: cuiusmodi est illud. Vbi nos habemus, Speciosus forma præ filijs hominum, in Hebræo legitur reduplicata voce יפיפית. Perinde est igitur, ac si dicat. Mãdata tua castæ delitiæ meæ: in illis oblectatus sum, & erga ea toto corde affectus. Vnde & de Sapientia dicitur. In nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertetur tibi in oblectationem. Quam, vt verum cordis gaudium, super omne oblectamentum esse idem Sapiens asserit. Adeò autem lætitia hac spirituali afficitur anima, vt excedat Deo, suique obliuiscatur. Audi Ecclesiasten. Non satis, inquit, recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus

Meditabor Hebr. quasi deliciabor.

Isa. 5.

Prou. 8.

Psal. 44.

Eccl. 6.

Eccl. 30.

Eccl. 5.

occupet delicijs cor eius. Ex quo illud efficitur, quod sequitur. Non obliuiscar sermones tuos. Qui enim obliuiscitur sui, sermonum Dei obliuisci non potest: quia à se tota in eos translata cura memoriam illorum continenter innouat, tum vt in illis oblectetur, tum vt illorum obseruatio, & exercitium nunquam intermittatur. O beatam obliuionem, qua quisque se ipsum à proprijs oculis auertit, & te Deum suum toto corde & recordatur, & amplectitur. Ibi enim perpetua memoria perpetuam etiam suauitatem, & oblectationem parit. Tum enim (inquit S. Paulinus) cum defecerit cor meum, & caro mea, id est, actus voluntatis, & fructus carnis meæ; tum iam, vt à corporeis nexibus liber, & à meo corde purgatus, dicere audeam, Deus cordis mei, & pars mea Deus in sæcula.

Qui obliuiscitur sui non potest Dei obliuisci.

Epist. 8. ad Sem.

ג Ghimel, id est, Plenitudo.

Octonarius Tertius.

17 REtribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.

18 Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.

19 In

19 Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.
20 Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.
21 Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.
22 Aufer à me opprobrium, & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.
23 Etenim sederunt principes, & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.
24 Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

17 Retribue seruo tuo, viuifica me: & custodiam sermones tuos.

VOx Hebræa significat simpliciter tribuere. Qua voce paupertas nostra, & bonitatis diuinæ largitas indicatur. Quia nouis donis, atque auxilijs perpetuò indigemus; quæ nobis à diuina bonitate

Retribue significat Primo paupertatem nostram.

copiosè tribuenda non diffidimus, & sine cessatione petimus. Nam si in rebus corporalibus (quoniam anima plus est, quam esca, & corpus plus quam vestimentum, quæ tamen ipsa ab ipsomet accepimus) ita largiter prouidet, vt volatilia cæli, & lilia agri in exemplum prouidentiæ nobis proponat: idque inde confirmet, quod sciat Pater noster, quia his omnibus indigemus (Scire autem in Patre, & Patre indulgentissimo, atque potentissimo subsidium necessario infert) quanto igitur magis in spiritualibus, cuiusmodi sunt, quæ Dauid petit, audaces nos; &, vt ita dicam, petaces esse conuenit? cum dictum sit. Et ego dico vobis, petite, & dabitur vobis? Sed is rectè, & fidenter petere audet, qui vicissim sermones Dei custodire conatur.

Luc. 12. *Matt.* 6. *Luc.* 11.

Secundò, necessitatem continuę beneficētiæ.

Secundò, potest intelligi Retribuere quasi iterum, iterumque tribuere: quomodo S. Bernardus de Deo, Tanta, inquit, tribuit, & rertribuit. Atque hoc modo significabit continuationem quandam donationis, & veluti perpetuum quendam, ac perennem donorum fluxum.

Tertiò vt ne Deus bona pro malis nostris &c. *Rom.* 11.

Vel Tertiò, si accipiamus propriè retribuere pro reddere, ac vicissim tribuere, meminisse oportet illud Apostoli, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nemo quippe potest quicquam prior Deo tribuere, cum illud ipsum, quod ei libentes offe-

offerimus, donum illius sit. Sed eo vsque diuina bonitas sua misericordia iudicium superat, vt etiam bona pro malis retribuat: & quibus pœnas, ac flagella pro meritis retribuere debebat, ijs dona retribuat: quin etiam pœna ipsa in misericordiam recidat. Sic enim Deum (inquit Nazianzenus) supplicia inferre existimo. Vel certè bonis etiam, quæ ex illius gratia fiunt, bona retribuit, vt obseruantibus mandata ipsius vberiora largiatur, & sua ipse dona remuneret. Retribuit enim, vt ait S. Augustinus, bona nostra merita præueniens manibus suis, quibus nos fecit; & mala merita delens, cauet ne manibus nostris retribuat, quibus ab eo defecimus.

Orat. 2. in Paschæ.

Conf. l. 13. c. 1.

Viuifica me, vel viuam. Hoc si de resurrectione, qua de morte transferimur in vitam, accipiamus, intelligendum est de homine qui de peccato ad gratiam postulet suscitari. Sed quod magis credo, id Propheta ex persona sua, & iustorum intelligit, vt de augmento vitæ, & spiritus intelligatur. Viuificatur enim, qui ad maiores vitæ gradus promouetur. Quemadmodum corpus, quod aliunde recipit lumen, etiã tum cum recipit, meritò petat, Illumina me: non quod inchoanda sit illuminatio, sed continuanda; cum origo, & conseruatio eius ab illuminãte depẽdeat. Atq; adeo perinde erit, ac si precetur Psal-

Viuifica me, augmentum vitæ petit.

misſa, Perge Domine, perge vſque emittere radios tuos, & de claritate in claritatem ad maiorem ſemper me lucem reforma. Inde enim fiet, vt cuſtodiã ſermones tuos, quos omnino præ mea mortalitatis corruptione niſi perpetuò vitale à te robur accipiam, & viuificer, ſeruare non valeo.

18 Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Petit remoueri paſſiones.

VTrum rogat, vt velum propriè auferatur, id eſt, impedimenta remoueantur, quæ oculos contegunt, vt videre non poſſint, cuiuſmodi paſſiones ſunt, ira, triſtitia, deſiderium, lætitia, & huiuſmodi, de quibus eſt dictum? Quamquam hæc, vt verum fateamur, excœcant potius, quam velant: neque in promptu eſt velum huiuſmodi remouere cum volumus. An id

Et lumen augeri.

petit, vt augmento maioris lucis, acieque excitatiore, ac purgatioribus oculis aſſiduè donetur: vt viſus, ac viſio ipſa robuſtior, & acutior fiat, & interiora penetret; de quibus ſubdit, Conſiderabo mirabilia de lege tua?

Mirabilia porrò quam multa de lege, & ex lege ipſa mundis oculis conſideranda offeruntur! De lege quidem, rectitudo eius, ſanctitas, illuſtratio, delectabilitas, præmia, & eiuſmodi alia innumera. Ex lege verò, quæ per illius notitiam patent, & con-

contemplatione contingimus, cum scilicet, quæ Deus cum sanctis suis per singulas generationes egerit, mente purissima perlustramus: cum potentiam ipsius, qua vniuersa gubernat, moderatur, ac regit: cum immensitatem scientiæ eius; & oculum, quem secreta cordium latere non possunt, trementi corde miramur: cum arenam maris, vndarumque numerum dimensum ei, cognitumque pauidi cogitamus: cum pluuiarum guttas, cum seculorum dies, & horas, cum præterita, futura ve vniuersa obstupescentes scientiæ eius assistere contemplamur: cum ineffabilem clementiam eius consideramus, qua innumera flagitia, quæ singulis quibusque momentis sub ipsius committuntur aspectu, indefessa longanimitate sustentat: cum intuemur vocationem, quia nos nullis præcedentibus meritis, gratia suæ miserationis adsciuit: cum denique quot occasiones salutis tribuit adoptandis cum quodam admirationis intuemur excessu. An non mirabilia sunt hæc, & alia id genus, & omni modo stupenda; vt meritò instanter petere debeamus, Reuela oculos meos, & cõsiderabo mirabilia de lege tua?

Quæ materia contemplationis. *Cassi. col. 1. c. 15.*

19 Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.

VOx ר idem significat, quod peregrinus: ideoque meritò petit de via regni. Omnes sumus pe-

doceri. Via enim mandata sunt, per quam in Patriam tendimus. Felix homo, qui peregrinum se, & aduenam in hac terra, non ciuem agnoscit. Peregrinos quippe se omnes Patres, & Sancti agnouerunt super terram. Vnde Iacob, Dies peregrinationis meæ, inquit, centum triginta annorum sunt, parui, & mali: & non peruenerunt vsque ad dies Patrum meorum, quibus peregrinati sunt. Et Iob. Diuidit torrens à populo peregrinante. Et Psalmographus. Aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes Patres mei. Qui & alibi conqueritur. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est. Et Apostolus, Quamdiu sumus, inquit, in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Quod si Patres eius meminissent patriæ, vnde discesserãt, habebant vtique tempus reuertendi: sed meliorem appetebant, id est, cælestem: propter quam Sancti omnes cum Apostolo magis cupiunt peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum. Beata peregrinatio à corpore, siue cum mente excedimus Deo, & conuersatio nostra in cælis est, dum adhuc in carne viuentes, non secundum carnem militamus: siue cum deposita corporeæ sarcina molis perfectè à corpore peregrinamur. Qua felici peregrinatione peregrinationi finis imponitur, præsentiæ Dei fit initium.

Gen. 47.
Iob. 28.
Psal. 38. & 119.
2. Cor. 5.
S. Aug. hoc loco.
Phil. 3.
2. Cor. 10.

Sed non est peregrinationis huius consi-

deratio

deratio leuiter percurrenda. Habet enim huius vitæ peregrinatio corporalis interdum commoda, quæ peregrinatio Sanctorum ignorat. Contingit enim sæpe peregrinantibus, vt ad meliores vrbes, inclytasque magis, & opulentas accedant, quam sit Patria, quam reliquerunt. At patriæ nostræ, ad quam suspiramus, quę par? quæ similis ciuitas esse possit? Deinde inueniunt frequenter hi peregrini viæ comites ditiores, & humaniores, quam in sua patria nancisci potuissent. Ad hæc cõtingit interdum in via fontes, arbores, & amœnitates inuenire, in quibus fessi tantisper recreentur, & ad reliquum itineris vires instaurent. At hic, si quæ huiusmodi amœnitates occurrant, omnino impediunt ab itinere; nec reficiunt vires, sed potius languefaciunt, & debilitant: vt quod reliquum est itineris, tardius, & languidius prosequamur. Tum viæ saltem regię munitæ sunt, & ab insidiatoribus liberæ. At hic nulla in se tuta, nulla non infesta, latrunculis obsidentibus, & insidiantibus, & hominibus, & Angelis deserroribus. Idque ad cumulum miseriarum accedit; vt, si vel innumeri sint Viatores, nemo alium possit defendere. Illi præterea in singulis hospitiis, ad quæ diuertunt, refectionem, & quietem paratam inueniunt. Hic nihil eiusmodi, nisi aliundè aduehatur, suppeditat. Tandem si quid contigerit peccare,

Incõmoda huius peregrinationis.

1. Reg 30.

vt assolet, diuersa loca mutantes, & ex vnius ditione Principis, in ditionem alterius migrantes, impunes interdum esse possunt. At hic, Princeps, & Rex, vbicunque tandem fueris, vnus est: vt, siue ascendas in cælum, siue descendas in infernum, siue auroræ pennas assumas, siue habites in extremis maris, semper in manu illius sis. Vides ergo quam longè infelicior hæc peregrinatio sit animorum, quam illa sit corporum. Sed amplectenda summopere est tua misericordia Deus, qui etiam hanc peregrinationem tuis auxilijs, & mille delicijs non destituis.

Psal. 138.

Commoda eiusdē peregrinationis

Primò via recta.

Primùm enim via recta est, & trita: vt nec stulti errent per eam, nisi qui volentes ab ea recedunt; vltroque se quæstionibus infinitis, & doloribus, & angoribus miscent.

Isa. 35.
Eccl 7.

Secundò, Rex difficultates complanat.

Secundò, difficultates itineris, montium, vallium, fluminum, spinarum, & ceteræ, à te Rege clementissimo complanantur. Erunt enim, inquit, prauа in directa, & aspera in vias planas, ita vt & flumina ante pedes peregrinorum exsiccentur, & mare aperiatur iter præbens populo terræ.

Isai. 40.
Luc. 3.
Iosue 3.
Gen. 14.

Tertiò, Ex patria cibus affertur.

Tertiò, ex ipsa Ciuitate, & Patria peregrinantibus affertur perpetuò cibus, vt etiam in lacu Leonum degenti capillo capitis Prophetam cum cibo Angelus apportet. Quis explicet horum ciborum delicias?

Dan. 14.

dias? Quis salubritatem? Quis nutrimento, viresque satis cogitatione comprehendat? Cuncta dixit, qui dixit: A patria perferri.

Quartò, custodes adsunt.

Adsunt semper à te missi custodes, qui peregrinantes perpetuò in omnibus vijs tueantur, & seruent: & non solùm ne ad lapides offendant diligenter caueant, sed etiam in manibus portent. Neque hoc tantum, sed etiam blandè comitentur, dulcissimis alloquijs recreent, imò & canticis oblectent: quibus cum liceat etiam in terra aliena, & super flumina Babylonis cantare Canticum Domini. Neque enim verendum est, ne illud ingeratur. Quomodo cantabitis Canticum Domini in terra aliena? Cantant enim nobis Canticum Moysi serui Dei, & Canticum Agni: & narrant de pulchritudine patriæ, de splendore, & lumine, de chrystallini fluminis impetu, de ligno vitæ, de ciborum dulcedine, & affluentia, ita vt omne tædium depellant.

Psal. 90.

Psal. 136.

Apoc. 15.

Quintò, Vmbracula ab iniurijs tempestatum.

Quintò, neque pluuiarum, imbriumq; iniurias fideles hi peregrini tui Domine pertimescunt. Quippe sub vmbra alarum tuarum positos, neque per diem sol vret illos, neque luna per noctem. Tu ipse factus es eis vmbraculum ab æstu, & spes à turbine, ita vt incedentes laudent nomen sanctum tuum, & super omnem gloriam protectioni tuæ subsint.

Psal. 120.

Isai 4.

Sextò,

Sextò, sēper licet progredi.

Sextò, præterea peregrinationis istius visibilis peregrini dum quiescunt, dormiunt, aut ægrotant, non promouent, nec ad destinatum locum propinquant. At in peregrinatione Sanctorum, quia affectibus ambulant, & desiderijs currunt, etiam quiescentes, dormientes, decumbentes iter faciunt, eoque velocius, quod ad patriam non ad alias orbis partes rectissimè tendunt.

Septimò, ipse Dominus præit. *Luc. 24.*

Septimò tandem, ipse præis itineris dux idem, & comes: & quanquam, vt olim peregrinantibus in Emmaus, ignotus interdum adderis comes, oculis tamen fidei, qui non tenentur ne te agnoscant manifestus es: nec solum Scripturas referans, sed panem frangens agnosceris, diligeris, & teneris. Quid autem mirum si itinerantibus te comitem adiungis dulcissimè IESV? qui etiam pueris in camino ignis cōstitutis quartus addi voluisti? Et quartus, *Dan. 3.* inquit, erat similis filio Dei. Quare & fornacis flammas in ventum roris flantem mirabili conuersione mutasti, vt, qui igne cremādi venerāt, illæsi laudatores tui permanerent. Petit autem hic peregrinus non abscondi à se mandata, id est, ne quid vnquam tale committat, vnde mereatur efficaci mandatorum cognitione priuari, vti supra rogauerat, ne à mandatis repelleretur. Vel petit non abscondi, id est, perseueranter manifestari, vt sæpius explicatum

catum est, quo maiori lumine plura cognoscat.

20 Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.

MIrum sanè est, cum sint in anima concupiscentia, & desiderium, quomodo concupiscat desiderare, id est, id desideret, quod iam habet. Quippe desiderium propriè rei absentis est, sicuti gaudium, delectatio, & fruitio rei præsentis sunt: amor autem & absentis, & præsentis. Quomodo cupiat anima desiderare.

An concupiscentia quædam (vt ait S. Augustinus) à desiderio differt, & esse potest etiam rerum, quæ habentur: dum homo quemadmodum diligit dilectionem suam, ita concupiscit desiderium, id est, amat se desiderare, suoque desiderio delectatur, & fruitur? Prima expositio. S. Aug. hoc loco.

An Iustificationes Dei, vt ait idem Sanctus etiam quando sciuntur, & non fiunt, absentes habendæ sunt: Sæpe enim quid agendum sit, videmus, nec agimus: quia non delectat vt agamus: & concupimus, vt delectet. Præuolat intellectus, & tardè sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atque infirmus affectus. Ideò ergo desiderare concupiscebat, quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem. Secunda.

tionem quorum potuit videre rationem. Hæc ille.

Tertia. An aliud nihil significeatur geminatione hac, Concupiscit anima mea desiderare, quam vehementia desiderij, vt eo loco, **Luc. 22.** Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, & alijs similibus?

Quarta. Sed fortè expeditius, aptiusque dicemus huius concupiscentiæ finem, & obiectum non esse desiderare simpliciter, sed desiderare omni tempore, quod sanè nondum obtinuerat: memor autem infirmitatis humanæ; atq; solicitus, ne quando desiderium refrigescat, desiderare concupiscit omni tempore, in prosperis, in aduersis, sine intermissione vlla: vt nullum momẽtum (inquit Ambrosius) bonæ prætereat vacuum cupiditatis.

Quinta. Videtur tamen adhuc facilior intellectus, & dulcior, si eo modo intelligamus, quo aliquid dicimur quærere etiam inuẽtum; cum desiderio, amoriq; nostro minimè potest satisfieri, nisi magis, & magis requirat, quod amplius, & amplius inueniri potest. Non enim sine causa de Domino dictum est. **Psal. 104.** Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper. **Psal. 26.** Et item. Tibi dixit cor meum, Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quid enim est, quærite, & confirmamini, nisi constanter, & sine fatigatione amplius, & amplius quærite? De hac quæ-

sitio-

fitione sic dulcissimè S. Bernardus. Magnũ donum quærere Deum. Ego hoc nulli in bonis animę secundum existimo Primum in donis, vltimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit? Cui præcedat, quæ omniũ magis consummatio est? Quæ enim virtus adscribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quęrenti Deum? Quærite, inquit, faciẽ eius semper. Existimo, quia nec cũ inuentus fuerit, cessabitur à quærendo. Non pedum passibus, sed desiderijs quæritur Deus. Et vtique non extundit desiderium sanctum felix inuentio, sed extendit. Nunquid consummatio gaudij, desiderij consumptio est? oleum magis est illi. nam ipsum flamma. Sic est. Adimplebitur lætitia, sed desiderij non erit finis, ac per hoc nec quærendi. Hactenus Bernardus. Ergo in modo perfectiori res tota est. Nam & Moysi dicitur Deus locutus facie ad faciem, sicut solet amicus cum amico: & tamen idem dicebat. Si inueni gratiam in oculis tuis, ostende mihi faciem tuam. Et videbat ergo, & videre desiderabat: sed alius est ille modus videndi, quem cupiebat, de quo & audiuit. Non videbit me homo, & viuet. Ita & hic, & concupiscit desiderare, & habet desiderium, sed alio modo habet, alio modo habere desiderat. Neque huic concupiscentiæ, aut desiderio modus ponendus est,

Serm. 84. in Cant. initio.

Exod. 33.

est, donec de claritate in claritatem progressi, tandem in æternum diem introeamus, & toti absorbeamur à luce.

21. Increpasti superbos; maledicti, qui declinant à mandatis tuis.

Increpatio Dei terribilis. *Psal. 9. & 105.* *Nah. 1.*

DVra vox increpasti. Nam idem Propheta, Increpasti, inquit, gentes, & periit impius. Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est. Et Naum Increpans, inquit, mare, & exsiccans illud, & omnia flumina in desertum adducens. Vide quid faciat Dei increpatio. Quanquam verbum Hebræum significat etiam disperdere, & corrumpere. Sed durum nimis, quod sequitur, Maledicti, qui declinant à mandatis tuis. Verbum planè asperum maledictio. Vnde Ieremias ex persona Domini. Dabo, inquit, eos in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus. Et Isaias, Maledictionem Domini deuorasse terram asserit. Denique si maledictio matris (vt est in Ecclesiastico) fundamenta domus eradicat, quid faciat maledictio Dei? Ergo & increpatio, & maledictio super superbos, qui declinant à mandatis Dei. Superbi enim sunt, qui sese Deo autori non humiliter subdunt. Superbos autem meritò increpat, & maledicit Dominus, quos, & odisse pronuntiatur, ijsque quod

Item maledictio. *Ier. 29.* *Isai. 24.* *Eccl. 3.*

quod tremendum est, omnino resistere. *Iac. 4.*

Meritò hæc inquam. Primùm ob iniustitiam. Quid enim iniustius, quam illi per contumaciam non subdi, & humiliter obedire, cui omnia seruiunt; à quo non solum factus sis, sed in quo viuis, & moueris, & es? *Act. 17.* Quam graue peccatum superbia.

Secundò ob fœditatem, quia à regula rectitudinis discedentes fœdissimi fiunt: quod videre facilè est in Angelo, qui à tanta pulchritudine in deformitatem tantam per superbiam corruit. *Apoc. 12.*

Tertiò ob ingratitudinem, quia cum ab eo, quod sunt, quod viuunt, quod spirant, acceperint, illi grati animi vices tam malè rependunt, vt dicant. Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Et item. Quis est Dominus, vt seruiamus ei? *Psal. 11.*

Quartò ob errorem intolerabilem, & mendacium, quod primæ veritati summè displicet, quia mentiuntur, & decipiunt semetipsos, putantes se aliquid esse cum nihil sint. Et tamen in diuite, & potente, vt ait S. Bernardus, tolerabilior est superbia, quia cognata potentibus esse cognoscitur. Quid de me exigendum (ait iste Pater) & misero, & superbo? Cogitentur exempla cum insigni tremore, & primi Angeli, & primi parentis nostri; vnde, & quo exciderint. Nec verò duntaxat maledicti superbi, *Galat. 6.* *S. Bern. ser. 54. in Cant.*

qui

qui per elationem subijci Deo recusant: sed quicunque declinant, & exerrant à mandatis diuinis maledicti: qui etiam omnes quatenus nolunt obtemperare, & quidlibet aliud mandatis Dei præponunt, contumaces sunt, & superbi.

22 Aufer à me opprobrium, & contemptum, quia testimonia tua exquisiui.

AVfer hebraicè, Depone, quod habet emphasim, quasi opprobrium, & contemptum sicut vestimentum induisset. Quod sequitur, S. Augustinus ex persona Martyrum accipit, vt explicetur, rationem, & causam opprobrij, atque contemptus, fuisse confessionem fidei, & testimonia Dei. Quod & verissimum est, & congruit cum sequentibus. Etenim sederunt Principes, &c. quia Tyranni, & Principes huius seculi eos propterea persecuti sunt. Sed si, Testimonia tua exquisiui, accipiamus non vt causam opprobrij, sed petitionis, & fiduciæ impetrandi, erit sensus, idcircò se meritò liberationem ab opprobrio postulare, quia testimonia exquisiuit, Hebraicè, custodiuit. Quod in idem recidit. Nam exquirendo custodiebat, & custodiendo exquirebat. Sed parum est Sanctis esse opprobrio, & contemptui hominibus, quod & beatitudinem putant,

Opprobrium hominum Sanctis optabile.

putant, iuxta Domini pronuntiatum. Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines, &c. Et Apoſtoli ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et Beatus Petrus. Si exprobramini, inquit, in nomine Chriſti beati eritis. Neque id opprobrium putat: ſed ſubdit. Quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcit. Et, Si, vt chriſtianus quis patitur, glorificet Deum in iſto nomine.

Matth. 5. Act. 5.

1. Pet. 4.

Sed eſt aliud opprobrium, quod à primo Parente induimus longè magis inuiſum Sanctis, & cuius reliquias aſſiduè in ſe gemunt. Caue (inquit S. Ambroſius) ne Chriſto opprobrio ſis: id eſt, ne tu chriſtianus cum ſis, vitæ tuæ fœditate videaris eſſe dedecori Duci tuo. Nec te ille dignum opprobrio ducat. Nolo, inquit, mihi quicunque maledicat, & quaſi peccatorem deſpiciat: quam graue, ſi Chriſtus dignum opprobrio ducat! Nos ergo agamus, vt à nobis auferatur opprobrium. Quis autem eſt, qui non eſt opprobrio dignus? qui exquiſiuit Dei teſtimonia, ſiaque concupiſcentias pati, vnde frequenter diſpliceat Deo, opprobrium Adami ſuſtinere, imaginem conditoris fœdaſſe: &, cum in tanto honore eſſet, compa-ratum eſſe iumentis inſipientibus, & ſimilem illis factum, hoc eſt, quod vir Dei vehemen-

Sed opprobrium corruptelæ humanę, & peccatorum fugiunt.

Pſal 48.

hementer ingemiſci: hoc paulatim exuere opprobrium per obſeruationem mandatorum, & reformationem regiæ illius imaginis perpetuò ſatagit. Quid enim nobili animiq; magni viro durius, quam opprobrio fieri, & contemptui? Sed quantum opprobrium, vt ad imaginem Dei factus commutarit in ignominiam gloriam ſuã? O humilitatem maximam, ô fœditatem inexcogitabilem! Vnde, quo recidimus?

Ser. 10. in Pſ. 118. Vide quę S. Ambroſius de præſtantia hominis magnificè diſſerit, dum explicat verſiculum. Manus tuæ fecerunt me. Vbi inter cetera, cum ſecundùm lectionem Septuaginta Interpretum attuliſſet locum ex Prouerbijs. Grande homo, & pretioſum

Prou. 10. vir miſericors. Diſce, inquit, homo vbi grandis, & pretioſus ſis. Vilem te terra demonſtrat, ſed glorioſum virtus facit, fides rarum, imago pretioſum. An quicquam tam pretioſum, quam imago Dei. Et mox. Magnum ergo opus Dei es homo: magnum eſt, quod dedit tibi Deus. Vide, ne quod Deus tribuit, amittas. Id itaque eſt, quod deflet vir iuſtus, amiſiſſe, quod tribuerat Deus. Deflet degenerem exprauaricatore Patre conditionem, deflet opprobrium, deflet ſuſtinuiſſe contemptum, quo Deo, & Angelis eius veluti ſcoria inutilis, & immunda reputetur; niſi vigore gratiæ, obſeruatione mandatorum Dei, & aſſidua illius operatione ireum fic-

frequentissimè inspiretur in faciem eius spiraculum vitæ: & reformetur non iam in ânimam viuentem, sed in spiritum vi- uificantem: vt conditionem nobilitatis suæ, ad imaginem Dei reformatus, valeat retinere. Nam, vt ait S. Leo. Si fideliter atque sapienter creationis nostræ intelli- gamus exordium, inueniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, vt imi- tator sui esset autoris; & hanc esse natura- lem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuinæ benigni- tatis forma resplendeat. Ad quam quo- tidie nos vtique reparat gratia Saluatoris; dum, quod cecidit in Adam primo, eri- gitur in secundo. Atque ideo Sanctis quo- tidie adlaborandum est, vt exuentes ve- terem hominem, nouum induant; & eius qui de cælo est, formam diligentissimis, viuisque lineamentis repræsentent. Tunc opprobrium à nobis, & contemptus au- ferentur, si dignitatem nostram, Dei si- militudinem quotidiè speculantes; id est, speculo repræsentantes, coram Deo, & Angelis eius intus, vbi ipse solus videt, facimus reformati: ipsamque imagi- nem nitidam, atque expressam portaue- rimus, quam initio acceptam, maleque custoditam tetra fœditate turpauimus.

Nobilitas hominis ex imagine Dei. *Gen. 2.*

Ser. 1. de ieiu. dec. mensis.

Ephes. 4.

23 Etenim sederunt Principes, & adversum me loquebantur: servus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.

Tyranni, & Dæmones contra iustos.

SI accipiamus Principes, & Reges huius seculi, certum est eos de solio potestatis contra Martyres Christi exarsisse, qui tamen à iustificationibus Dei, & confessione fidei nunquam recessere. Sed & illud dubium non est, homines iustos, & seruituti Dei subditos persecutionem ab amatoribus seculi quotidiè perpeti eo maiorem, quò ij, qui eos persequuntur, sublimius sedent. Sed longè periculosius, subtilius, & frequentius seruos Dei insectantur Principes tenebrarum, quos Apostolus principes, & potestates, rectores mundi, & Deũ huius seculi appellat. De quibus conqueritur Psalmista, cum Domino dicit. Conculcauerunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes aduersum me ab altitudine. Sic enim Hebræi connectunt. Contra hos ergo Principes, qui dicuntur sedere, siue ob altitudinem naturæ, & potestatis, siue vt consultent contra nos tanquam in concilio iniquitatis, siue vt sedeant insidiantes, sicut scriptum est. Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Cõtra hos, inquam, perpetuò nobis ad Dominum clamandũ est, Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus

Eph. 6.
2. Cor. 4.
Psal. 55.
Psal. 10.

uersus tales Principes, quos nec videre, nec cauere, nec sustinere possimus, nisi perpetuò diuinæ misericordiæ & lumine fulciamur, & viribus.

Quod autem sequitur. Seruus autem tuus exercebatur, siue meditabatur in iustificationibus tuis, vel potest sonare Sanctorum constantiam, & fortitudinẽ, qui in omnibus his impugnationibus non permittant se subjici: vel certè ratio affertur, quare protectionem Dei cõtra ejusce modi impugnationes fidenter petit. Quia nimirum exercetur in iustificationibus Dei, à quibus nullo modò se sinat abduci. Significatur & illud, tum maximè tempus esse diuina eloquia recolendi, cum oppugnationes siue à Dæmonibus, siue ab hominibus inferuntur. Quod autem pulchrius certamen, gratiusque spectaculum cœlestium oculis, quam inde molliter sedens in pestilentiæ cathedra persecutor, hinc Dei seruus in Dei iustificationibus duriter se exercens? Inde impius obtrectans, & maledicens Iusto, hinc Deo, atque etiam obtrectatori suo benedicens Iustus?

In persecutionibus maximè meditanda Dei lex.

24 Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

HEBRAEIS significantius, Testimonia tua deliciæ meæ, viri consilij mei. Duas ostendit vtilitates ex assidua

Meditatio legis diuinę deliciæ lutum sto.

tum meditatione, tum exercitatione testimoniorum Dei, Delicias scilicet, & Consilium. Quippe nutriunt, & oblectãt, vt sunt verè cibus animæ: & illuminant, atque prudentes faciunt: contraque præcipitationem vbique nos, & in singulis rebus rectissimo consilio, quod egregium Dei munus est, regunt, atque communiunt. Felices animæ, quæ ibi pascuntur. Super aquam refectionis, inquit, educauit
Psal. 22. me. Et Ezechiel. In pascuis vberrimis pa-
Ezech. 34. scam eas, & in montibus excelsis Israel erũt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur. De hac pinguedine deliciarum, & cælesti nutrimento sic præcinit Isaias futurum in
Isai. 30. aduentu Domini. In die illo pascetur in possessione tua agnus spatiosè. Agni videlicet innocentes, & qui pastorem sequuntur, alienorum autem vocem non audiũt. Hi pascentur spatiosè, id est, latissimè in Scripturis, & mandatis Dei. Et tauri tui (id est, fortes, & robusti quique) & pulli asinorum (id est, rudes alioqui, & natura tardiores. O liberalitatem, & condescensionem) qui operantur terram (id est, excolunt corpus suum, & laboribus tarditatem ingenij compensant: proque bona voluntate, quamuis destituantur ingenio,
Ioan. 10. saturantur) commistum migma comedẽt, & saturabuntur, vt laudent Dominum requirentes eum. Et siue ingrediãtur ad ubtiliora,

tiliora, & mystica penetranda; siue ad faciliora, & moralia egrediantur felicissimè pascua inuenient. Quis explicet sanctas, castasque delicias, quas Sancti experiuntur, cum verba Dei masticant, ruminant, gustant, glutiunt, saginantur? Et iusti, inquit, epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. *Psal. 57.*

Mandata Dei consiliarij sunt iusto.

Altera vtilitas ex meditatione mandatorum est, vt sint ipsa consilium, hoc est consiliarij. Hoc enim significat. Viri consilij. Cum his agit seruus Dei, cum his colloquia miscet, cum his communicat, quæ agenda, quæque cauenda sint. O cõsilium lucidissimum, ô consiliarios sapientissimos, & integerrimos puerilitati nostræ, præcipitationique singulari pietate donatos. Certè non alia re magis, quam consilio indigemus. Nam in singulis momentis errare possumus. Væ tibi terra, inquit, cuius Rex puer est. Ecce animus noster, cuius regere est, & puer est. Non sunt autem hi consiliarij qui, vt stulti Principes Taneos, & Mempheos, dent consilium insipiens. Principes sunt à sapientia constituit. Cauè, ne sine consilio horum quicquam aggrediaris. Quod quam necesse sit, inde vel maximè patet, quod sub virtutũ imagine interdum vitia delitescunt. Aliquando enim quasi pium quid hostis insidians simulat, vt ad crudelitatis terminum deducat. Sicut est cum plecti per disciplinam *Eccl. 10.* *Isai 19.*

Vitia aliquando sub imagine virtutis. *S. Greg. &*

mor. cap. vlt. nam culpam prohibet quatenus quæ hic non reprimitur, igne gehennæ feriatur. Aliquando discretionis imaginem oculis obijcit, vt ad indiscretionis laqueos perducat. Sicut est, cum impulsu eius, pro infirmitate nobis plus alimentorum, quasi discretè concedimus, sed indiscretè contra nos bella carnis excitamus. Aliquando affectum simulat bonorum operum, sed per hunc inquietudinem irrogat laborum. Sicut est, cum quiescere non valet, & quasi de otio iudicari timet. Aliquando imaginem humilitatis ostendit, vt effectum vtilitatis subtrahat. Sicut est cum quosdam pluspuam sunt, infirmos, atque inutiles sibimetipsis asserit; vt, dum se nimis indignos considerant, res, in quibus prodesse proximis poterant, ministrare pertimescant. Sic pulchrè S. Gregorius.

Præuidēdæ difficultates. *Eccl.* 32. Sed debet vir prudens non solum cum consilio facere omnia, ne eum pœniteat, sed etiam longè prospicere suborientium difficultatum occursus, & incursus. Vnde sub typo acris equi de sancto viro legitur. *Iob* 39. Procul odoratur bellum, exhortationem Ducum, & vlulatum exercitus. Bellum quippè procul odorari (inquit S. Gregor. *Lib.* 31. *c.* 16. *in Iob.* est aduersa quæque longè adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improuisa superare.] Quod non de aduersitatibus tantum, & persecutionibus sentiendum, sed multò magis de imminentibus.

bus tentationibus, & antiqui hostis occultissimis insidijs : quæ longè præuidenda sunt, vt arma opportunè corripiamus. Et tentationes.

Quam ob causam in laudibus Sponsæ dicitur in cantico epithalamij. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Per nasum autem, vt ait S. Dionysius Areopagita, acuta discernendi vis in spiritualibus significatur. Quæ per turrim Libani intelligitur, tum propter fortitudinem, & rectitudinem, tum propter candorem, quod Libanus significat, & exactam sinceritatem. Respicere autem dicitur cõtra Damascum, quia contra hostem, qui meritò similitudo incendij (hoc est enim Damascus) vocatur, ad speculationem, & tutelam erecta est. Nec à proposito dissidet, quod oculi Sponsæ, quia acutè prospiciunt, sicut columbæ dicuntur, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima. Nam in eiusce modi fluentis nõ solum sitim extinguunt, sed etiam venientem accipitrem in aqua limpidissima, vt caueant, intuentur. Quæ curæ assiduitas, cum & necessaria, & molestissima sit (inde enim Propheta conqueritur, Quandiu ponam consilia in anima mea? ac si dicat. Quandiu in ea vita versabor, vbi ne ad momentum quidem ob ingentia pericula viuere sine consilio liceat) Meritò Sapiens laudibus huius consilij gloriatur: & plurima, quæ ex eo per sapientiam commoda deriuãtur, enumerat.

Cant. 7.

Cant. 5.

Psal. 12.

Sap. 8. Sapientię diuinę effectus.

Proposui, inquit, hanc adducere mihi ad conuiuendum, sciens, quoniam mecum communicabit de bonis: & erit allocutio cogitationis, & tædij mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in conspectu potentium admirabilis ero: & facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent. Præterea habebo per hanc immortalitatem. Vides quam necessarium, & vtile sit cōsilium, quam præclari consiliarij, quam diuina res sapientia? Meritò itaque Dauid testimonia Dei in delicias suas, & eiusdem iustificationes in consiliarios suos assumit.

ד Daleth, id est, Tabularum, seu Librorum.

Octonarius Quartus.

25 ADhæsit pauimento anima mea: viuifica me secūdum verbum tuum.

26 Vias meas enunciaui: & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

27 Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.

28 Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.

29 Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.

30 Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.

31 Adhæsi testimonijs tuis Domine: noli me confundere.

32 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

25 Adhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundum verbum tuum.

QVam misera huius vitæ conditio, vt pauimento, vel pulueri adhærere cogamur! Sunt qui per hoc intelligant virtutem humilitatis, ex qua humiliatus meritò petat viuificari. Alij summum periculum, & miseriam, de qua erui postulet. Mihi verò longè quid maius & sentire, & conqueri videtur; secundum id, quod alibi conqueritur, cum Dominum excitat dicens. Exurge, quare obdormis Domine, quare facient tuam auertis? & subdit.

Anima pauimẽto id est corpori affixa. *Psal.* 43.

subdit. Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster. Per hanc terram corpus nostrum intelligo, cui affixa nobilissima anima nostra, inde contrahit quicquid difficultatum patitur, & molestiarum. Aclidicat. Vide Domine humilitatem meam, & laborem meum. Feciſti me ſecundùm animam ad imaginem, & ſimilitudinem tuam: nunc verò adhærens huic puluери, & terræ, corpori ſcilicet, quod corrumpitur, & aggrauat animam, gemebundo clamore cogor ad te clamare. Adhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundùm verbum tuum. Quam triſte diſſidium, quæ periculoſa concertatio, caro concupiſcens aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem? Quale pauimentum, qualis adhæſio? Viuifica me: nam ita viuere mors eſt. Et mirum ſanè quomodo iſta duo coniunxeris, ſpiritum, & limum; ſubſtantiam cæleſtem, & terrenam; vt iure optimo exclamare cum B. Bernardo liceat. O humilitas! ô ſublimitas! & tabernaculum Cedar, & ſanctuarium Dei, & terrenum habitaculum, & cæleſte Palatium; & domus lutea, & aula regia: & corpus mortis, & templum lucis: & deſpectio denique ſuperbis, & Sponſa Chriſto. Profectò mirabilis facta eſt ſcientia hæc ex me. Intolerabilis habitatio hæc ſuper terram, niſi tu reformes me quotidiè ad ſimilitudinem tuam.

Sap. 9.

Galat. 5.

Ser. 27. in fi. in Cant.

tuã. Et sicut corpus, quod corrũpitur, aggrauat animam; & deprimit terrenum hoc pauimentum cæleſtem ſubſtantiam, ita viciſſim igne tuo bono erigente attollamur per ſpiritum, vt ipſa terra quodammodo ſpiritualis fiat. Neque enim magnum eſt tibi omnipotenti, qui potens es facere ſuperabundanter quam petimus, aut intelligimus ſecundùm virtutem, quæ operatur in nobis: & qui dixiſti de tenebris lucẽ ſplendeſcere, non eſt magnum tibi efficere, vt ſpiritu ambulantes, deſideria carnis non perficiamus. Quod vt præſtares, magnum illud miſericordiæ ſacramentum exhibuiſti Chriſte Ieſu redemptor meus, & reformator meus, vt etiam viuificum illum carbonem, corpus videlicet tuum diuinitate ignitum nobis traderes. Vt caro noſtra mortalis, ne ſemper ſit mortalis, à tua viuifica igniatur, & deificetur: nec tacere poſſimus laudes tuas, cum Damaſceno clamantes. O myſterium tremendum, ô œconomiam indicibilem, ô condeſcenſionem incomprehenſibilem, ô viſceralem dilectionem in-inueſtigabilem. Laudent te pro hac miſericordia, & ſuperlaudent omnes Angeli, & Sancti tui. Mihi, quamdiu vixero, cantandum eſt. Miſericordias Domini in æternum cantabo, quouſque tandem reuelata facie ſine ſacramento, & velamine, & videam te puro in lumine, & fruar in plena dulcedine.

Epheſ 3.

Galat. 5.

Euchariſtia remedium terrenæ grauitatis.

Pſal. 88.

3. Cor. 3.

26 Vias meas enuntiaui, & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.

Enuntiamus vias nostras Deo.

IN hac via, per quam ambulo frequenter erro, deuio, retrogredior, titubo, hæreo, impingo. Quid reliquum ergo est, nisi vt necessariò vias meas enuntiem tibi? Enuntio autem discussione, manifestatione, directionis petitione. Nam primum in lumine tuo viæ meæ arguendæ sunt, vt spem salutis concipere possim, iuxta quod scriptum est. Veruntamen vias meas coram eo arguam, & ipse erit Saluator meus. Sunt enim hæ viæ, id est, omnes actiones meæ explorandæ, vocandæ in iudicium coram Deo: coram mandatorum eius consilio sistendæ: tum per singulas noctes perfundenda conscientia lacrymis.

Primò examine conscientiæ.

Iob 13.

Psal. 6.

Secundò cõfessione.

Deinde manifestatione, id est, confessione: vt illas tibi confitear, mihi ipsi enumerans, & ob oculos ponens. Nam tibi Domine, cuius oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

S. August. Conf. l. 10. *c.* 2.

Psal 31.

Tertiò directionis

Deniq; directionis petitione: ideo dixi, Doce me iustificationes tuas: quas tamen

docere

doceri non peterem, si eas penitus ignorarem: & rursus petendæ non essent, si quantum cupio didicissem. Et exercebar ergo in iustificationibus tuis, & peto tamen, vt eas doceas me. Sed proficientis hæc vox est (inquit S. Augustinus:) Non ergo in quibus exercebatur vult à Domino discere, sed ab illis ad alia proficiendo, veluti crescendo desiderat peruenire. petitione.

Vide autem fructum. Cognitio petitionem, petitio exauditionem, exauditio fructum operata est. Et exaudisti, inquit, me. Quid est exaudisti me? nisi reducendo errantem, deducendo deuium, promouendo retrogredientem, stabiliendo titubantem, impellendo hærentem; & impingentem portando manibus, ne ad lapidem offendat. Quis non libenter enuntiet vias suas Domino, cum ex enuntiatione tam vberes fructus colligantur? Non taceat anima mea labijs, non taceat corde manifestare scienti vias suas. Apud te enim *Psal. 36.* gressus nostri diriguntur. Fructus enuntiationis.

17 Viam iustificationum tuarum instrue me.

SAnctus Ambrosius, pro instrue, legit insinua. Sed siue dicatur insinua, siue instrue, parum est. In Hebræo significantius ad verbum, Fac me intelligere, vel consi-

Petitur efficax instructio.

derare. Multi enim instruuntur, qui tamen nec animaduertunt, nec intelligunt. Tales erant Apostoli, cum instrueret eos Dominus, quam oportebat eum multa pati, & reprobari, & crucifigi: & tamen (inquit Scriptura) erat hoc verbum absconditum ab eis: & non intelligebant, quæ dicebantur. At hic Propheta non petit tantum instrui, sed vt efficiat Dominus, vt consideret, & intelligat. Et sanè mirum est quantopere in hoc toto psalmo petit illuminari, reuelari oculos, instrui, doceri, dirigi, & innumera huiusmodi: quæ toties magno affectu iterat. Nimirum & rei grauitatem ostendit: & ampliora, & perfectiora petit: & simul docet non sufficere semel accepisse, nisi perpetuò eadem dona sua custodiat ipse, qui dedit. Sequitur.

Luc. 18.

Et exercebor in mirabilibus tuis.

QVod dupliciter intelligo superioribus connectendo. Dixerat. Instrue me, vel fac me intelligere, iam ostendit, quid inde consequatur vtilitatis. Fieri enim non potest, vt quis in mirabilibus Dei exerceatur, nisi ea sapienter intelligat: & rursum ostendit animi gratitudinem, quamque diligenter diuino muneri respondeat. Cum enim videret se illuminatum ad ea percipienda, rectè intelligebat.

Gratitudo est benè vti donis.

bat suarum partium esse tantæ misericordiæ ipsa exercitatione respondere. Nam illa Deo acceptissima est gratiarum actio, si benè eius donis vtaris. Nec tamen leuis, aut perfunctoria hæc exercitatio esse debet. Nam vt ille, qui exercet membra sua palæstra (inquit S. Ambrosius) diutius exercet, vt roboret, ita qui exercet mentem suam in Scripturis diuinis, vel in consilijs, diutius exercere debet. Exercetur autem in mirabilibus Dei, intelligendo, meditando, ruminando, admirando, gratias agendo, laudando, perscrutando, respondendo.

Qualis exercitatio in Dei mirabilibus esse debeat.

Sed quæ sint ista mirabilia non vno modo intelligitur. S. Augustinus intelligit ipsas iustificationes ampliores, quas proficiendo cupit apprehendere. Sunt enim quædam Dei iustificatione ita mirabiles, vt humana infirmitas ab eis, qui experti non sunt, ad eas posse peruenire nequaquam credatur. De se certè sic narrat. Ipsumque Ambrosium felicem quendam hominem secundum seculum opinabar, quem sic tantæ Potestates honorarent, cælibatus tamen eius mihi laboriosus videbatur. Quid autem ille spei gereret, & aduersus ipsius excellentiæ tentamenta quid luctaminis haberet, quidve solaminis in aduersis; & occultum os eius, quod erat in corde eius, quam sapida gaudia de pane tuo (Deū alloquitur) ruminaret, nec

Conf. l. 6. c. 3.

Dei mirabilia. Primò, quæ Deus occultè effieit in anima.

con-

conijcere noueram, nec expertus eram. Ita profectò est. Hæc mirabilia, quæ Deus in anima operatur, qui expertus non est, nec conijcere quidem potest.

Secundò, mandata.

Sed possumus intelligere ipsa Dei mandata mirabilia esse, quæ humanus oculus, nisi altè illuminatus non attingit.

Tertiò, magnalia Scripturarum.

Psal. 103. Gen. 1. Psal. 77. Exod. 14. Gen. 16. Psal. 77. Iosue 3. 4. 6. &c.

Si verò accipiamus per legem, & mandata Dei ipsas diuinas scripturas, quæ mysteria tot, ac tanta continent, patet esse admirabilia. Qualia enim sunt, quæ de extensione magnæ huius pellis, id est, cæli loquuntur? de illius luminaribus, de fundata terra super nihilum, de posito mari termino? An non planè mirabilia de mirabilibus, quę fecit in terra AEgypti, in campo Tăneos, in mari rubro, in deserto? Vbi & manna, & coturnices velut arenam maris exhibuit: & percussit petram in eremo, & fluxerunt aquæ, & adaquauit populum velut in abysso multa? An non mirabilia, quæ consequuta in Iordanis recessu, & regressione, in exterminatione gentium, in introductione populi in terram fluentem lacte, & melle? & plurima, quæ longum esset recensere, quibus Scriptura sacra ornata est: in quibus virtutes Dei, & magnalia illius manifestissimè elucent.

Quartò, præcipuè mysteria Redemptionis.

Sed si ea, quæ magnis hisce mirabilibus significata sunt diligentius euoluamus, & sanctè (vt dignum est) reuereamur, apparebit statim, quam longè illa mirabiliora sint.

sint. Nam si per exitum ex Aegypto non vnius populi à seruitute Pharaonis, sed totius mundi à captiuitate Diaboli liberationem decantemus: si liberationem ab exterminatore Angelo, non agni materialis sanguine, sed immaculati, & incontaminati Agni Christi, Dei filij intelligamus: si maris rubri diuisionem, & transitum non tam in eleuata virga Mosis, quam in erecta triumphali Cruce sentiamus: si denique omnia ad spiritum transferentes in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis transeamus: vbi multa mirabilia in tabernaculo eius, id est, in Ecclesia, & Fidelibus eius cernere est, tum in virtutibus, tum in donis; quæ omnia magnalia ipsius sunt: nonne tantò mirabiliora, quantò lux nocte est clarior, cælum sublimius terra, corpus vmbra solidiùs? *Psal.* 41.

Sed quod dicit, Exercebor, Septuaginta fermè ἀδολεσχήσω transtulerunt, de quo satis diximus suprà.]

* * *

28 Dormitauit anima mea præ tædio : confirma me in verbis tuis.

PRo dormitauit, S. Ambrosius legit, stillauit. Nec dissimulat Vulgatæ lectionem. Nam aliqui codices, inquit, habent dormitauit, quia ἐνύσαξεν, dormitauit, & ἔσταξεν, stillauit, duabus literis dissonant. Itaque Antiquarij lapsu putat irrepsisse lectionis varietatem. Vox Hebræa, stillauit, sonat. Explicemus vtrumque.

Dormitare quid. *Psal.* 75.

Dormitare hoc loco est, præ tædio, & angore deficere. Quomodo de quibusdam dictum est. Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Sic enim exercitus, & equites solet Dominus, quasi sopore immisso, inutiles reddere. Et solet tædium, & mœror somnū inducere. Inde & Dominus in horto Discipulos præ tristitia dormientes inuenit. Hanc autē animæ dormitationem, siue tædium non rarò etiam sancti viri experiuntur, quod de se S. Augustinus fatetur. Aliquādo, inquit, intromittis me in affectum multum insinuatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si in me perficiatur, nescio quid erit, quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis pondéribus: & resorbeor solitis: & tenetor, & multum

Luc. 22.

Tædia etiam iusti experiuntur. *Lib.* 10. *Conf. c.* 40.

um fleo, sed multum teneor. Tantum
onsuetudinis sarcina degrauat. Hic esse
aleo, nec volo: illic volo, nec valeo. mi-
er vtrobique. In hac autem dormitatio-
e vnum est refugium, si ad Dominum
ecurramus; vt ipse ita torpentes, ac præ
ristitia stupidos trahat. Nam (vt inquit
S. Bernardus) quantæuis perfectionis ani-
ma, quandiu quidem gemit sub corpore
mortis huius; & huius seculi nequam reti-
netur inclusa carcere, vincta necessitatibus,
orta sceleribus, lentius, segniu que, assur-
gat necesse est ad contemplanda sublimia:
nec omnino liberū habet sequi Sponsum
quocunque ierit. Hinc lacrymosa vox il-
lagementis. Infelix ego homo, quis me
liberabit de corpore mortis huius. & non
multò post subdit. Propterea opus habeo
extrahi, quoniam refriguit paulisper in no-
bis ignis amoris tui, nec valemus à facie
frigoris huius currere modo, sicut heri, &
nudiustertius. Curremus autem postea,
cum reddideris lætitiam salutaris tui: cum
redierit melior temperies gratiæ: cum Sol
iustitiæ iterum incaluerit, & pertransierit
tentationis nubes, quæ hunc operire ad
horam cernitur: atque ad lenem flatum
auræ blandioris, solito cœperint vnguenta
liquescere, & aromata fluere, & dare odo-
rem suum. Videnda etiam pulcherrima,
quæ sequuntur. Meritò ergo in hac dor-
mitatione petit anima confirmari

In ijs con-
fugiendū
ad Deum.
Ser. 21. in
Cant.

Rom. 7.

Psal. 147.

Psal. 50.

Cant. 1.

in

in verbis Dei. Vox Confirma, Hebræis ſignificat, confirmare, ſtatuere, erigere, ſtabilem reddere, quæ omnia dormitanti animæ verba Dei præſtant. Quippe efficaciter excitant vt fortia: expergefaciunt, vt luminoſa: mulcent, vt dulcia: allitiunt, vt pulchra. Vel dicamus ſic, Excitant compungendo, expergefaciunt illuſtrando, mulcent blandiendo, allicium pollicendo.

Et ad Dei verba.

Stillare animam præ tædio, eſt quaſi liquefieri, & abſumi.

Nunc videamus quid verbum ſtillare doceat. Aliqui putant dici animam ſtillare per lacrymas: ſed melius, ac ſignificantius, ſi intelligamus quaſi liquefactam ſtillare, & defluere, vt paulatim abſumatur. Hoc autem modo ſi languor iſte, & defectus accipiatur, meritò exclamandum eſt. Confirma me in verbis tuis. Tu enim Domine ſolus es, qui tabeſcentem animam tuis adloquijs confortas, & confirmas. Sed ſine me paululum loqui tecum puluerem, & cinerem, ô Medice meus intime: ſine me & gratias agere humiliter, & petere inſtanter, quoniam, & ſtillat, & deficit ſpiritus meus. Tu Domine conforta illum, qua tuis expenſis, tua manu, tuis adinuentionibus ſorbitiunculas præparas, & cordialia (vt cum Scriptura dicam) cordializas, quibus nutriatur, erigatur, & redimatur, & recuperet ſe à defectu. Sed quales ſorbitiunculæ Ieſu bone, quam ſuaues, quam efficaces? Dulcis manus tua, qua parantur, qua

Dulciſſimus conſolator Deus.

2. Reg. 13.

ta paratæ propinantur. Dulcis mate-
a, ex qua fiunt, amaritudines tuæ, & san-
is tuus. Dulcis ignis caritatis, quo co-
untur. Vitalis materia, vitalis ignis, vi-
lis manus. Has parasti in dulcedine tua, *Psal. 67.*
in amaritudine tua? pauperi Deus. Pa-
sti in horto, parasti in flagellis, parasti
spinis, parasti in Cruce. Quo amore pa-
ueris, quibus tuis doloribus, quanta no-
ra dulcedine, quis explicet? quis recogi-
n? Da mihi Domine fatiscenti, & defi-
enti præ tædio, & infirmitate semper
bitiunculas istas. Da vt reficiar, omni
fidio, nauseaque remota. Da ne inuti-
s reddantur spiritualis caloris defectu. Nã
cibi quantumuis vitales, nisi in nutri-
entum, sanguinem, & vitales spiritus
nuertantur, non reficiunt animam. Sed,
in hydrope videmus, ex interioris calo-
is inopia, non in nutrimentum, sed in a-
am conuertuntur: vnde vita potius ex-
nguitur, quam reficitur. Quod mihi sua-
ssime, ac potentissime Medice, ne con-
ngat, dum cordialia porrigis animæ
ceæ & cor, & hepar eius instaura.

ט Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.

Iniquitas bene vocatur mẽdacium.

HEbræi, pro iniquitatis habent, menda-
cij. rectè. Nam iniquitas mendacium
, quia quod promittit non præstat.

Quomo-

Ierem. 16. Quomodo idola mendacium vocantur.
Psal. 32. Verè inquit, mendacium possederunt Pa-
Rom. 3. tres nostri. Et fallax dicitur equus ad salu-
Psal. 61. tem. Et homo mendax, quia saluare non
Psal. 4. potest: & quærere mendacium, quia his
Psal. 26. infarciri appetit, quibus nequeat nutriri.
Nam quod est verè mendacium, si iniquitas non est? quæ mentitur & sibi? quæ blanditur, vt eludat? promissa ostendit, vt capiat? Quippe Ephraim (id est homines,
Osee 12. qui temporaliter crescere volunt) sequitur æstum, & pascit ventos. Vel quia ipse ventos pascit, quod stultissimum est, vel
Eccl. 1. quia vento pascitur, quod perniciosissimum. Vnde, quod dicitur, Vniuersa vanitas, & afflictio spiritus, vel præsumptio) vt aliqui Patres legunt) commodius in hebræo legitur, Comestio, vel esus venti. Quicquid ergo à lege diuina deuiat, esus non est ciborum, sed ventorum, qui inflent non nutriant: vnde homines distorqueantur, non reficiantur. Sed nec illud omittendum est. Quod dicitur. Amoue à me; in Hebræo, aufer, remoue, recedere fac.

Cur dictum, Viã à me amoue, & non potius me à via.

Sed cur potius ait, remoue à me viam, quam me à via? Ea enim potius remouenda, quæ mouentur, quam quæ fixa sunt. Neque dicimus vsitato modo loquendi, recedere fac à me turrim illam, aut montem illum, sed me potius ab illis.

S. Ambr. hoc loco. Verum id non sine causa dictum (notat S. Ambrosius) tanquam significetur viam illam

lam mendacij in nobis esse, & nobis inesse. Ideoque, inquit, studiosè agamus, vt eam à nobis separemus. Sed quia hereditarium iniquitatis glutinum mentibus infixit humanis, opus est liberantis auxilio. Et subdit. Meritoque, quia vulnus grande, ac vetus est, & diu serpens, perfectioris medicinæ remedia deposcit, obsecrans, vt homini legitima miseratione curetur. Ex quo facilè vir spiritualis aduertat, quam gemebundo clamore orandum sit assiduè, vt via iniquitatis, quę in nobis esse cognoscitur, liberatoris manu remoueatur; quāque diligentia, & industria curandum, vt non solum in die huiusce tribulationis eum exquiramus, & nocte manibus nostris contra eum, vt non decipiamur: sed etiam, vt manu instantis custodiæ, & vigilantissima depulsione eam depellamus à nobis, quam nobis inesse sentimus. *Psal 76.*

Sed quod sequitur. De lege tua miserere mei. In Hebræo non est De, quam- De lege tua prima interpretatio.
quàm aliqui velint suppleri. sed quia חנן misereri, parcere, largiri, rem gratam facere, gratiosè donare, posset commodè dici, legem tuam misericorditer mihi da hodie, vel gratiosè dona. Vt, quoniam non de largitate donum hoc eximium non tam conceditur, vt lex cognoscatur, sed etiam vt seruetur, & ametur, meritò Propheta clamet, Legem tuam dona mihi: ad quam non solum obseruationem, & affectum

ctum, sed etiam notitiam, nisi tuo & lumine illustratus intrinsecus, & amore permotus meis viribus aspirare non possum.

Secunda interpretatio.

Sanctus Chrysostomus, De lege tua, interpretatur, de more tuo, Dei legem misericordis appellans morem, consuetudinem, & clementiam, qua misereri non desinit. Miserere mihi Domine, non quomodo homines miserentur miseri, & immisericordes: sed quomodo soles tu, qui pater misericordiarum es, & miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors: & cuius misericordiæ non est finis. Vel potest intelligi, De lege tua, vt significetur materia, & id, de quo misericordiam petit; tanquam diceret. Quod attinet ad legem tuam miserere mei. Quomodo potuisset villicus ille Euangelicus dicere Domino suo, de substantia tua, vel de bonis tuis miserere mei, id est, condona, quod circa bona tua deliqui. Ita de lege tua miserere mei, perinde erit ac, Parce mihi clementer ea, quæ in legem tuam peccaui, & ex fragilitate adhuc pecco. Et rursum miserere mei gratiam largiendo, ne in multis offendam. Vide confessionem, vide humilitatem, vide orationem. Sed tu Domine Deus idem es, qui propitiaris omnibus iniquitatibus meis, remittens clementer, quæ admisi, & redimis de interitu vitam meam, præseruans ne in interitum ruam. Reple igitur in bonis de-

Ps. 102.

Tertia interpretatio.

Luc. 16.

Ps. 102.

fide-

siderium meum, vt legem tuam diligens, & mendacium horrens tua manu protegar, & viuificer. Nam te miserante viam mendacij abominatus, viam veritatis elegi.

ל Viam veritatis elegi.

PVlchrè viam veritatis, quam elegit, viæ mendacij, & iniquitatis opponit. Nam veritas, non vanitas verè liberat. Non est via veritatis (inquit Ambrosius) honor seculi, solicitudo mundi. Vanitas temporalium est, veritas æternorum. Si volumus igitur ambulare viam veritatis, peregrinemur seculo magis, quam Deo; & ambulemus per fidem. Qui enim per fidem ambulat, Deo præsens est, qui autem per speciem ambulat, adest seculo, peregrinatur à Domino.] Vani autem vere sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei. Porrò eligere est inter plura aliquid seligere; &, cùm plurima vera falsis, & vana veris permista sint, statuere apud se quid præoptandum sit. Eligimus autem iudicando, & discernendo. Vnde prudentia (inquit S. Augustinus: definit autem veram, Christianam, & vtilem prudentiam. Nam iuxta antiquum illum Poetæ, qui sibi sapiens prodesse inquit, nequicquam sapit) Est amor acu discernens ea, quæ iuuant ad Deum, ab his, quæ impediunt. Quod si eligimus

Ioan. 8.

2. Cor. 5.

Sap. 13.

Prudentiæ veræ officium.

tanquam pulchriora, & meliora, quid eligamus, quid melius diligamus (ait alibi idem Sanctus) quam quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Quæ discretio, atque electio donum Dei est, & magnum donum, vt sciamus pretiosum à vili discernere. Inde Ieremias ex persona Domini. Si separaueris, inquit, pretiosum à vili, quasi os meum eris. Vbi, si sumatur os pro facie, ac vultu, quasi venustate quadam diuini oris, vultusque perfunditur, qui rectè discernit. Si verò pro ore, quo loquimur (vtrumque enim, & hebraica, & latina vox sensum patitur) significat sic hominem aptum fieri magisterio, vt non modo tanquam interpres, sed velut os Dei alios doceat, quæ sit voluntas Domini: & tanquam diuinus canalis eloquiorum cælestium aquas emittat. Verum opus est & sapientiali discretione, & experimentali gustu, vt etiam ipse homo spiritualis butyrum, & mel comedens sciat reprobare malum, & eligere bonum.

Et fructus.

Ierem. 15.

Isai. 7.

Iudicia tua non sum oblitus.

Memoria mandatorum assidua sit.

ET quomodo obliuiscatur, qui ea dilexit, concupiuit, in corde abscondit, delicias suas, & consiliarios statuit? Profectò qui hæc præstat, obliuisci non potest. Quã me-

memoriæ assiduitatem considera quam pulchrè Salomon, quamque significanter commendet. Liga, inquit, ea in corde tuo iugiter, & circũda gutturi tuo: cum ambulaueris, gradiantur tecum: cum dormieris, custodiant te: & euigilans loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux: & via vitæ increpatio disciplinæ. Prou. 6

31 Adhæsi testimonijs tuis Domine, noli me confundere.

Caritas gluten vniens Deo.

VErbum דָּבַק hebræum significat adhærere, coniungi, agglutinari, ita vt nihil medium intercedat. Vnde & apud Iob de squammis arctissimè sibi cohærentibus dicitur, Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas: vna alteri adhærebit; & tenentes se nequaquam separabuntur. Sanctus Augustinus in psal. 62. legit. Agglutinata est anima mea post te, & ait. Videte desiderantem, videte sitientem, videte quomodo hæreat Deo Nascatur in vobis iste affectus. Si iam germinat compluatur, & crescat; perueniat ad tale robur, vt & vos dicatis ex toto corde, agglutinata est anima mea post te. Vbi est ipsum gluten? ipsum gluten caritas est. Caritatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum. Non cum Deo, sed post Deum, vt ille præce- S. Aug. in Psal. 62.

dat, tu sequaris. Hæc S. Augustinus. Hunc ita adhærentem Deo, necesse est & testimonijs eius adhærere : & qui adhæret testimonijs Dei, fieri non potest, quin ipsi Deo arctissimè adhærescat. Nam (vt ait S. Leo) nihil est aliud diligere Deum, quam amare iustitiam. Quam qui diligit, & diuinis testimonijs adhæret, fidenter petit, nec dubiè obtinet, ne confundatur. Quid autem sit confusio, & quam multiplex, supra dictum est copiosè.

Serm. de grad asc. in beat.

32 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.

Ambros. NOn potest viam Domini currere, cuius cor coarctatur angustijs. Et Apostolus ait. Cor nostrum dilatatum est: dilatamini & vos. Et de Salomone. Latitudo cordis eius, quasi arena, quæ est in litore maris : & vide distantiam. Via fit angustior, cor latius, vt Patris, & Filij, & Spiritus sancti sustineat mansionem : ne veniat verbum Dei, & pulset, & videns cordis eius angustias dedignetur habitare. Denique sapientia in exitu (id est cum exit in publicum) canit : in plateis cum fiducia agit. Plateæ latę sunt. Nō igitur in vijs, sed in cordis latitudine Sapientia decātat. Ita S. Ambrosius. Latum verò fit cor euacuatione ab occupantibus, & replentibus ter-

2. Cor. 6.

Prou. 1.

Quomodo cor dilatetur.

terrenis desiderijs. Quod enim iam plenũ est quantumuis alioqui sit latum, capacitatis nullius est. Latum fit & fiducia, quę ad Dei opes participandas illud extendit. Latum caritate, quæ dilatat sinum ad omnes etiam ignotos, etiam inimicos. Latum fit robore diuino, & consolationibus cælestibus. Cordis dilatatio iustitiæ est delectatio. Dilatasti, inquit, gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea. Et item alibi. Eduxit me in latitudinem. Et, Statuisti in loco spatioso pedes meos. O quanta illi animæ latitudo, inquit, S. Bernardus, quanta, & meritorum prærogatiua, quæ diuinam in se præsentiam & digna inuenitur suscipere, & sufficiens capere. Quid illa, cui & spatia suppetunt, & deambulatoria ad opus quidem maiestatis? Et, cum enumerasset, quibus primò oportet vacuam esse animã, vt cælum fiat, atque habitatio Dei. Deinde necesse est, inquit, eam crescere, & dilatari, vt si capax Dei. Porro latitudo eius, dilectio eius (sicut dicit Apostolus) Dilatamini in caritate. Et mox. Ergo quantitas cuiusque animæ æstimetur de mensura caritatis, quam habet. Vt, verbi gratia, quæ multum habet caritatis, magna sit: quæ parum, parua: quæ verò nihil, nihil: dicente Paulo, Si caritatem non habuero, nihil sum.

S. Aug. hic. *Psal. 17.* *Psal. 30.* *Ser. 27. in Cant.* *2. Cor. 6.* *1. Cor. 13.*

Hanc cordis dilatationem assecuta ani- Anima

dilatata currit viã mandatorum.

ma, nihil graue æstimat, nihil difficile: non solum ambulat vias Domini, sed curit. Ideò ait. Viam mandatorum tuorum cucurri. Nec quomodocumque currunt Sancti, sed quasi scintillæ in arundineto

Sap. 3.

Ezech. 1.

discurrunt. Et Ezechielis animalia velocissimo impetu, vtpote pennis, & oculis plena ibant, nec reuertebantur. Et, si interdum reuerti videbantur, reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Nunc ergo Domine est, vt plorem in sinu tuo vias meas difficiles: & gressuum tarditatem etiam in via tua defleam: cordis angustias confitear, & confundar: atque à te, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis, & vota, qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos igné vrentem, suppliciter & latitudinem cordis, & gressus dilatatos, & expeditos, & cursum celerem, imò & volatum petam. Da mihi pennas vt Aquilæ, & volabo, & requiescam: da ignitum discursum, vt quasi velox ex concepto igne tuo scintilla ministrem tibi, luceam omnibus: omnes amore tuo succendam.

Psal. 103.

Psal. 54.

ה He, id est, Ista.

Octonarius Quintus.

33 LEgem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum:

tum: & exquiram eam semper.
34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.
35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum: quia ipsam volui.
36 Inclina cor meum in testimonia tua: & non in auaritiam.
37 Auerte oculos meos, ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.
38 Statue seruo tuo eloquium tuũ: in timore tuo.
39 Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: quia iudicia tua iucunda.
40 Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

33 Legem pone mihi Domine.

SI de lege statuenda, vel promulganda, quæ communiter omnibus datur, ageretur, nec opus esset illam poni, nec vnquam diceret mihi; cum illam non modo norit, sed hactenus tantoperè celebrarit.

Sed duplici modo postulat sibi legem poni : & vterque omnino necessarius est.

Petit interiorem legis notitiam.

Primò quidem (ne frustra sonet foris verbum, quod intus à doctore non manifestatur) petit sibi interno lumine legem poni : quod plurimis versiculis varijs modis efflagitat, nunc quidem rogans reuelari sibi oculos, vt considerent mirabilia de lege Dei : nunc ne abscondantur à se mandata : nunc ne à mandatis repellatur : nunc doceri iustificationes Dei, & multa huiusmodi, quæ sparsim toto hoc psalmo frequentissimè leguntur.

Et gratiã ad opus.

Secundò, quia notitia etiam interiori illustratione habita non sufficit, nisi gratia sanans præstet implere, quod cognitum est, petit sibi legem poni, deduci in via, gressus suos dirigi, denique moueri ad implendam legem : quæ, cum spiritualis sit, carnalis homo, & venundatus sub peccato, eam assequi non potest. Quærit S. Augustinus hoc loco, cum iusto non sit lex posita, vt Apostolus asserit, cur dicat, legem pone. Et respondet petere, vt sibi ponatur, non, sicut iniustis, & non subditis ad vetus testamentum pertinentibus posita est in tabulis lapideis : sed, sicut Sanctis, filijs liberæ, hoc est supernæ Hierusalem ; filijs promissionis, filijs hereditatis æternæ, sancto Spiritu tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus scribitur : non quam memoria teneant, & vita negligãt sed

1. Cor. 3.
1. Tim. 1.
S. August.
Exod. 34.

sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo in latitudine amoris, non timoris angustijs.]Sed cum iam per eam cucurrerit, vt proximè dixerat, quomodo poni sibi petit? Nimirum quemadmodum si poculum plenum teneas (inquit Augustinus) & sitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poscit desiderando, nempè vt dare ne cesses.

Viam iustificationum tuarum:

RVrsus via monet nos peregrinationis, periculorum, necessitatis, exilij, lacrymarum, suspiriorum, dum à tali patria peregrinamur. Et quia tanti momenti hæc via est, iure optimo petit, vt rationem, ordinem, atque legem eam peragendi, Deus ipse sibi præscribat: quod egregiè S. Ambrosius ex more, ac disciplina militari explicat. Miles, inquit, qui ingreditur iter, viādi ordinem non ipse disponit sibi, nec pro suo arbitrio viam carpit, nec voluntaria captat compendia, ne recedat à signis: sed itinerarium ab Imperatore accipit, & custodit illud: præscripto incedit ordine: cum armis suis ambulat, rectaque via conficit iter, vt inueniat commeantiū parata sibi subsidia. Si aliò ambulauerit itinere, annonam non accipit, mansionem paratam non inuenit.] Vide multa præclare de ductu filiorum Israel per desertū.

Sequenda via militaris.

S. Ambr.

Sed illud suauissimè de præeunte columna ignis, & nubis, quam viarum legem appellat. Illa, inquit, columna nubis quidem specie præcedebat filios Israel, mysterio autem significabat Dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Isaias, hoc est, in Virgine Maria. Illud etiam sanctæ militiæ sectatoribus iucundissimum addit. Si Reges terræ norunt commoda præuidere sequentibus se, quantò magis Deus, qui bonus est, nouit quemadmodum profutura disponat diligentibus se? Ac primum, si incognitum carpendum est iter, duces eliguntur viarum, qui præcurrant agmini, sed hoc Imperatores isti iniuriosum sibi arbitrantur. Deus autem præibat cum Hebræi facerent iter. Hæc ille. Multò autem dulcius præiuit nobis Dominus Iesus cum sua Cruce, & ad sequendum inuitãs, & quomodo sequamur, ostendens.

Exod. 13.

Isai. 19.

Et exquiram eam semper.

HEbraicè significantius, Et custodiam. Sed exquirendo custodit, & custodiendo exquirit. Sicut illẽ sitiens, de quo paulò ante Sanctus Augustinus. Nam præclarè S. Leo. Nemo, inquit, ad cognitionem veritatis magis propinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis, etiam si multum proficiat, semper sibi superesse, quod quærat.

Ser. 9. de Natiuit.

rat. Nam qui se ad id, in quod tendit, peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed in inquisitione defecit.

Semper. Non est mediocre, quod requiritur, Paradisi gratia, Dei Regnum, Angelorum consortium, immortalitatisque domicilium. Non ergo vno die quæritur (inquit Ambrosius) nec duobus, aut paucis mensibus, sed quæritur semper, & quæritur per omnia, vt meritorum multa concurrant suffragia. δια παντὸς enim & omne tempus significat, & per omnia. Semper & per omnia quærendum Dei regnum.

Ceterum vox hebræa significat calcaneum: vt sit idem, quod ad calcem, vel ad finem vsque. Significat & vestigium. Itaque posset per appositionem dici. Exquirã, & custodiam legem, vestigium tuum. Si enim creaturæ vestigia Dei dicuntur, quia ex his licet imperfectè, cognoscitur; multò magis lex, quæ sanctum, iustum, pium, prouidentem, & gubernantem ostendit. Vox hebræa etiã vestigiũ significat.

Verum quoniam eadem vox retributionem significat, vt eo loco. In custodiendis illis retributio multa; vbi est eadem vox עקב Aliqui intelligunt perinde esse, ac si diceretur, propter retributionẽ: quomodo inferius loquitur, inclinasse se cor suum ad faciendas iustificationes Dei propter retributionem. Mihi placet id quoque per appositionem intelligi. Exquiram legem, retributionem: quasi ipsa custodia legis retributio sit, cum fit ex amore. Sicut enim Et retributionẽ. *Psal.* 18. Ipsa legis custodia est retributio.

non' est parua miseria non amare Deum,
Conf. l. 1. c. 5. vt S. Augustinus loquitur, ita amare ingēs
Or. in S. baptis. fructus est. Hoc ipsum merces est (inquit
Ser. 7. de ieiun. mens. Nazianzenus) Patri placere, atque inser-
uire. Et S. Leo. Diligenti Deum sufficit ei
7. placere, quem diligit : quia nulla maior
expetenda est remuneratio, quam ipsa di-
lectio. Quare pulcherrimè S. Bernardus. Et
Ser. 83. in Cant quidem, inquit, soli Deo honor, & gloria.
Sed horum neutrum acceptabit Deus, si
1. Tim. 1. melle amoris condita non fuerint. Is per
se sufficit, per se placet, & propter se: ipse
præmium sibi est amor: præter se non re-
quirit causam, non fructum: fructus eius
vsus eius: amo, quia amo: & amo, vt amē.]
Homil. 5. in Ep. ad Rom. Et S. Chrysostomus, Amemus igitur illum
vt amare quidem par est. Hoc enim ma-
gna certè merces: hoc cælorum regnum,
& voluptas, & deliciæ, & gloria, & ho-
nor: hoc lumen, hoc beatitudo infinita:
quam ipsam nec oratio repræsentauerit,
nec mens comprehenderit.] Vides ergo
quam congruè dixerit legis custodiam ex
amore esse retributionē? Magna res amor,
qui cum retributionem expectet sine pon-
dere, & sine mensura, retributione tamen
vsque ad eum diem non caret; sed se ipso
contentus, velut aliud nihil spectet, se ip-
§. 24. so & delectatur, & fruitur. Quod fortè in-
dicat Scriptura cum in Ecclesiastico flores
sapientiæ appellat fructus honoris, & ho-
nestatis: sunt enim ijdem & flores, & fru-

tus. Flores sunt ligni vitæ, qui in cælesti Hierusalem fructus parturient sempiternè suauissimos. Fructus sunt, quia etiam nunc pascunt, & nutriunt.

De vijs autem huiuscemodi quærendis, & percurrendis admonet nos & Ieremias. State, inquit, super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona: & ambulate in ea. Vbi & videndum, id est, inuestigandum, ac meditandum diligenter præscribitur: & interrogandum ab alijs viris, nempe spiritu Dei præditis, qui nos docere, & instruere possint. Nec de nouis interrogandum, aut non tritis semitis, sed de antiquis, quas ante nos serui Dei terere consueuerunt. Nec de quacunque via, sed de bona quærendum: nec solo quæsitu contentis subsistendum est, sed ambulandum in ea. Quæ omnia nequaquam oscitanter perpendenda sunt. Vide & quæ præclarè S. Ambros. disputat Ser. 8. in verba huius Psalmi, Cogitaui vias meas. Vbi inter cetera. Si viam ingressus, cum venetis ad compitum aliquod, si nescias, quod iter ingredi debeas, stas, & cogitas primò, quæ sit via, quæ ad Ciuitatem ducat, ad quam putas tibi esse pergendum: quanto igitur magis animo debes, ac mente consistere, qui ad regnum cæleste contendis, & cogitare tecum, quia non omnis via illo ducit: non omnis via illo dirigit, ad Hierusalem illam, quæ in cælo est.

Quærenda & terenda via bona. Ier. 6.6.

34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: & custodiam illam in toto corde meo.

NOn vtique de naturali potentia agitur, quam & iam habebat, & si non habuisset, petere non valeret. Petit ergo intellectum sibi dari sublimiorem, id est, spiritum illuminatum, qui cælestia attingat. Est enim tota humana natura ad ea veluti statua quædam. Quid autem peteret magis statua aliqua ab artifice, si posset, quam Da mihi intellectum? Videret quippè se oculos habere, sed non videre; aures, & non audire; manus, & non palpare; pedes, & non ambulare; guttur, & non clamare. Ita est omnis homo suæ naturæ relictus: inutilis est, intellectum habens, & diuina non cernens: voluntatem, sed cælestia non amans: manus, sed sublimiora opera non exercens: pedes, sed in via Domini non ambulans: guttur, sed velut sepulcrum patens, mortua proferens, diuinas laudes non enuntians. Quare exclamandū factori nostro, & patri, Da mihi intellectū. Ostendit antem cur id petat, & qualem intelligentiam petat. Et scrutabor, inquit, legem tuam. Neque ibi sistit. sed addit. Et custodiam illam in toto corde meo: alioquin scienti bonum, & nō faciēti peccatum est ei. Quid autem sit, In toto corde,

Homo sine gratia instar statuæ ad opera supernaturalia.

Psal. 5.

Iac. 4.

Sup. v. 2.

alibi

alibi dictum. Et quoniam nosse non sufficit (tantus est animę languor) Neque volentis est, neque currentis, sed necessaria est benigna miserentis manus, ac deducentis, subdit. Deduc me in semitam mãdatorum tuorum, vt possim dicere. Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me. *Rom. 9.* *Psal. 72.*

Quia ipsã volui. Hebręis significantius. Quia in ipsa mihi complacui: quia ipsa omnis voluntas mea. In his versiculis ordinem diuinæ gratiæ, & eius omnes effectus facile est meditari.

36 Inclina cor meum, in testimonia tua, & non in auaritiam.

DA mihi pondus amorem tuum, quo ferar (hoc enim est inclinare) in testimonia tua, & non in auaritiam. Non puto auaritiam hic poni pro peculiari vitio, id est, immoderato studio pecuniæ, sed vniuersim pro quauis cupiditate, qua aliud cupimus, quam Deum, aut propter Deum. Auaritia enim est plus velle habere, quam deceat, multo magis cum aliena iactura. Auaritia est retinere, quod alteri debes: itaque super omnia pessimum genus auaritiæ est negare te Deo, cuius omnia sunt, quæ habes: cui totum te debes: qui omnia tibi est. Beatus Chrysostomus pulchrè inducit Dominum loquentem, Omnia tibi ego, *Auaritia hic pro quauis cupiditate inordinata.* *Pessima auaritia non reddere se ipsum Deo* *Chrysost.*

ego, Ego frater, mater, diuitiæ, thesauri, Salus &c. Et S. Hilarius. Accepimus, inquit, omnia à Deo, corpus, animam, voluntatem: & ideò dignum est, vt homo se totum Deo reddat, cui se debere recolit & originem, & profectum. Ideò, qui alia donat, & se sibi reseruat, nec quicquam agit, nec rectè diuidit. Qualis enim diuisio ignobiliora Deo dare, nobiliora retinere, id est, seipsum, sine quo cetera nihili à Deo putantur? Ita explicat S. Augustinus, quod Cain dictum est, si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti. Vnde, inquit, datur intelligi propterea Deum non respexisse in munera eius, quia hoc ipso malè diuidebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem se ipsum. Quod omnes faciunt qui non Dei, sed suam sectantes voluntatem, id est, non recto, sed peruerso corde viuentes offerunt Deo munus, quo putant eum redimi, vt eorum non opituletur sanandis prauis cupiditatibus, sed explendis. De hac autem præcipuè auaritia mihi ab Isaia dictum videtur. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum. Abscondi à te faciem meam, & indignatus sum. Nam quæ maior iniquitas, quam vt autori non reddas, quod suum est? Quid si addas, quod non solum te tibi dedit, sed & seipsum? Quousque supra modum peccans peccatum huiusce auaritiæ excrescit? In primo opere te tibi dedit, in secundo se:

l. 5. de Ciuit. c. 7.

Gen. 4.

Isai. 57.

cum

eum se dedit, te tibi reddidit. Ergo factus, & refectus totum te ei debes: & quicquid retinueris intoleranda auaritia est.

37 Auerte oculos meos, ne videant vanitatem.

VAna sunt omnia, quæ solida, id est, æterna non sunt. Vanitas est, inquit Sanctus Ambrosius, solicitudo vitæ huius. Et hæc gratia Dei, & hoc munus est Domini, vt oculos animæ nostræ à negotijs huius mundi auertat. Beatitudo enim omnis à Domino est. Beatus autem vir, cuius nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Ante nos est Christus: ante nos brauium est, ad quod peruenit, qui non in incertum currit, nec reuocauit cursum suum, sed incitauit. Ad hunc dirige oculos tuos: auerte à spectaculis, auerte ab omni seculari pompa. Erige ad cælum vel nocte stellarum monilia, orbem lunæ decorum, vel die solem aspice: respecta mare, terram circumspice; vt opere facta diuino omnis creatura te pascat. Christus non in vanitate venit, sed in virtute: inflammauit cor tuum, vt comprehendas, quæ mandatorum cælestium ratio, quæ animæ substantia, quæ vitæ futuræ gratia, in quo statu post hæc erimus. Erige igitur mentem, vtere naturali ingenio.

Vanitas omnia tẽporalia.

Psal. 39.

Philip. 3.
1. Cor. 9.

Gen. 1. nio. Ad imaginē Dei factus es, vt superna aspicias, & terrena non quæras. Vmbra est ergo vita hæc, festina ad solem, vt te defendat ab vmbræ huius frigore, & calorem tibi profundat æstiuum. Hæc ex S. Ambrosij egregia disputatione hinc inde breuiter collecta. Sed, quod Psalmographus petit, auerti oculos suos, ne videant vanitatem, tria mihi sonat.

Custodiēdi oculi. Primò, propter periculū.

Primò, periculū, ne per fenestras mors ingrediatur, sicut Ieremias dolet. Vnde, B. Iob. Pepigi, inquit, fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de Virgine. Videbat enim vir sapiens claudendas esse fenestras, si nolumus per illas mortem intrare. Vnde & gloriabatur. Si secutum est oculos meos cor meum. Quia videlicet diligenter cauebat propter periculum, ne oculi viderent vanitatem. Quod si interdum ex fragilitate contingeret, vt oculi auolarent, id saltem consequeretur, ne cor desiderando post oculos iret.

Ierem. 9.
Iob 31.
Iob ibid.

Secundò, propter fragilitatem.

Secundò, fragilitatem nimiam, qua laboramus. Quare perpetuò cauendum, ne oculi videant, quod malè cupiditatem accendat: quod diu stare non possit, cuius oculi infeliciter rapiuntur. Et quia Propheta diffidit viribus suis, propterea petit à Domino, vt ipsemet oculos sibi auertat, ne videant vanitatem: & vt id præmuniatur, sine cuius custodia sanitas diu subsistere nequit.

Ter-

Tertiò, exactam diligentiam, per quam ne in minimo quidem offendere consentit, tum vt animi puritatem perfectissimè conseruet, tum quia non ignorat vanitatem glutinosam rem esse; & facile prosterni, qui occasiones casus diligentissimè non abscindit. Sint nobis exemplo pariter & cautelæ primorum parentum curiosæ inspectiones: quibus, cum lignum pulchrum esse visu, & ad vescendum delectabile vidissent, iam tum (vt notat Chrysostomus) ante manuum extensionem fructum vetitum & decerpsisse, & deuorasse videbātur. Ex quo quid mali ortum sit, calamitas nostra testatur. Sed multò maiori voce id clamitat medicina. Ad eam quippè plagam auertendam, nostrorumque oculorum vel cupiditatem, vel incogitantiam sanandam Dei filius oculos suos, qui lucidiores sole scrutantur omnia, & vino pulchriores mētes inebriant, ab impijs ministris velari sustinuit: cum interim exultarent impij, furerent satellites, deriderent Scribæ, & Magistratus Templi, Angeli pacis amarè flerent, & flexis genibus factorem suum, & gloriam suam adorarent: quippè cuius vultus, & oculi ipsos pascerent, & bearent.

Tertiò, propter studium perfectæ puritatis cordis.

Gen. 3.

Cur Domino velati oculi.

Luc. 22.

Isai. 33.

Optimè etiam S. Augustinus interpretatur de curanda in rebus, quas facimus, recta intentione: quia magni interest, cum aliquid boni facimus, cuius rei contempla-

Curanda recta intentio.

platione faciamus. Atque hos oculos, inquit, quibus contemplamur, quare faciamus, quod facimus, auerti poscit, ne videant vanitatem, in qua præcipuum locum obtinet amor laudis humanæ.] Ita non modo vt ne sequamur, sed vt ne videamus quidem aliud, quam Dei gloriam, petere nobis hoc versu licebit.

In via tua viuifica me.

Viuendum Deo.

VBique vitam appellat Deo viuere per gratiam, amorem, & legis custodiam. Et meritò idem ego à te Domine instanter peto. Nam cur mihi viuere, si non detur tibi viuere? in quo mihi est esse, & viuere; & sine qno non est viuere, vt possim in æternum de te viuere? Ergo hoc peto, hoc efflagito, hoc totis medullis à te contendo, In via tua viuifica me. Quippe extra viam tuam nec salus mihi, nec vita est. Nec solum peto, vt vitam conserues, sed vt robur assiduè nouum, ac vigorem suggeras, ne vnquam defatiger in via tua, ne vnquam consenescam, sed vt renouetur quasi Aquilæ iuuentus mea: vt vegetus semper, & viribus integris maiore per eam, ac celeriore gradu ferar.

Act. 17.

Psal. 102.

* * *

38 Statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

PEr eloquium, tum legem, tum promissiones Dei possumus explicare: & vtrũque seruus Dei petit in timore casto in se statui, atque firmari. Nam sine timore eiusmodi lex diuina in humano corde consistere, firmariqúe non potest. Basis quædam verbi (ait Ambrosius) est timor sanctus. Sicut enim simulacrum aliquod in basi statuitur, & tunc maiorem habet gratiam, cum in basi statua fuerit collocata, standique accipit firmitatem, ita verbum Dei, vel rationabile Dei, in timore sancto melius statuitur, fortius radicatur, hoc est, in pectore timentis Dominum. Nec immeritò hoc sanctus Pater certus asserit, cum Scriptura dicat. Timor Domini scientiæ religiositas: religiositas custodiet, & iustificabit cor. & item. Radix sapientiæ est timere Dominum. Et item. In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: & multa huiusmodi, quæ toto illo primo capite continentur.

Timor castus basis quædam diuini verbi.

Eccl. 1.

Deinde promissiones etiam Dei in timore firmantur. Timentibus enim misericordia exhibetur: &, qui casto timore caret, facilè labitur: qui autem timori inhæretur, firmas Dei promissiones facit. Nõ enim est in illo Est, & non; sed Est in illo fuit. Propterea & idem Sapiens. Oculi

Timore sãcto Dei promissiones firmantur.

Eccl. 34.

Do-

Domini, inquit, super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Vides quales promissiones, & quam firmæ sint, si super timorem Domini innitantur. Perpende singula: nam ingentem sanctæ consolationis thesaurum continent. Ipse Dominus ijs, quos castus timor subiecit, est protector potentiæ, id est, potentissimus. Quid Deo excelsius, quid potentius? Est firmamentum, & basis virtutis: vnde ergo timeat ruinam, qui illi innitatur? Est tegimen ardoris, in æstu concupiscentiarum obumbrans. Vmbraculum meridiani, in maiori persecutionũ feruore protegens. Deprecatio offensionis, quia præoccupat ne offendas: &, sicubi, vt fragilis offendas, offensam facilis delet. Est adiutorium casus, quia manu apprehensa labi non sinit, & supponit labenti manum suam, ne collidatur, & erigit. Exaltat autem animam, ab omni humilitate terrena ad cælestia prouehens. Illuminat oculos, ne ante occulti hostis insidias solicitudinis nostræ aspectus vigilans dormiat. Dat sanitatem, & ægra sanans, & infirma roborans. Dat vitam, spiritu suo viuificando, & ab interitu iugiter redimendo. Dat denique bona omnia, benedictionem copiosissi-

Effectus timoris sancti.

Psal. 36.

Psal. 12.

Eccl. 4 & 15.

fissimè super illum thesaurizando. Quam felix igitur, qui in timore sancto legis custodiam superædificat, vel potius, in quo ipsa sibi ædificat Sapientia? Quam felix item, qui per timorem Domini insigne sancti Spiritus donum, promissiones eius firmas munit, ac roborat?

39 Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum; quia iudicia tua iucunda.

AMputa, vel aufer opprobrium, quod suspicatus sum, id est, quod timui: & aufer delendo iniquitates, & peccata, quibus nil turpius, nihil fœdius. Nam in Deū deliquisse; eiusque legem, ac dilectionem violasse opprobrium est, cui nullum æquale esse potest. Et quidem spero me ex tua largitate, indulgentiam consequutum, sed suspicatus sum, id est, non sine formidine recordor: cum scriptum sit. Ne propitiato peccato noli esse sine metu. Et item. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Nescit quippè homo vtrum amore dignus sit, vel odio. Dele & opprobrium, quod inde sequutum est. Quia infirmitas, cæcitas, ad malum procliuitas, difficultas ad bona, quotidiani lapsus quanquam leues, magnum opprobrium sunt. Interdum & vehementius pulsant tentationum procellæ: & Peccata & opprobria maximū.

Eccl. 9.
Eccl. 5.
1. Cor. 4.

Item opprobrium depravatio naturæ.

Psal. 68. & aperit vt absorbeat me puteus os suum: iamque suspicor me opprobrio factum inimicis, & mox deuorandum: & id opprobrium Domine amputa, quia iudicia tua iucunda, vel dulcia. Ita enim sanas, vt nec cicatrices quidem appareant, quamuis olim putruerint, & corruptæ fuerint à facie insipientiæ meæ: ita concuti finis, vt non patiaris euerti: & iudicia tua, quamuis arcana, sunt tamen iucunda, quia tu rectus, & dulcis es Domine: & propter hoc legem dabis delinquentibus in via. De opprobrio vide plura supra v. 22.

Psal. 37.

Psal. 24.

40 Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

Vera vita Deo viuente.

PErpetuò in viuificatione petenda perstitit: summa enim, ac finis bonorum est. Tunc autem verè viuimus, cum Deo viuimus. Cognoui (inquit S. Bernardus) verum esse, quod legimus, quoniam in ipso viuimus, mouemur, & sumus: sed ille beatus est, in quo est ipse, qui illi viuit, qui eo mouetur. Tibi ergo Domine, viuam, vt verè viuam. Tibi spirem tanquam factori, Regi, & Duci meo. Te inspirem tanquam auram vitalem, in qua viuo, moueor, & sum. In te respirem, tanquam in refugio, tanquam in susceptore, tanquam in indulgentissimo Patre. Pro te suspirem tanquam pro summè dulci, summè pulchro, sum-

Act. 17.

summe amabili, & desiderabili. Ad te respirem, tanquam ad finem, tanquam ad centrum, tanquam ad summam beatitudinem meam.

ו Vau, id est, Et.

Octonarius Sextus.

41 ET veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuũ secundum eloquium tuum.

42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis.

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudicijs tuis superspe raui.

44 Et custodiam legem tuam semper: in seculum, & in seculum seculi.

45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.

46 Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebar.

47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48 Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iustificationibus tuis.

41 Et veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuum secundùm eloquium tuum.

Misericordia à Deo petenda, non iudicium.

NNon petit venire super se iudicium, non examen tanquam Sanctus exopetat, vt appendatur in statera: sed misericordiam, & salutem. Hæc quippe misericordia necessaria est. Non enim possumus, iuxta Beati Iob sententiam, respondere ei vnum pro mille. Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur; & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. S. Ambrosius Misericordiam, & salutem Christum Dominum intelligit, qui toto psalmo octogesimo quarto, Benedixisti Domine terram tuam, & propheratur, & peritur: & pulcherrimè, & fusè satis digreditur ad illud Canticorum. Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Videndus totus locus suauissimus,

Iob 50. & 31. *Iob* 9. *Heb.* 4.

Misericordia, & salutare Dei est Christus.

Cant. 2.

42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis.

VEl respondebo hoc ipsum verbum, Quia speraui in sermonibus tuis, Vel exprobrantibus mihi verbum, siue Hebræa phrasi, rem quampiam, haud dubium

biũ quin fœditates, & infirmitates meas, vt me ad puſillanimitatem, & diffidẽtiam adducant, reſpondebo in tuis ſermonibus me ſperaſſe. Exprobrant mihi, quod meritò reliquiſti me, vel relicturus ſis, quem ego miſerè toties deſerui, & vanitatibus poſthabui. Exprobrant mihi quanta retribui mala pro bonis tibi bono factori meo, & benefactori meo. Quam vilis factus ſim nimis iterans vias meas: quam indigna geſſerim genere meo: quomodo tãto Patri degener vixi. Datum mihi abs te pretioſiſſimum patrimoniũ quam infeliciter, ſtulteque prodigerim: quam beneficijs ingratus; quam inſipiens in medijs theſauris negotiator: & denique adoptatus in filium tuum, quod ſuper omnem gloriam eſt, quam me viliſſimum Adæ filium & verbis, & rebus oſtenderim. Quid ad hæc reſpondeam? Non quia falſa ſunt, non quia ipſe nocens, ne conuincar, & obtinear ab accuſatore callido, ſed quia ſperaui in ſermonibus tuis. Hi ſunt ſermones miſericordiæ, ſermones non vnius, ſed totius conſolationis, quibus pollicitus es placituros tibi eos, qui ſibi diſplicerent: non deſerturum te, qui ad te confugiunt: imò mutatione dexteræ tuæ facturum de egris lucidos, de mortuis viuos, de malis, atque infidelibus ſeruis, fideliſſimos, ac nobiliſſimos filios. Hæc reſpondebo exprobrantibus mihi. Quia etiam ſi occide-

Spes in Dei ſermonibus, patrocinium noſtrum.

Luc. 15.

2. Cor. 1.

Pſal. 76.

Iob 13.

ris me, in te sperabo: nec obliuiscar, quia ipse es, qui mandas carmina in nocte. Hæc recolens in corde meo in te sperabo, sciens, quia nemo sperauit in te, & confusus est: nec ab expectatione mea con-

Psal. 21.

Psal. 118. fundes me.

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque, quia in iudicijs tuis superspraui.

Verbum veritatis confessio nostræ infirmitatis

AC si dicat, viam mendacij amouisti à me. si immaculatum me existimo, me ipsum seducens, mendax sum. Si confiteor infirmitatem meam, verbum veritatis habeo. Os meum accusans me, non condemnabit me. Hoc verbo, respondebo exprobrantibus mihi, respondebo & tibi. Nunc enim quod gemitus meus testis est, displicere me mihi, tu refulges, & places, & amaris, & desideraris, vt erubescam de me, & abjiciam me, atque eligam te: & nec mihi, nec tibi placeam nisi de te. Erit & verbum veritatis in ore meo, quod mihi instanter postulo concedi, si cū miserijs meis cōfitear simul misericordias tuas. Quantū àte retarder pōdere meo, quantum ad te accedam munere tuo: quoniam in ore fideli, quod proprium fructum suum germinat, Fructum, inquam, labiorum confitentium nomini tuo, abū-

Ex Conf. S. Aug. l. 10. c. 2.

Et misericordiarū Domini.

Eccl. 15.

Heb. 13.

dat

dat laus tua. Neque enim fidelia labia sunt quæ non erumpunt, & parturiunt laudes tuas. Hæc sunt iudicia tua, in quibus supersperaui. Quia non tacentibus de se, & non tacentibus de te soles misericordiam tuam præstare; vt abstergas, quod nostrum est; &, quod tuum est, largiaris. Si autem verbum hoc veritatis, & accusationis meæ, & laudis tuæ vsquequaque, id est, semper, ac per omnia fuerit in ore meo, vt omnia ossa mea germinent laudem, meritò gloriari & ipse potero, quia in iudicijs tuis supersperaui. Sed illud verbum veritatis, precor, Domine, ne vnquam auferas à me, vt annuntiare prætermittam legem tuam fratribus meis, & cum fiducia sancta loqui, quæ postulat à me caritas tua, & vtilitas discreta proximorum. Non enim ad hæc satis in me virium agnosco; sed fiducia mea in te est, qua in iudicijs tuis supersperaui.

Et libertas admonitionis.

44 Et custodiam legem tuam semper, in seculum, & in seculum seculi.

VIde propositi firmitatem: vide cooperationem ex animo. Quid est enim in seculum seculi? Sancti Ambrosius, & Augustinus, ac Theodoretus seculum seculi, æternitatem intelligunt: quia in alia vita, hoc est, in patria voluntati Dei perfectè congruimus, illique perpetuum cultum,

Seculum seculi vita æterna.

tum, laudesque exhibemus. Ergo, si solum modò dixisset, Semper, posset intelligi quamdiu hic viuo, sed, In seculum seculi, vita æterna est: quæ finem non habet, sed est in æternum, & vltra. Sed quid prohibet grandem affectum intelligere hominis volentis, omninoque parati in æternum custodire, si hic in æternum viuendum esset: imò & parati in æternum viuere, vt in æternũ seruet? Solet enim affectus in mensura contra mensuram audere. O affectus ardens, & exundans: ô propositum immensum, seque supra mẽsuram extendens. Dolet de breuitate vitæ, nec eam metitur in desiderio; sed delectatur in eo, quod subinde recogitat: quia si huic finis imponitur, aderit illa post peregrinationem, in qua sine fine Deo perfectè placens, legem voluntatemque illius, altiori prorsus modo absorptus in eũ perfectissimè seruet.

Et præparatio animi in omne tẽpus.

45 Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.

Via mandatorum lata, & angusta.

SI via mandatorum est, quæ ducit ad vitam, de qua Dominus ait. Arcta est via, quæ ducit ad vitam, quomodo Propheta canit se ambulasse in latitudine, quia mandata Domini exquisiuit? Nimirum via Dei lata est, & spatiosa; sed caro, & sanguis angustat illam, asperat, & spinosam

Matt. 7.

sam reddit. Percurritur & in latitudine, id est, in lætitia cordis, de qua dictum est. Quantæ autem misericordiæ sit ambulare in latitudine, docet eorum miseria, qui ambulant vias difficiles : lassantur in via iniquitatis : errant à veritate, nec sol oritur eis : vt illi apud Sapientem conquerẽtes, & gementes euenisse sibi pœnitentia sera fatentur. *Sup. ver. 32.* *Sap. 5.*

46 Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum: & non confundebar.

CVr enim confundatur, cum loquatur testimonia Dei, quæ sanctissima, & rectissima sunt? quæ lucidissima, animas conuertentia, quæ immaculata, & à tanto legislatore sancita? Cur confundatur, qui ex meditatione, & obseruatione diuinę legis illud consequitur, vt vtramque portam, vnde verè confundi poterat, occludat hosti, qui confusionem nostram solicitè, & sine intermissione procurat, cupiditatem scilicet, & timorem? Qui nihil optat, nihil metuit, loquitur cum fiducia, loquitur sine confusione. Loquebatur cum fiducia Ioannes in conspectu Herodis Regis : loquebantur & Martyres in conspectu Regum. Denique verba Domini eiusmodi sunt, vt ab amante in quouis periculo taceri non possint. Vnde & quit. *Psal. 18.* *Timor, & cupiditas portæ cõfusionis.* *Marc. 6.* *Zelus tacere nescit.*

Cap. 20. Ieremias, qui videns populi duritiem statuerat iam non loqui amplius. Factus est, inquit, in corde meo quasi ignis exæstuãs, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens. Loquitur & sine confusione, qui facta dictis adæquat. Alioqui (vt ait S. Ambrosius) ipsa obmutescit facundia, si ægra sit conscientia.

Non confunditur qui dicit, & facit.

47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

Dilectio delectabilia facit mandata.

VOx Hebræa meditabar, significat deliciabar: qua ostenditur, non vtcumque illum meditatum fuisse legem, sed magna cum delectatione, & spirituali gustu. Nec verò id mirum, sed subditur statim causa, cum additur (Quæ dilexi) Quæ enim diligimus, cum gaudio, & delectatione meditamur. Eant nunc vani filij hominum, & mendaces in stateris: eant & conquerantur, nec latitudinem se in hac via, nec delectationem experiri; sed contra difficultates, anxietates, spinas, & punctiones. Sed ipsi, quia non amant, hæc afferunt sibi: quemadmodum in Isaia scriptum est. Orientur in domibus eius spinę, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius: & erit cubile Draconum, & pascua struthionum. Perpende quam sit dispar vtrorumque conditio. Vt verò caritas crescat, quæ delectationem in his parit, mi-

Psal. 4. & 61.

Isai. 34

nuc

nue cupiditatem. Terrena, ac temporalia veluti inanem fumum, & cassam vmbram contemplare, & vt in momento transitura contemne.

48 Et leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.

LEuaui primò ad opus, & exercitatione. Non enim remissas habui: & quasi sub ascella, quod de pigro testatur Salomon, eas posui, ne ad os quidem applicare audens, ne & illud mihi exprobretur, Vsquequò piger dormies? quando consurges à somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus. Potius sectandum mihi vidi, quod subijcitur. Si verò impiger fueris, veniet, vt fons, messis tua, & egestas longè fugiet à te. Non enim dormientibus, prouenit regnum cælorum; nec otio, desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur: sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus.

Leuandæ manus primo ad opus.

Prou. 19. & 26.

Prou. 6. & 24.

S. Leo ser. 2. & 5. *de Epiph.*

Secundò leuaui manus quasi ad altiora, quia mandata sublimia sunt. Non enim ea attingerem, si in terra reperem; & pulmentum, serpentis panem, comederem. Ergo vt ea apprehendam, eleuandæ sunt manus. Dominus quippè sublimiorem do-

Secundò ad sublimia.

Isai. 65.

Matt. 5, Gen. 1. ctrinam in Monte, quo turba non ascendit, Discipulis tradidisse legitur. Denique aues, & volatilia ex aquis ortum duxisse identidem cogitandum est; vt, qui ad sublimia volaturi sunt, à copiosis lacrymis ascendant. Nam & vir sapiens, qui ascensiones in corde suo disponit, *Psal. 83.* in valle lacrymarum disponit, vt peruenire quandoque possit ad montes gaudiorum.

Tertiò, adorationem.

Tertiò, dicimur leuare manus ad orationem, vt Apostolus meminit: Volo viros orare leuantes puras manus: quod in *1. Tim. 3.* Scripturis est frequentissimum. Ostendit igitur Propheta legis obseruationem assidua oratione impetrãdam: quia nequaquã assurgit homo ad Dei præcepta implenda, nisi ab eo eleuetur. Et S. Dionysius Areopagita elegantissima similitudine ostẽdit, *De diu. nom. c. 3.* Orationem esse veluti pulcherrimum funem, aut lucidissimam cathenam è cælo demissam: quam & si homo quasi ad se trahere videtur, re vera tamen ipse per eam ad superiora trahitur. Nec alienum ab hoc loco est meminisse, quod Sapiens ait. Stelio manibus nitiur, & moratur in ædibus *Prou. 30.* Regis. Videant igitur, qui sibi fidunt, qui legis custodiam aliũdè, quam ab oratione sperant, Videant, inquam, quid faciant. Verè enim effodiunt thesaurum, vbi non est, & stulto labore consumuntur: cum contra die, ac nocte manus tendendæ sint, vt id impetremus. Sumus quippe habitan-

Oratio cathena, per quam tollimur in altum.

tes

tes in scopulo aridissimo, spinas tantum, & tribulos germinante, vbi nihil nascitur boni, nisi aliunde, id est, è cælo aduehatur. Nauicula autem, quæ illuc pergit, & cum commeatu, atque alimentis remeat, oratio est. Quem si promptam, & facilem habeamus, poterimus & ipsi veluti cum classe Salomonis aurum Ophir, & pretiosissima quæque nobis afferre.

Et nauis è cælo cõmeatum afferens. 3. *Reg.* 10.

Quartò, est etiam eleuatio manuum forma quædam iurandi, vt Abraham ait. Leuo manum meam ad Deum excelsum: & alibi sæpè. Quod si ita accipiamus eleuare manus ad mandata, idem erit atque id, quod infra dicitur. Iurauí & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Quod enim iuramus, id diligentissimè, & sanctissimè custodimus.

Quartò. leuantur manus ad iurandũ.

Sed omnibus his modis leuari non possent manus, nisi is antea pro me leuasset, qui, cum olim præ Maiestate diceret. Leuabo ad cælum manum meam, & dicam, Viuo ego in æternum: quique in eleuatione solij æterni, nec Cherubim, neque Seraphim cõsortes habẽs, postea tamen in humilitate consortes dignatus habere lationes, tota die manus suas ad populum non credentem extendit: haud dubium quin in Cruce: vbi & manus in cornibus, scilicet pretiosi ligni, & cornua in manibus eius, quibus hostes ventilaret. Eleuatio,

Nõ leuaremus manus, nisi Christus eleuasset suas in Cruce. *Deut.* 32. *Luc.* 23. *Habac.* 3. *Ps.* 43.

Psal. 140. inquit Propheta, manuum mearum sacrificium vespertinum : illud, inquam, sacrificium, vbi idem & sacrificium, vt sacerdos : victima sacerdotij sui, & sacerdos suæ victimæ fuit. Magnum illud sacrificium ab initio promissum, vespertino tempore, id est, in fine redditum, virtute sine fine mansurum. Illud est eleuatio manuum mearum, per quod & remissas attollere possim, & sublimia apprehendere. Vnde & ipsa manuum eleuatio in oratione grata fit, & suauis velut incensum. Quã suauis odor, qui mystico thure orationis, & meritorum Crucifixi nobilis redditur? Confiteantur tibi Domine Iesu Sacerdos altissime, omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi. Confiteantur tibi misericordiæ tuæ, & mirabilia tua filijs hominum, qui per velamen, id est, carnem tuam in sancta egressus es, Patrem repropitiaturus. Quippè cælestia melioribus hostijs, quam legalibus mundanda erant; vt vna oblatione consummares in sempiternum sanctificatos : & consummatus ipse fieres omnibus causa salutis æternæ, cum iureiurando Sacerdos à Patre constitutus. Confitear & ego tibi de medullis meis miserationes tuas : & de sanguine cordis mei per lacrymas confessionis diebus, ac noctibus sacrificetur tibi.

S Paulin. epist. 5. ad Seuer.

Psal. 144.

Psal. 106.

Hebr. 10.

Psal. 109.

Iam verò facta eleuatione manuum, & præeunte dilectione, facilè fit, quod sequitur.

tur. Et exercebor in iustificationibus tuis. Pulcherrimus ordo iste, inquit S. Ambrosius, vt primò meditemur: & eorum præceptorum, quæ diligimus, sit nobis assueta meditatio. Meditatione enim mandatorum cælestium operis boni vsus inolescit. Et paulò pòst. Subiecit, inquit, Propheta, Eleuaui manus meas ad præcepta tua, quæ dilexi nimis, (sic enim ipse legit) post meditationem etenim bonum est leuare actus nostros ad præcepta Dei, atque id facere cum caritate, & gaudio, vt non ex necessitate sit bonum nostrum. Et infrà. Qui autem meditatur, & diligit, & actus suos leuat, vt faciat, quæ placeant Deo, is debet non negligere, nec transcurrere mandata diuina, sed exercere se in his, immorari plurimum, iustificationes Dei crebrò reuoluens solicitæ mentis affectu.

Ex dilectione meditatio.

Ex meditatione opus.

Ex opere exercitatio.

1 Zain, id est, Hæc.

Octonarius Septimus.

49 MEmor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.

51 Superbi iniquè agebant vsquequaque : à lege autem tua non declinaui.

52 Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine: & consolatus sum.

53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55 Memor fui nocte nominis tui Domine: & custodiui legem tuam.

56 Hæc facta est mihi: quia iustificationes tuas exquisiui.

49 Memor esto verbi tui seruo tuo, in quo mihi spem dedisti.

Meminisse Dei est facere.

NOn potest obliuisci Deus, sicuti nec meminisse, quia ipse sibi intellectus est, & oculus semper videns.

Dicitur autem meminisse, quando facit, quando liberat, quando nos benignè intuetur: sicuti obliuisci, quando deserit; & tentari, aut tribulari permittit vnde dicebat Propheta gemens.

Psal. 12. Vsquequò Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? & alibi.

Exur-

Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem. Vsque adeò autem verba promissionis, & consolationis, per quæ nobis spes non fallax tribuitur, statuit, & multiplicat, vt dicat fieri non posse, vt obliuiscatur nos multò minus, quam vt sedula mater infantuli sui. Et item, habere se nos in manibus descriptos. Quod autem in manibus descriptum est, semper ob oculos versatur, vt obliuioni minimè tradi possit. Hoc autem verbo firmissima nobis spes datur.

Psal. 43. Quã memor Iustorum Deus.

Isai. 49. 16.

Qui enim repromisit, veritas est. Quocirca tenendam spei nostræ confessionem indeclinabilem Apostolus monet.

Heb. 10.

Deinde potentia est, cui subest, cum voluerit posse: & qui omnia opera sua exquisita in omnes voluntates suas faciet.

Psal. 110.

Bonitas est, quæ non solum possit, sed etiam velit: imò adijcit, quod oratio nõ præsumit, faciens supèr id, quod petimus, aut intelligimus.

Non ergo aut fallaci promissione nititur, aut super arenam fundatur spes, cuius fundamentum verbum Dei est, hoc est ipsa illius promissio, qui deficere non potest.

Quam etiam interdum seruis suis iureiurando confirmauit, sicut in repromissione Abrahę dictum est. Per memetipsum iuraui. Et ad Dauid. Semel iuraui

Gen. 22.

Psal. 88.

in

in sancto meo, si Dauid mentiar, vt iure hoc loco subiungat.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum vi-uificauit me.

HAEc, id est, hoc. Carent enim neutro Hebræi. Hoc ergo, vel hæc res, nimirum promissio tua consolata est me in humilitate mea, id est, in afflictione, & humiliatione. Quid ni cõsoletur suo verbo nos, cum solus & verè amare nouerit, & mederi possit? Quanta autem hominis humiliatio, & quam multiplex quis explicet, quis vel longissimè disputans exequatur? Humiliat corpus, quia onerosum est, & animam grauat, ac deprimit: locus quia exilium: tentatio, quia inquietat, & vrget: hostis, quia insidiatur: infirmitas, quia labitur: persecutores, quia infestant: vt tota ipsa vita hominis, quæ à Iob militia, vel tentatio nominatur, non minus verè humiliatio dici possit: ac meritò confiteatur quis. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea. Quippe adeò humiliatus est homo ob naturæ debilitatem, aduersitates, & contemptum, in quem incidit; vt etiamsi aliqua in hac vita blandiantur temporalia, omnia humilitas sint. Nam ipsemet, vt flos

Miseria hominis quanta.

c. 7.

Psal. 93.

Iob 2.

egre-

egreditur, & conteritur, & fugit velut vm-
ra; imò, vt quidam Græcorum Poetarum *Pindar.*
apienter addidit, vmbræ somnium est. *Pyt. Od 8.*
Quo quid humilius, quid abiectius? *Psal. 38.*

Sed luculenter id explicat psalmus, cum
it hominem in imagine, id est, in appa-
entia potius, & vmbra, quam in verita-
e rei solidæ pertransire: & proximè cun-
a breuiter complexus. Vniuersa vanitas *Psal. 38.*
mnis homo viuens. Quasi omnis homo
vniuersa vanitas: in quo quicquid est
anitatis, & miseriæ collectum sit. Et addi-
ur in Hebræo, Sela. Quæ vox, missis mul-
is, quæ de illa disputantur, præsertim à D.
ieronymo ad Marcellam, duo notat.

Primum, si interpreteremur, semper, vt Sela in
quila, idem est, ac si dicamus, verum, sta- psalmis
ile, fixum, quod dictum est: alterum, re- quid.
uocandam esse attentionem; & id, quod
ictum est diligentius reuoluendum. Ergo
nobis, cum dicimus hominem esse vni-
ersam vanitatem, profundius meditan-
um est. Hanc verò hominis infirmitatem Res hu-
verbis, & exemplis Scriptura docet. Nunc manæ quã
idem naues humanæ negotiationis, & viles.
minissimarum rerum ministras per con-
uptum, vt interpretari licet, vasa papyri
pellans, fortè, vt memores ludicrarum *Isa. 18.*
atium, quas papyraceas per ludum pue-
olent fingere, intelligeremus, quæ vo-
ntur in viris negotia, magis nomine à
erorum ludis distare, quam re. Nunc

muni-

Nau. 3. munitiones firmissimas grossis ficuum comparans, qui statim vix excussa arbore in os comedentis decidunt. Nūc flori de-

Iob 14. cidenti: nunc somnio magnates, ac Prin-

Psal. 72. cipes assimilans: nunc habitatores pilæ

Soph. 1. totius orbis homines appellans: quasi vniuersa hæc terrarū moles pila lusoria videatur. Exemplis autem, cum Reges potentissimos AEgypti Muscis, & Ranis ebul-

Exod. 8. & 10. lientibus Dominus compescuit. Nunc locusta, & brucho, & Cyniphe populos humilians. Nunc Nabuchodonosor poten-

Dan. 4. tissimum quōdam Regem in bestiam agri redigens, & rore cæli conspersum cum feris, & bestijs in campis atterens. O Regem inclytum, qui vinctus ferro, & ære in herbis tandem cum feris pabulum habuit, & per septem annos fœnum, vt bos, come-

Maxima hominū miseria peccata. dit. Sed super omnia peccata, & infirmitates humanæ, & tentationes, atque quotidiana de via æterna periclitatio hominem humiliat. Quanta humilitas cœcitas mentis: tarditas ad bonum, pronitas ad malum? & cetera huiusmodi, quę facilius miserabili experientia discimus, quam narrando enumeramus. In hac ergo omnimoda humilitate, quæ consolatio esse

Ps. 12. possit, nisi promissio Domini, & auxilium eius, qui suscitat de puluere egenum, & de stercore erigit pauperem? Ab hac itaque quasi morte (quid enim nisi responsum mortis inter hæc constituti habere possu-

mus?

mus?) eloquium Dei, & promissio illius viuificat: vt per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus. *Rom. 15.*

51 Superbi iniquè agebant vsquequaque: à lege autem tua non declinaui.

AGebant iniquè, vel vt me sic à lege tua abstraherent, vel certè, vt conturbatum, & anxium non sinerent meditari, quæ tua sunt. Alios ipsa peccantium vel sola exempla peruertunt, sed nulla me exempla pellicere, nullæ deterrere minæ, nullæ vexationes compellere potuere, vt declinarem à lege tua: nec mente quantumuis anxia, & perturbata ab ea meditanda abstrahi me sum passus. Constantia insignis.

52 Memor fui iudiciorum tuorum à seculo Domine, & consolatus sum.

AB initio nascentis mundi superbos disperdens mente cordis sui, de sede illos deponens, & exaltans humiles, tuos iustodiens, non permittens homines nocere eis, & corripiens pro eis Reges, iudicia tua ostendisti: quorum memor meritò consolatus sum. Nam lucem vultus tui, & protectionem in tuos non possum sine san- Exempla diuinę tutelæ. *Luc. 1. Ps. 104.*

sanctæ spei thesauris intueri. Quid enim

In Abraham. Gen. 11. 20. & 22. suadet recogitatus Abraham, nunc de fornace Chaldæorum eductus: nunc cum peregrinaretur in Gereris apud Abimelech Regem, de carissima vxore periclitatus: nunc heredem filium non habens: nunc eum, postquam tandem susceperat, in spem contra spem credens, immolaturus in monte? En mille modis tentatus, & periclitatus dextera manu tua protectus est: & semen illius non solum in propagine carnis, sed multò magis in electorum progenie, qui sectantur vestigia fidei illius, arenæ maris, & stellis meritò comparatur.

Et Isaac. Gen. 26. 28. Quid Isaac? siue cum à Patre alligatus super struem lignorum ad immolationem petitur, sed Arietis mysteriò inter spinas hærentis, qui Christum præsignabat, liberatur: siue cùm & ipse pro vxore in Gereris, & in puteorum effossione tentatur? De

Et Iacob. Gen. 32. Gen. 27. Iacob in omni peregrinatione eius, de periculis à fratre Esau, de visione scalæ, & Angelorum ascendentium, & descendentium, de occursu castrorum Dei, de primatu natalium, & benedictione prærepta quis non

Et Ioseph. Gen 37. & 39. Ps. 108. miretur? Sed omnem admirationem superat historia Ioseph. Quanta passus à fratribus? quanta per calumniam impudicæ mulierculæ? quanta in carcere cum ferrum pertransijt animam eius, donec veniret

Gen. 41. verbum Domini? Quomodo per somnia seruatus, & AEgypti Dominus factus est: ita

ita vt absque eius imperio nec manum, aut pedem in omni terra AEgypti quisquam moueret! & super fratres ipsos tantem, quod tantopere illi prohibere conati erant, dominus constitutus, eosque sibi infensos, atque hostilia molitos, & impetio terruit, & alimentis pauit; & adoratus ab ijs est; & demum eos clementissimè, nec sine lacrymis amplexus suscepit: Quid Iob? Aquam multis miserijs ad quantam itenum prosperitatem euectus est? vt in illo & patientiæ documenta, & diuinæ prouidentiæ experimenta haberemus? Quod & B. Iacobus Apostolus ijs, qui patiuntur, considerandum proponit. Ecce, inquit, beatificamus eos, qui sustinuerunt. Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis (intelligo autem finem Domini, quem ille tantæ tragœdiæ contulit, ac si dicat, considerate quid Iob passus sit, quid Dominus in illo præstiterit) quoniam misericors Dominus est, & miserator. Nisi quis malit ipsius Domini IESV consummationem in Cruce, & consecutam inde celebritatem, & gloriam proponi. Et ita si mentem per generationem, & generationem traduco, inuenio (vt Matathias dixit) quia omnes qui sperant in eo, non infirmantur. Hæc sunt ergo iudicia, quæ summam mihi consolationem pariunt, quod videam per varios casus, & discrimina semper te tuos, quasi pupillam oculi tui custodisse. Inde

Gen. 42.

Et Iob.

Iacob 5.

1. Mach. 2.

tam

tam vehemẽter populum admonet Moyses. Memento dierum antiquorum: cogita generationes singulas: interroga Patrẽ tuum, & annuntiabit tibi maiores tuos, & dicent tibi. Deut. 32.

53 Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

HEbræus, tremor, vel horror. Sed significantius dictum est, defectio, quasi deliquium, animi defectus, & virium languor. Non enim qualiscunque tristitia occupat seruum Dei cogitantem peccatorum transgressiones, sed omnino defectus animi. O quid facit caritas? Non enim pro sua vel iniuria, vel læsione cõtristatur, & ita grauiter contristatur, sed pro legis dissipatione. Deficit autem & horret.

Peccata sunt Iusto causa dolores.

Primò, quia contemnũtur Dei mandata.

Primò propter ipsam mandatorum suauitatem, & dulcedinem, quam non intelligi à peccatoribus vehemẽter excruciatur. Vt, si quis gemmam pretiosissimam, sibique carissimam videat ab ignorantibus, & non cognoscentibus, tanquam lutum æstimari atque conculcari.

Secundo, quia Deus inhonoratur.

Secundò, quia Deus inhonoratur: quod illi insanabile vulnus est. Fieri enim non potest, vt quis Deum diligat, & de eius contumelia non ex animo afficiatur. Si enim

enim Abisay, filius Seruiæ non potuit patienter ferre contumelias, & maledicta, quæ Semei in Regem Dauid irreuerenter iaciebat, sed dixit. Quare maledicit Canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius. Quid faciat vir sanctus, cum Dominum totius Maiestatis, & omnium factorem, atque conseruatorem, ita tractari viderit? 2. Reg. 16.

Deinde, quia maximum ipsis peccatoribus malum est. Caritas autem de proximi malo dolet ex animo: &, quo maius fuerit malum, eo magis dolet. Itaque eadem vna caritas, quæ de Deo neglecto dolet, dolet & de proximi malo. Et non diuersa in nobis, sed vna dilectio est, vt ait S. Leo, quando & seruum seruire, & Dominum cupimus imperare. Tertiò, ob damna peccantium. Ser. 5. de Ieiun. 7. mens.

Postremò, quia cernit non solum illos suo fine frustrari, sed etiam ipsum Deum: qui ideò legem dedit, vt remuneret (Nam transgressores punire iustitiæ est) sed malet Dominus non esse, quos puniret, sicut scriptum est. Nunquid voluntatis meæ mors impij, & non magis, vt conuertatur, & viuat? Quis ergo, si sensum Dei habet, non horreat, imò non deficiat, cum viderit Deum contemni, proximos peccando in terrum, ac sempiternum cadere malum; & denique suo fine, talique fine, quod in ipsis est, insipientissimè frustrari? Quartò, quia & ipsi peccatores, & Deus quodammodo fine suo frustrantur. Ezech. 18.

54 Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.

Ipsa lex Iusto pro solatio.

ECce non modo grauia non sunt, sed canticum sunt suauissimum ipsa præcepta Dei: siue, quia homo spiritualis canit, alijsque prædicat iustificationes ipsas: siue, quia canticum, & oblectamentum ipsimet sunt, quæ aures, & animum dulcissimè mulceant. Sed vbi: In loco, inquit, peregrinationis meæ. Considera vbi sumus, & quæ adiumenta præparat nobis Dominus: quę non solum instruant nos in via, & dirigant; sed etiam peregrinationis fastidia alleuent, cordis aures mulceant, & quasi perpetua delectatione confirment. Quæ miseria, quis stupor iucundissimis huiusmodi adminiculis, & leuamentis non vti? Quæ verò Christianorum in ore sonare cantica debent, nisi diuina? sicut Ephe-

Epheſſ. 5. Coloſſ. 3.

sios, & Colossenses Apostolus cohortatur, vt doceant, & commoneant semetipsos psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus suis Deo. Sed ignorant hoc canticum surdi, ignorant muti, qui diuinas laudes nec audire possunt, neque cantare. O miseram conditionem nostram. Qui surdi omnino non

Pſ. 57.

sunt, vt minimum quasi surdastri obturatas

tas habent aures, si non cauda aspidis, saltem terra, atque luto; vel certè defluxionibus capitis, & pernicioſis humoribus impeditas. Purgandæ aures sunt, purganda lingua, sed antè omnia cor, vt & audire canticum Domini, & decantare valeamus.

ס Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodiui legem tuam.

NOminis dictum est pro ipso Domino, ac si diceret, Memor fui tui. Quod frequentissimum in Scripturis est. Vt, In nomine Dei nostri magnificabimur. Et, In nomine eius sperauimus. Et, Ostendam tibi omne bonum, & vocabo in nomine Domini coram te: cum Moses cuperet videre ipsum Dominum. Verè enim qui videt eum, videt omne bonum: & nomen Domini apparet, cū ipse se ostendit. Videtur autem mihi nomen non solum significare maiestatem, & gloriam, sed etiam & quandam reuerentia, & amore ita vsurpari. Ex reuerentia quidem, quasi non audeant sanctiviri nominare eum, qui ineffabilis est, & alioqui ipse sibi nomen est. Quemadmodum & Tetragrammaton ex reuerentia syllabis propriis proferri non solet, quia ineffabile: vnde & ἀνεκφώνητον dicitur: nec pronuntiatur, sed legitur Adonai. Ita Regius Psaltes ait se memorem

Nomen Domini, id est Dominus. *Psal.* 19. *Psal.* 32. *Exod.* 33.

uerentiã.

fuisse nominis Domini. quod tamen nec substantiam ipsam Dei explicat, sed aliquid adumbrat, tamen ne sic quidem proferre audeat. Amor autem exprimitur, cum Propheta dicit. Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Et in Exodo ab ipso Domino dicitur. Hoc nomen mihi est in æternum : & hoc memoriale tuum. Vult enim perpetuam nominis sui esse memoriam. Sed vox זכר non solum memoriam significat, sed & odorem, quasi dicat, Solus odor, & memoria nominis tui excitat me, & confortat. Est quippe oleum effusum, quod suo odore currere adolescentulas, id est, animas faciat. Oleum, inquam, animam totam perungens, totam sanans, totam penetrans, totam confortans, totam vivificans, totam rapiens, totam transformãs. D. Hieronymus decem ponit Dei nomina ex Scripturis, quæ varias in simplicissima essentia proprietates significant.

Et amorem.
Isai 18.
Exod. 3.
Cant. 1.
Epist. 136. ad Marcell.
Dei nomina decem.

Primum, El.

Primum est El, quod Spetuaginta Deũ vertunt. Aquila Fortem, etymologiam sequutus transtulit.

Secundũ, Eloim.

Secundum Eloim, & tertium Eloe, quæ ex El, deriuantur, ac proinde idem sonant.

Tertium, Eloe.

Quartũ, Sabaoth.

Quartum Sabaoth, id est, exercituũ, vel virtutum, vel ornatuum : quia Angelorum, & Virtutum Dominus, ac militiæ cælestis, id est, ornatus stellarum factor, & arbiter est.

Quin-

Quintum Helion, quod excelsum so- Quintum,
nat, & habetur in psalmo nonagesimo, Helion.
Qui habitat in adiutorio Helion, siue Al-
tissimi.

Sextum Qui est, vt Mosi dictum est. Sextum,
Sum, qui Sum. Et Moses ipse. Qui est, Qui est.
misit me. Ipse enim solus est, qui im- *Exod 13.*
mutabiliter, & independenter idem est.
Quam in sententiam memini me legisse
apud Eusebium Cæsariensem, qui ex Plu- *Lib. 11.*
tarcho refert, in Delphici templi propyleis *de præp.*
vbi scriptum erat. Nosce te ipsum, item *Euang c.*
scriptum fuisse, Es. Quod Plutarchus ipse 7
sic explicat, tanquam Dei vox ad homi- *Plut. lib.*
nes, qui ad ipsum accedunt, sit. Nosce te *de ?.*
ipsum, & homines, vbi se nihil esse co-
gnouerint, vicissim ei respondeant, dicant-
que. Tu es, id ei, quod maximè Deo con-
ueniat, tribuentes.

Septimum Adonai, quod Dominum Septimũ,
valet. Adonai.

Octauum Ia, quod fortè ab esse deduci- Octauum,
tur, & habetur extrema syllaba in dictione Ia.
Alleluia, Laudate Dominum.

Nonum Tetragrammaton, & Ineffabi- Nonum,
le, quod per quatuor literas scribitur, & Tetragrã-
mysterio iam predicto non pronuntiatur. maton

Decimum Saddai, quod sufficientem Decimum
significat ad omnia: seu melius, sibi soli Sadaai.
sufficientem, qui nullo indigeat, omnibus
superesfluenter abundet: quod solius Dei
est. Quæ omnia, si simul ponantur, à adu-

Spes ex cõsideratione horũ nomi num.

brant nomen Domini, in quo speramus, & cuius in nocte recordamur, spem nobis maximam ingerere totius misericordię, & felicitatis ab eo consequendæ. Nam & fortis est, & potens; vnde subest ei, cum voluerit, posse: & Deus, quod omne bonũ complectitur: & Deus exercituum, cui cælestis militia obsequitur, vt & hostes prosternere, & amicos tueri nullo negotio possit: cui & Angeli obediunt, & omnis cælorum ornatus, steliarum, Solis, & Lunæ ad nutum seruiunt. Idem excelsus est, quò malum appropinquare non possit: vt, qui apud eum commorantur, in tuto habitent: nec ad ipsum pertingere quisquam, nisi erectus, & tractus ab eo vllatenus valeat. Et, cum sit, qui solus, & verè est, ac fons totius Essentiæ, & Esse, inanitatem nostram, qui semper ad nihilum tendimus, participatione sui ipsius, quasi guttulas quasdam ex infinito pelago suæ deitatis aspergens, pro modulo, & mensura, quam ipse partitur, aliquid esse facit, tribuens singulis pondus, numerum & mensuram. Quod autem & Dominus sit, magnam seruis fiduciam præstat, qui sub tanto Domino nihil debeant reformidare. Ia verò Tetragrammati nominis pars est, vt quasi pro captu nostro se se demittens suauius capiatur. Iam Tetragrammaton illud ineffabile, si ab esse deriuatur, vt nonnullis placet, idem significat, atque

Sap. 12.

Sap. 11.

Qui

Qui est. Sed non absque rationabili causa fatemur nos videre illud sub caligine, quę apud Beatum Dionysium significat lucem inaccessibilem. Postremò sibi soli sufficiētem illum esse, hoc docet, quod honorum nostrorum non indiget. Vel, vt in Hebræo est, quod bonum nostrum non ad illum. Quo fit vt & bona nostra humiliter ex illius dono cognoscamus, & ab eo fidenter, quicquid rectè volumus, petamus. Neque enim timendum est, ne ille in sua largitate deficiat, cui, quod donet, deesse non potest. Quis ergo in tanta nominum maiestate, & tot appellationum thesauris, vt Nazianzenus appellat, non omnino cōsolationibus affluat, sciens, quicquid de Deo dicitur, in suas vtilitates redundare? Quam ob rem rectè dicit: Memor fui nocte nominis tui Domine.

Ep. 5. ad Doroth.

Psal. 15.

Sed, Memor fui nominis (ait Ambrosius) plena deuotio est. Hoc nomen inuocetur diebus, ac noctibus. Nullum tempus precandi vacuum sinat sancta deuotio prę-terire. Si studentes igitur doctrinis secularibus perparum somno indulgent, quanto magis, qui Deum cupiunt cognoscere, nō debent somno corporis impediri? Hæc ille. Imò addit nocte maximè id faciendum quia tenebræ operiunt nos, & pericula tentationum ingruunt: ac proinde tum maximè orandum Dominum præsidia postulanda, & cauendas illecebras, nec som-

Semper inuocandum nomen Domini.

Et nocte potissimū

no indulgendum, nisi quantum necessitas
Iliad. 2. postulet. Scimus autem & Homerum profanum alioqui Poetam, introducere quẽpiam per somnium monentem Agamemnonem Regem, non licere hominem consilij tota nocte dormire. Sed memoria Domini fortius excitat nos, vt non immeritò
Cant. 5. Sponsa glorietur in Canticis, se non totam dormire. Ego, inquiens, dormio, &
Epist. 22. de cust. virginit. ad Eustochium. cor meum vigilat. Et S. Hieronymus asserat. Sanctos ita dormire, vt etiam somnus illis oratio sit. Et infra Dauid profiteatur. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Poterit etiam, qui volet per noctem intelligere tribulationes, & tentationes, quod non est infrequens in Scripturis, dicente etiam Propheta. Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. His enim tẽporibus Dei meminisse maximum munimentum, & perfugium est suauissimum. Nec dubiè memoria continua Dei acerrimus stimulus est ad custodiam legis diuinæ, vt optimè coniungantur hæc duo, Memor fui nocte nominis tui, & custodiui legem tuam.

Et nocte tribulationis.
Mich. 7.

Et quia vicissim siue Dei memoria, siue spes in nomine sancto eius ex amore prouenit, & inquisitione mandatorum, conuenienter adiungitur. Hæc facta est mihi, id est, hoc cõsecutus sum, vt scilicet memor essem nocte nominis tui, & custodirẽ legẽ tuam, quia iustificationes tuas exquisiui.

7 Heth, id est, Vita.

Octonarius Octauus.

57 PORtio mea Domine, dixi custodire legem tuam.
58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.
59 Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in testimonia tua.
60 Paratus sum, & non sum turbatus: vt custodiam mandata tua.
91 Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.
62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super iudicia iustificationis tuæ.
63 Particeps ego sum omnium timẽtium te: & custodientium mãdata tua.
64 Misericordia tua Domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.

57 Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.

DVplicem sensum habere potest hic versus. Alter est, ô Domine, qui es portio mea, ego dixi, id est, statui, ac promisi custodire legem tuam. Alter est, Domine, ego dixi, portio mea, & hereditas est custodire legem tuam. In priore sensu magna Dei dignatio, hominum esse partem, & hereditatem: magna hominis dignitas, partem habere talem. Dominus, inquit, pars hereditatis meæ, & calicis mei. Et verè funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hereditas mea præclara est mihi. Cetera quippe omnia nec sunt, nec verè esse possunt hereditas hominis.

Solus Deus vera hominis hereditas. *Psal. 15.*

Primò, quia cetera homine inferiora. *Conf. l. 13. c. 8.*

Primò, quia inferiora sunt omnia: beamur autem necessariò melioribus, & sublimioribus, quam nos simus. Quam ob causam S. Augustinus ita Deum alloquitur. Nam & in ipsa misera inquietudine defluentium spirituum, & indicantium tenebras suas nudatas veste luminis tui, satis ostendis, quam magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo satis esse potest ad beatã requiem quicquid te minus est; ac per hoc, nec ipsa sibi.

Secundò, quia solũ imagoeo-

Secundò, quia homines imagines tantum rerum temporalium famelica cogitatione lambunt. Vtinam saltem fatiga-

ren-

rentur inedia, ac dicerent, Quis ostendet nobis bona? Audirent enim respondentem, Signatum est super nos lumen vultus tui: audirent monentem, Quærite quod quæritis, sed ibi non est, vbi quęritis; beatam vitam quæritis in regione mortis? nō est illic. Quomodo enim beata vita, vbi nec vita?

rum attingitur. *Aug. cōf. l. 9. c. 4. Psal. 7.*

Tertio, quia non intrant ad cor, vbi est quod beandum est: vt fames, & sitis non sedantur, nisi cibus, & potus ad interiora intret, vbi indigentia est.

Tertiò, neque res ad cor intrant.

Quartò, quia sunt volatica, nec stant, sed transeunt. Hic est modus eorum: eunt vt non sint: & quo magis tendunt vt sint, eo magis propinquant, vt non sint. Proinde elegantissimè D. Augustinus. Nunquid ego aliquò discedo, ait verbum Dei? Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda quicquid inde habes anima mea, saltem fatigata fallacijs veritati commenda quicquid tibi est à veritate: & non perdes aliquid, & reflorescent putrida tua, & sanabuntur omnes languores tui, & fluxa tua reformabuntur, & renouabuntur, & constringentur ad te, & non te deponent, quo descendunt, sed stabunt tecum ad sēper stātem, ac permanentem Deum.

Quartò, sunt fugaces. *Conf. l. 3. c. 11.*

Alter quoque sensus plenus dulcedine est, & insignem erga Dei legem affectum ostendit, cuius custodia pro hereditate, & patrimonio sit. Quem affectum verbis S.

Epist. ad Aprum.

Paulini de Christo loquentis explicare placet. Sibi habeant, inquit, literas suas Oratores, sibi sapiẽtiam suam Philosophi, sibi diuitias suas diuites, sibi regna sua Reges; nobis gloria, & possessio, & regnum Christus est, nobis sapientia in stultitia prædicationis, nobis virt⁹ in infirmitate carnis, nobis gloria in Crucis scandalo: quo mihi mundus occiditur, & ego mundo, vt viuam Deo, non autem ego, sed in me Christus. Hæc S. Paulinus. Idem autem est pro hereditate, & portione sua sibi legis Dei custodiam, & Christum assumere. Atque ita vterque hic sensus in idem recidit, quia cuius portio est custodia legis Dei, eius sine dubio Deus est portio. Hæc autem qualis hereditas sit, magnificentissimè, vt solet, & venustissimè Ambrosius explicat. Cui portio Deus est totius possessor est naturę. Pro agris igitur ipse sibi satis est, habens bonũ fructum, qui nunquam possit perire: pro domibus satis est sibi: vt sit habitatio Domini, & Templum Dei, quo nihil potest esse pretiosius. Quid enim protiosius Deo? Et mox. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est. Illius nomen tibi munificũ, illius nomen tibi est fructuosum: illius nomen tibi tributa dependit, & bona tributa, non pecuniæ, sed gratiæ. Portio tua non ariditate siccatur, non imbre diluitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur. Per diem Sol non vret te, neque Luna per-

Qualis sit hereditas Deus. *S. Ambr.*

Psal. 120.

no-

noctem. Serua portionem, quam elegisti. Ea est enim portio, quam terrenæ partes æquare non possunt. Quid enim est, quod conferri possit his, de quibus Deus dicit, *Apoc. 21.* Et inhabitabo in his. Quid magnificētius hospite cælesti? Quid beatius possessione diuina? Et deambulabo, inquit, in his. Alij queruntur de sui ruris angustijs: in te Deo est ampla possessio, in quo deābulare se dicit, hoc est latæ spatia habitationis inueniens qui terram includit manu. Sic enim scriptum est. Quis mensus est manu *Isai. 40.* aquam, & cælum palmo, & vniuersam terram clausa manu? Cui mundus angustus est, tu ei ampla es Domus. Hæc Sanctus Ambrosius hoc loco. Quibus simillima, & sanè quam splendidissima quæso vt videas epistola eiusdem octogesima secunda.

Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundùm eloquium tuum.

Facies Patris Christus.

ALiqui Christum Dominum per faciem intelligunt, qui est facies Patris: & hoc verissimum est. Eo enim maximè desiderio tenebatur Propheta. Duobus autem modis in hec sensu intelligo. Altero, vt precari faciem, sit ipsum Dominū, pro re aliqua orare; & precatio sit quod sequitur, Miserere mei secundùm eloquium

tuum. Altero, vt ipsa facies, id est, conspectus Dei sit id, quod ardenter postulatur. Vtrumque autem in toto corde faciēdum est. Nam non frigidè, nec segniter postulanda est misericordia: & facies ipsa Dei toto desiderio quærenda, & expetenda est. Quippe & in hac vita illius aspectus anxiè quærendus est; & in alia sine dubio ei toto adhęrebitur corde, cum beatitudinis summa in facie eius videnda sit posita. Sed vtrouis modo facies Dei quæratur, siue hic per contemplationem, siue ibi per manifestam visionem, oculus diligentissimè est mundandus, quo ea videri possit. Siquidem, Beati mūdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Qui ergo videre desiderat, puritati cordis acquirendæ diligenter inuigilet: quod per sui met curiosam inuestigationem, & examinationem curandum est. Vnde & subdit.

59 Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.

Examinā-da con-scientia.

EXamen conscientiæ, & fructus hoc versiculo apertissimè continetur. Nam cogitare vias suas nihil est aliud, quam seipsū accuratè explorare, ac perscrutari: fructus verò, quod sequitur. Conuerti pedes meos in testimonia tua. Ad hoc enim quisque

Primò, tollenda mala.

peruestigare se, & examinare debet, vt vias suas corrigat, & conuertat pedes suos in testimo-

stimonia Dei. Sic enim deflere mala debemus, quæ admittimus; vt manu sanctę solicitudinis abstergamus. Quamobrem B. Gregorius. Quia sine peccato, inquit, electi etiam viri esse non possunt, quid restat, nisi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non desinit, euacuari quotidie conentur? Nam, qui quotidie non exhaurit, quod deliquit, etsi minima sunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei meritò auferunt fructum internæ saturitatis. *Greg. l. 2. in lib. Regum.*

Secundò, subtiliter bona à malis debemus discernere, ne fallamur. Nam, vt supra ex eodem Doctore dictum est, virtutibus vitia ita contigua sunt, vt sine peculiari Dei lumine, & attentissima inspectione sæpissimè fallamur. Secundò, Bona vera dinstinguenda à falsis.

Tertiò, etiam perpendendum est an ipsa bona perfectius fieri potuissent? Sunt enim innumeræ conditiones, & circumstantiæ, varij gradus, & non pauca rerum momenta; vt, cum bonum ex integra causa consistat, defeciſſe nos in multis, etiam cum rectè agimus, deprehendere facile possimus. Tertiò, videndum an perfectius fieri potuerint.

Quartò, intentio præ omnibus excutienda. Quippe scriptum est. Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Et, Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ex quo S. Bernardus tractans illud. Pulchrę Quartò, exploranda intentio. *Matth 6. Ser. 40. in Cant.*

sunt genæ tuæ. Duo quædam, inquit, in intentione, quam faciem animæ esse diximus, necessaria requiruntur, res, & causa, id est, quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus animæ vel decor, vel deformitas iudicatur. Vt, verbi causa, anima, quæ ambo ista recta, atque pudica habuerit, illi meritò, veraciterque dicatur, Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis.

Quintò, radices defectuū.

Quintò, radices etiam defectuum non oscitanter perueſtigandæ sunt; quando & Dominus acutissimo oculo pedum nostrorum radices considerat: vt Septuaginta transtulerunt, quod in Iob legimus. Vestigia pedum meorum considerasti. Non enim abscindi amaritudinis vel surculi, vel fructus poterunt, nisi securis ad radicē arboris ponatur. Non poterit autem poni, nisi radix ipsa, quæ euellenda est, solicitè quæsita, & inueniatur, & in apertum proferatur.

Iob 13.

Sextò, cōparandus profectus & defectus.

Sextò comparare etiam, & conferre debemus nosmetipsos nobis, vt profectus, & defectus, profectibus, & defectibus, tempus tempori, infirmitatem infirmitati, virtutem virtuti componamus. Quis enim explicet quam multis modis delinquimus? Aut enim per ignorantiam, aut per obliuionē, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis singulis diebus vel inuiti, vel volentes pec-

Cass. coll. 20. c. 11.

Septē cul parum genera in quæ etiā Sancti cadunt.

peccata incurrimus. Pro quibus & Dauid orans Dominum, purificationem, atque indulgentiam deprecatur, dicens. Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo. Hæc Cassianus, qui pulchrè alibi fere eadem non minus elegãter, pauloque explicatius sic posuit, ostendens, viros etiam sanctos in eiusmodi septem lapsuum generibus (tot enim enumerat) non rarò cadere. Aliud est enim, inquit, admittere mortale peccatum; & aliud cogitatione, quæ peccato non careat, præueniri; vel ignorantiæ, aut obliuionis errore, aut facilitate otiosi sermonis offendere; aut ad punctum in fidei theoria aliquid hæsitare; aut subtili quadam cenodoxiæ titillatione pulsari; aut necessitate naturæ aliquantisper à summa perfectione recedere. Igitur, qui recta vult progredi, necesse est, vt identidẽ ponat cor suum super vias suas: &, vbi se aliquid aberrare cognouerit, continuò pedes in viam mandatorum, & testimonia diuina conuertat. *Psal. 18.* *Coll. 22. c. 7. & 13.*

60 Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.

FESTINAVI, & interturbatus, vel distractus non sum. Hæc enim significant verba Hebræa. Vbi aduertere est, & alacritatem in festinatione, & attentissi-

Constantia iusti.

tissimam curam, atque constantiam in eo, quod dicit se non fuisse turbatum, aut solicitudinibus distractum. Talem quippe oportet esse legis Dei obseruatorem, vt, quæ facienda viderit, alacritate spiritus, & feruore non differat: neque contradictionibus siue externis, siue internis aut perturbetur, aut cedat. Sic sancti viri non solum in angustijs Dominum exquisierũt, sed etiam in tormentis. Nec turbati sunt, nec perterriti, quia caritas omnia vincit: quia fortis vt mors dilectio, superat omnia: quia dura, sicut infernus, æmulatio cedere nescit: quia denique lãpades ignis, atque flammarum, nec extingui tribulationum aquis, nec obrui fluminibus possunt. Ergo tuta legis custodia est, vbi caminus feruet amoris, quia Dilectio custodia legum Dei est.

Sap. 6.

61 Fũnes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

Memoria legis liberat à laqueis.

PEccatores homines, & legis tuæ inimici; vel etiam peccatores, inuisibiles hostes, qui incentiua exaggerant ad peccandum, quasi quibusdam funibus circumplexi sunt me, & rete expanderunt gressibus meis, vt me caperent; non tamen efficere potuerunt, vt legem tuam obliuiscerer: sed potius memoria eius, quam

Prov. 29.

num-

nunquam deposui, illęsum me inter huiusmodi pericula custodiuit. Cuius enim in corde lex Dei est, non supplantabuntur gressus eius. *Psal. 36.*

62. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuæ.

SCriptum quidem est in libro Sapientiç, præueniendum esse solem ad benedictionem tuam: sed amor, & desiderium in pectore meo clausum appropinquantem solem expectare non potest. Media nocte non solum memor eram nominis tui, nō solum meditabar in te requiescens in stratomeo, sed surgebam ad confitendum tibi. Quod autem dicitur, Media nocte. *Sap. 16.* Nocte laudādus Deus.

Primum indicat etiam ipsam mediam noctem, & tenebras occasionem esse remiscendi Dei. Ipse etenim, vt notat Sanctus Chrysostomus, quasi pia mater velum noctis filio in cunis degenti ad quietem clementer expandit: vnde suis versibus, quorum B. Augustinus meminit, S. Ambrosius hanc Dei clementiam celebrat, inquiens. Primō, ob beneficiū noctis ipsius. *Lib. 2 de cōpunct. Conf. lib. 9. c. 12.*

Deus creator omnium,
Polique rector, vestiens
Diem decoro lumine,
Noctem soporis gratia.
Artus solutos vt quies

Red-

Reddat laboris vsui:
Menteſque feſſas alleuet,
Luctuſque ſolutis anxios.

Secundò, ob cōmoditatem temporis. *Ser 86. in Cant.*

Secundò, oſtenditur commoditas nocturno tempore orandi: de qua S. Bernardus. Quam ſecura, inquit, aſcendit de nocte oratio, ſolo arbitro Deo, ſanctoque Angelo, qui illam ſupernō altari ſuſcipit præſentandam! Quam grata & lucida verecundo colorata rubore! quam ſerena, & placida nullo interturbata clamore, vel ſtrepitu! Quam denique munda atque ſincera nullo reſperſa puluere terrenæ ſolicitudinis, nulla aſpicientis laude, ſeu adulatione tentata.

Tertiò, quia ſemper egemus Deo.

Tertiò, apparet neceſsitas ſiue laudis, ſiue ſubſidij, quod indigentiam noſtram leuet. Cunctis itaque horis: atque momētis vtrumque fieri debet. Alterum beneficijs Dei debemus, quibus vbique, ſemperque fruimur; vt nec tam frequenter, iuxta Nazianzenum, ducere ſpiritum debeamus, quam Dei noſtri, atque beneficiorum eius meminiſſe. Alterum debemus infirmitati noſtræ, quia per ſingulas horas, præſertim nocte, vt notat Ambroſius, tentationibus pulſamur, contra quas præſidia conquirere, & orationis arma corripere neceſſe eſt. *Or. 1. de Theolog.*

Studium diuinæ laudis.

Quartò, deſiderium oſtenditur diuinæ laudis flagrantiſsimum: quia, vt dictum eſt, non modo ſolem præuenit, ſed valde præ-

præuenit. Et, dum alij ſtertunt, & quaſi mortis imagine redduntur inutiles, ipſe in laudes Dei ſeipſum excitat, vt nullo tempore ſiue mens, ſiue os eius à Dei laudibus ſileat.

Perpetua opportunitas alloquendi Dei.

Tandem oſtenditur perpetua opportunitas alloquendi Dei: quod maximum eſt beneficium, & conſideratu iucundiſsimũ. Ad Reges mortales quam difficiles aditus ſunt? quam ſagaciter odoranda, & captanda tempora? quam patienter expectanda, vt eorum copia fiat! Sæpè eorumdem quies, & humanæ neceſsitates aditum miſerorum precibus intercludunt. Non ita Rex noſter. Non dormitat ille, nec dormit. Vbique nobis, & ſemper vacat. Semper ad eum patet acceſſus, non modò nullo miniſtrorum impediente, verum & Angelis, & ipſo Domino inuitante. Quauis hora nobis libellos ſupplices porrigere licet, & in eius ſinum noſtras neceſsitates deponere. Neque aut lumine indigent oculi eius, qui videt in abſcondito, & ipſe lumen eſt indeficiens: aut ſopitæ ſunt aures, cui ſilentium loquitur. Non enim qui plantauit aurem, non audiet: aut qui finxit oculum, non conſiderat: ſed oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum.

Pſal. 120.

Pſal. 93.

Pſal. 33.

63 Parti-

63 Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

HEbraicè, coniunctus, socius, copulatus. D. Augustinus, id ex persona Christi Domini dictum interpretatur: de quo & Apostolus loquitur. Quia communicauerunt pueri carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Et Propheta. Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, vel consortibus tuis. Et vicissim de nobis dicit Apostolus. Participes enim Christi facti sumus. Quæ coniunctio tanquam membrorum cum Christo capite fons nobis est bonorum omnium. Sed ex hac participatione alia emanat, vt simus inuicem membra. O quid facit cõpaginatio in vno corpore? viuificatio ex vno spiritu? Omnes vnum corpus sumus, & arctissimo nexi vinculo, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Quanta dignitas? Quale gaudium? Quam sublime, quam amplum exigit pectus, mẽbrum esse Christi atque in eodem corpore Prophetis, Patriarchis, Apostolis Martyribus esse concorporeum? vt excellenti participatione, si quid patitur vnum membrum, compatiantur omnia membra: vt & in hac vita operum, ac dignitatum Sanctorum participes simus, & in alia eiusdem gloriæ consortes? Vide quid faciat hæc vnitas.

Heb. 2.

Psal. 88.

Heb. 3.

Dignitas ex cõmunicatione Sanctorũ.

1. Cor. 10.

1. Cor. 12.

Quan-

Quantum est, & quale participem esse Petri: participem esse Pauli? vt etiam infirmi quique, modo in Ecclesia permanentes, & caritate coniuncti, perfectissimis copulentur? Sic B. Gregorius illud interpretatur, quod Iob filiabus inter fratres hereditatem dederit, & partem. Ipsæ ergo (inquit hic Sanctus de animabus loquens) ex perfectorum merito speciosæ memorātur: ipse etiā quasi ex imperfectorum typo velut infirmæ hereditatem inter fratres accipiunt. Vsus namque vitæ veteris non habebat, vt hereditatem feminæ inter masculos sortirentur, quia legis seueritas fortia eligens, infirma contemnens, districta potius studuit, quam benigna sancire. Sed pio nostro Redemptore veniente nullus infirmitatis suæ cōscius, de sortienda cælestis patrimonij hereditate desperet. Pater enim noster inter masculos etiam feminis iura successionis tribuit; quia inter fortes, atque perfectos, infirmos, & humiles ad sortem supernæ hereditatis admittit. Vbi & Petri, & Pauli, & Sanctorum omnium gaudiū nostrum erit. Quam sublimes diuitiæ, quam inexcogitabiles thesauri? Quia enim Sācti in Patria magis de diuina gloria, quam de proprio gaudio gaudent, in quo plus glorificatur Deus, quia maiori gloria fruitur, in illo plus etiam inferior gaudet, & tanquam proprium bonum, sed perfectius, & sublimius in gloriam Conditoris refert.

Lib. 35. mor. c 24. Iob 42.

64 Misericordia tua Domine plena est terra

Plena terra gratia Christi.

PLena (inquit S. Ambrosius) per Passionem Domini nostri Iesu Christi, quia omnibus est data remissio peccatorum. Super omnes Sol oriri iubetur. Et hic quidem Sol quotidie super omnes oritur: mysticus autem Sol ille iustitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit. Vel certè misericordiæ diuinæ plena est terra, quia Domini est terra, & plenitudo eius: ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. Etenim per Ecclesiam in omnes gentes diffusa est misericordia Domini: in omnes gentes diffusa est fides. Quam magna misericordia, remissio peccatorum? Quam magna, donorum cælestium gratia? Quanta plenitudo, in terra regnum cælorum?

Plena operibus Dei. *Psal. 23.*

Iustificationes tuas doce me.

Psal. 93.

TV qui doces hominem scientiam. Tu qui mentes illuminas singulorum, & claritatem cognitionis infundis, si modo aperiant ostia cordis sui, & cælestis gratiæ recipiant claritatem. Tu doce me iustificationes tuas, quia tu es vera iustitia. Tu doce, quæ sapienter dicta sunt, quia tu

es

es sapientia. Tu aperi cor meum, quia aperuisti librum signatum, quem nullus ante aperire potuit, Misericordia tua plena est terra. Quicquid vsquam est, è tua misericordia, imò tua misericordia est. Aperis tu manum tuam, & imples mare, & terram, & cælum, & omnia benedictione. Rogo & ego Domine vnam à te misericordiam, Iustificationes tuas doce me. Omnibus rebus id tribuis, quod ad statum, & perfectionẽ earum pertinet; doce & me iustificationes tuas, vt & ego implear in omnem plenitudinem tuam.

Apoc. 5.

ט Teth, id est, Bonum

Octonarius Nonus.

65 BOnitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundùm verbum tuum.

66 Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67 Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

68 Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

69 Mul-

69 Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

70 Coagulatum est, sicut lac, cor eorum: ego verò legem tuam meditatus sum.

71 Bonum mihi, quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.

72 Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti.

65 Bonitatem fecisti cum seruo tuo Domine, secundùm verbum tuum.

Benignitatis diuinæ nomina.

QVid ni bonitatem faciat, qui totus bonus, imò ipsa bonitas est? Proprium est illi bonitatem facere, sicut & verè bonum esse. Hanc bonitatem, quia vnica voce, vel vnica sententia promere non potest, variis Scriptura vocibus, & proprietatibus quasi per partes delineat, nec exprimit, sed adumbrat. Nunc bonitatem, vt hic, & alibi frequentissimè. Nunc benedictionem, vt ibi. Imples omne animal benedictione. Nunc misericordiam. Misericordia Domini plena est terra. Nunc dilectionem, nunc indulgentiã, vt apud Isaiam. In dilectione sua, & indulgentia sua ipse redemit eos. Nunc clementiam, vt quoniam clementissimus est, de eo potius, quam de rege quocunque dictum accipiamus à Sapiente. In hilaritate vultus Re-

Psal 144.

Psal. 32.

Isai. 63.

Prou. 16.

Regis vita : & clementia eius quasi imber serotinus : Nunc suauitatem. Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt. Nūc dulcedinem. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? Quæ ipsa absconsio dulcedinē dulciorē reddit. Significat enim abscondere, condere, asseruare. Qua voce etiam in Cantico amoris vtitur Sponsa, dum ait. Omnia poma noua, & vetera seruaui, seu abscondi tibi, Dilecte mi. Habet enim Deus quasi penu, & promptuarium dulcedinis, vnde ad manum habeat semper eam proferre nobis. Imò si dicere fas est, ipse sibi pro nobis penu, & promptuarium dulcedinis est. Nam si licuit Isidoro Pelusiotæ Timotheum quendam, sanctum quidem virum, sed tamen humuncionem vocare βιῶν φιλανθρωπίας. καὶ τέμενος ἀμιξότητος, id est, penu humanitatis, & mansuetudinis templum, cur non magis merito vocemus Deum penu, aut thesaurum immensum dulcedinis? Interdum etiam scriptura bonitatem Dei (quod affectus misericordiam, & suauitatem perfectius indicat) appellat viscera. Quomodo conqueritur Isaias. Vbi est multitudo viscerum eorum? Sed in tanta mellis copia non est aculeus, quo simul pungamur, & exacuemur, cum idem Psalmographus, postquam dixisset Domino. Cum Sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens

Psal. 134.

Psal. 30.

Cant. 7.

Lib. 2. Ep. 151.

Isai. 58.

Psal. 17.

eris, & cum electo electus, subdit, Et cum
Psal. 17. peruerso peruerteris, id est, cum homine
peruerso durius ages, & lenitate paulisper
retracta, consilia eius disperdes: vt euntes
Psal. 1. discamus, quid sit. Seruite Domino in ti-
Phil. 2. more & exultate ei cum tremore. Et item.
Cum timore, & tremore vestram salutem
operamini.

Benignitas Dei erga seruos.

Sed quod amplius hanc bonitatem, & suauitatem Dei commēdat, illud est, quod sequitur. Cum seruo tuo. Quippe cum homine seruilis, & abiectæ conditionis. Nam si te suauem fratri, filio, vel sponsæ exhiberes, quæ omnia diuina tua dignatione nos efficis, non miraremur. Nunc autem etiam cum seruo bonitatem communicare magnæ amabilitatis, magni amoris indicium est. Accedit ad cumulum consolationis, quod huius te suauitatis & sponsorem exhibes, & debitorem. Hoc enim sonat secundùm verbum tuum, id est, secundùm promissum. Quia enim nemini quicquam debes, ipse te non tam nobis, quam tibi ex tua pollicitatione debitorem exhibes: vt per duas res immobiles, id est, bonitatem tuam, & promissionem fortissimum solatium habeamus, qui ad anteoram spei confugimus.

Ad quam etiam ipse Deus obligat se.

66 Bonitatem & disciplinam, & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

TV quidem Domine bonitatem, seu suauitatem fecisti mecum, & tamen eam doceri simul cum disciplina, & scientia postulo. Bonitatem, & suauitatem cum proximo, Disciplinam mecum, Scientiam erga te. Hæc enim tria & mandatis tuis custodiendis necessaria sunt, & ex mandatorum custodia hauriuntur. Bonitas, & suauitas erga proximum maximè necessaria est, quæ ex ipsa communione naturæ, & socialis vitæ instituto exhibēda est: quoniam ex nostra infirmitate compatimur ad subueniendum indigentibus: vt habeāt germina vnumquodque semen iuxta genus suum, vel secundùm similitudinem. Sic enim legit, & allegoricè explicat S. Augustinus. Et sanè quid suauitatis à te expectare possit, qui durus erga proximos fratres suos, filios tuos esse cognoscitur? Debet potius quisque, quam abs te recepit, suauitatem in proximos refundere: vt oleo misericordiæ exuberās gloriari possit. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Domini. Quid enim si Oleaster, imò syluestris arbor progenita est, nunquid non in bonam oliuam inserta est, cum surculum

Suauitas erga proximum.

Gen. 1.

Conf. l. 13. c. 17.

Psal. 51.

caritatis, & supernaturalis dulcedinis accepit?

Disciplina erga se.

Ergo sic impinguatus, & oleum stillans in proximos, debet & disciplinam habere erga se. Custodiam quippe, & disciplinam quisque sibi necessariam videt, si videt. Est autem disciplina correctio, & eruditio, & solicitudo se ipsum seruandi, vt à malis abstineat, à voluntate sua auertatur, ab excrescentibus inutilibus surculis se repurget, ad Domini semper se voluntatem dirigat. Nec prætereundum est vocem Hebræam טעם, quam interpres transtulit disciplinam, significare gustum, & saporationem: quo innuitur, non quācumque disciplinam esse optandam, sed quæ ex intimo sensu, & affectu boni proficiscatur, & quæ discretione saporum vnumquodque sapere faciat id, quod est. Quam saporationem, & discretionem gustus in primo parente perdidimus, sed tua Domine in primis gratia, & nostra accurata diligentia reparamus: quia, sicut auris verba dijudicat, sic fauces comedentis saporem, vt inquit B. Iob. Hanc verò eruditionem, quam Græci παιδίαν quasi puerorum institutionem, &, vt ita dicam, dolationem appellant, initio non esse gaudij, sed mæroris Apostolus asserit ad Hebræos: postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.

Iob 12.

Hebr. 12.

Scientia

Iam verò suauitatem cum proximis, disci-

pli-

sciplinam erga se, consequitur scientia de te, & erga te, vt incipiam cognoscere mirabilia de te, & magnalia tua acutius introspicere; Qualia sint iudicia tua, quam recta, quam suauia intelligere: quali erga tuos sapientia, & prouidentia vtaris, manifestè cognoscere. Hæc igitur eo modo & ordine postulo, vt doceas me, quia mandatis tuis credidi: & æquum est, vt quandoquidem exortum donasti, dones & incrementum. de Deo, & erga Deũ.

67 Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.

BOna humiliatio, quæ peccatis aditum obstruit: bona humiliatio, quæ viam ad eloquia custodienda parat: amplectenda afflictio, quæ tales fructus germinat, fructus veræ sapientiæ, & dulciores super mel, & fauum. Exiguum enim, inquit scriptura, in opere illius laborabis; & cito edes de generationibus illius. Ita erudis nos, & flagellis instruis disciplina. Vexatio enim dat intellectum auditui: & multi in flagellis, & disciplina domini facti sunt sapientiores, qui in prosperis desipiebant. Si autem intelligamus non humiliationẽ, qua atterimur, sed humilitatem, qua docemur, etiam sic, imò multo magis & mala declinamus, & tua eloquia custodimus. Quia- Humiliatio vtilis. *Psal.* 18. *Eccl.* 6. *Isai.* 28.

Iob 6. re peto dulcissime Pater, vt affligens me dolore non parcas, nec sermonibus tuis contradicam, modò paternè erudias, & instruas me. Sed vehementius oro spiritum humilitatis mihi donari, quo norim te, no im & me. Quo mala defleam, quæ humilitatis defectus minora suggerit; bona studiosissimè conquiram, quæ humilitatis Isai. 5. profectus maiora ostendit. Sic enim sæpe delinquo, si nō bonum malum, & malum bonum ponens, tenebras lucem, & lucem tenebras, saltem maiora minima, minima magna reputans. Adesto lumen veridicum vt etiam tenebræ loquantur mihi.

68 Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.

Deus bonus simpliciter.

BOnitatem prædicaueram, bonitatem doceri postulaueram. Nunc verò bonum te prædico, bonum simpliciter, & essentialiter. Dicimus enim bonam domum, bonam possessionem, bonam terram, bonos Gen. 1. cælos; bona Solem, Lunam, & Stellas: & denique quicquid feci sti, vidisti quod bonum esset. Sed quantum est hoc ad te totius boni bonum, bonum simpliciter, & totius boni fontem? Quod nomen Theologi, vt asserit S. Dionysius, summæ Deitati peculiariter ex omnibus applicant, ipsam tuam substātiam bonitatem appellantes.

c. 4. de diuin. nom.

Et

Et qui eo ipso, quod es bonum, & substantiale bonum, in omnia, quæ sunt, prætendis bonitatem. Nam quemadmodum sol iste visibilis, eo ipso quod est, illuminat omnia, quæ pro modo suo participationē lucis admittant; ita summum tu, & ineffabile bonum, solem non secus, atque obtusam imaginem primitiua excellenter forma superans, ipsa tua substantia, libera tamen voluntate, omnibus, quæ sunt, pro captu cuiusque totius bonitatis inijcis radios: qui & à creatura intellectuali, & rationis tū capace, tum experte miro modo participantur; vt tam plena sit terra bonitate tua; quam plena possessione. Eo enim quod sunt, possessio tua sunt. Quippe esse non possent nisi ex te, & in te essent. Bonitas Dei in creatione rerum.

Sed excellentius apparet bonitas, in operibus gratiæ, in sanctificandis, & beandis Angelis, & hominibus. Quam boni speciem etiam in Angelos, & homines diffundis, cum benignitatis, & bonitatis tuæ radios, quasi silentio nuntiantes infundunt, & ad inferiores mirabili caritate deriuant, vt eos ad te summum principium reuocēt. Sed super omnia, Domine Iesu, qui verè, ac summè bonus es, beatissimos radios tuos alto cordi in silentio excipiamus: & ab ipsis illustrati ad diuina tua, & benignissima opera contuenda inardescamus. Nā tametsi ineffabilis bonitatis est, quod, quæ non erant, subsistere voluisti; & quod Clariorin operibus gratiæ.

ca omnia, quæ sunt, ad esse produxisti, longè tamen bonitatem tuam luculentius explicat, quod à te auersos, ac resilientes amatoriè sequeris; contendisque, ac deprecaris, ne te ij deserant, quos tanta vi amoris inquiris. Hac igitur bonitate fretus, nihil mirum, sic oculos audeo attollere, & vocem leuare, vt in bonitate tua doceas me iustificationes tuas.

Epis. 8. ad Demophilum.

In Dei bonitate spes nostra.

Hæc enim vox, Bonus es tu, & vocem continet confessionis, & laudis, qua bonitatem tuam deprædico: & simul fiduciam, cui innixus peto, vt me doceas iustificationes tuas: & simul etiam modum, quo instrui peto, nempe in bonitate tua. Non enim auderem petere, nisi quia bonus es. Hæc est tota fiduciæ meæ ratio, non quia sanctus sum ego, non quia merui, sed quia tu bonus es.

Cupit doceri primò suauiter.

Peto etiam doceri in suauitate. Scio namque, quod doceas interdum tribulationibus, & tentationibus, vt vexatio det intellectum auditui. Scio, & pro his etiam gratias ago, quoniam sic erudis me, & vias meas lapidibus quadris concludis, sepiens vias meas spinis, & sepiens eas maceria, ne, etiamsi cupiam, deuiem. Sed magis peto, quandoquidem bonus es, & suauis, vt in bonitate tua doceas me. Nosti enim docere, & instruere, & illuminare etiam suauitate, quia mitis es, & humilis corde: quia & lenis es, & vnctio tua docet nos:

Isai. 28.

Thren. 3.

Osee 2.

Matt. 11.

nos: sicut scriptum est. Vnctio eius docet vos de omnibus. 1. Io. 2.

Sed & alio modo cupio doceri in suauitate, vt ipse suauis sim. Quæ tamen suauitas tua est, quia munus tuum est. Nō enim frustra ait Apostolus. In scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto. 2. Cor. 6. Ergo cupio omnibus in dulcedine spiritus esse suauis, ac dulcis, vt dicere possim & ipse cum Sponsa. Dilectus meus descendit in hortum suum, vt comedat fructus dulcium pomorum suorum. Cant. 5. Hi sunt fructus spiritus, caritas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Gal. 5. Hi sunt fructus suauitatis. Et ipsa tibi anima fructus dulcedinis est, quæ veluti pomum in feracissima, ac diuinissima Crucis arbore diu pendens, ex illius radice succum hauriens, radijs tuis, id est, cælestis solis excoctum suauissimè non solum absque comeditur, sed à proximis manducatur. Quid enim dulcius, & fragrantius quam anima; quæ omni acerbitate depositā, hoc modo mitigata, ac veluti matura rore misericordiæ imbuta, pietatis visceribus affluens, prona compati, subuenire prompta, ignoscere facilis, irasci difficilis, vlcisci penitus non acquiescens, proximorum, æquè vt proprias, respicit necessitates & omnibus omnia se se facit: vt omnes lucrifaciat Christo? Omnis in vobis, inquit, 1. Cor. 9.

Secundò, suauitatē.

Quæ gratissima est Deo, & proximis.

Ser. 12. in Cant. Bernardus, qui fraternas infirmitates tam corporum, quam animorum non solum patienter supportat; sed insuper, si licet, & si valet, iuuat obsequijs, confortat alloquijs, consilijs informat. Si hoc per disciplinam non potest, solicitis saltem orationibus solatiari non cessat infirmo. Omnis, inquam, qui talia operatur in vobis, bonum omnino spargit odorem inter fratres, & odorem de vnguentis optimis. Balsamum in ore huiuscemodi frater in congregatione. Monstratur digito: & dicunt de eo omnes, Hic est fratrū amator, & populi Israel. Hic est, qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate.] Nec immeritò non solum alienæ consolationi, sed propriæ alacritati consulens, in bonitate, & suauitate doceri cupio.

2. Mac. 15.

Docetur propriè qui discit.

Doceri autem cum dico, discere dico. Nemo enim propriè docet, & discipulus nihil discit. Loqui potest, illuminare potest, exhortari potest; sed, si ille non discat, docere non potest. Propriæ verò alacritati consulo, quia sine tua suauitate segnis, & tardus pro mea infirmitate sum: nam præ arentis animi languore, atque hebetudine mentis, de suauitate spiritus, aut nihil, aut parum sentio. Et, si quid operor, siue contra tentationes inuigilo, siue recogito annos meos in amaritudine animæ meæ, siue resisto vitijs, siue lectioni insisto, aut orationi incumbo, totum de consuetudine

Ber. ser. 9. in Cant.

Isai 38.

dine constat, de dulcedine nihil; vt prorsus ad suauitatem spiritus tui, anhelans osculari me petam ab osculo oris tui: in cuius tactu perfusis labijs pinguedine gratiæ specialis, sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis te laudet os meum. *Psal. 62.*

69 Multiplicata est super me iniquitas superborũ: ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua.

QVam multiplex, quam importuna, quam molesta sit hæc superborum iniquitas, id est, præcipuè malignorum spirituum, nouit omnis, qui in spiritu ambulat. Aduersus quam iniquitatem nullũ efficacius perfugium, nulla turris fortior, quam scrutari mandata tua: sed scrutari in toto corde. Sic enim & ipse statueris mihi turris fortissima: vnde mille clypei pendent, & omnis armatura fortium, aduersus quam frustra omnia tela nequissimi ignea iaciuntur. Et sagittæ paruulorũ fiunt plagæ eorum. Tu enim es robur meũ, petra mea, propugnaculum meum, & liberator meus, Deus meus, rupes mea, clypeus meus, cornu salutis meæ, arx fortitudinis meæ. In quo etiam experior suauitatem, & bonitatẽ, de qua tam multa locutus sum: cui vtinam vel ex parte respondeam. Exigit enim ipsa à me. *In Deo perfugia ab inimicis animæ. Cant. 4. Psal. 17.*

Cui debetur gratiarum actio.

Primò, gratiarum actionem pro acceptis miserationibus, iuxta quod scriptum est. Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.

Psal 12.

Benedictio.

Secundò, benedictionem. Non enim cessat te benedicere, & laudare quicunque recogitat misericordias tuas super se: sed confitetur tibi, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia tua.

Psal. 117.

Magnificatio.

Tertiò, beneficiorum magnificationē, & exaltationem: quoniam beneficia tua magna, frequentia, & innumerabilia sunt, quæ in immeritum contulisti.

70 Coagulatum est, sicut lac, cor eorū: ego verò legem tuam meditatus sum.

Duritiem quæ significent.

QVidam intelligunt incrassatum, induratum, vt duritiam cordis significet. Sed quamuis lac valde coagulatum sit, minus opportunè accipitur ad duritiem significandam. Multa sunt, quæ congruentius duritiem exprimant: quam Scriptura lapidi, silici, adamāti, incudi comparat. Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuā, dicitur Ezechieli. Cor suum posuerunt vt adamantem ait Zachariās. Et in Iob. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus. Hæc & eiusmodi sunt, quæ duritiem aptius significent. Commodius intelligeretur hebetu-

Ezech. 3.
Zach. 7.
Iob 41.

do

do mentis, & quasi crassitudo, per quam fit, vt impij ad diuina intelligenda tardi, obtusi, prorsusque inepti reddantur: quam hebetudinem cordis, & obscuritatem (vt Apostolus vocat, dum ait, Obscuratum est insipiens cor eorum) ipsa inducunt peccata. Sed magis tamen puto, coagulati lactis fieri mentionem, non propter crassitiem, aut duritiem, sed propter commaculatam sinceritatem, & simplicitatē. Quod enim fermentum est conspersioni, hoc coagulum lacti. Quemadmodum ergo nonnunquam fermentum in bonam partem accipitur: quomodo Euangelica illa mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum: & nonnunquam in malam; vt cum Dominus à fermento Phariseorum monet cauendum, & Apostolus præcipit expurgari vetus fermentum: & modico fermento asserit totam massam corrumpi: ita & coagulatur quasi caseus in bonam partem corpus nostrum; & tamen hic reprehenditur coagulum, quia sinceritatem, & puritatem lactis sua commistione corrumpit. Itaque, quoniam iniquitas coagulum est, quo iniquorum corda vtiantur, & se Propheta vitiosis huiusce modi hominibus opponit, hoc videtur dicere. Illi puritatem, & sinceritatem lactis, id est, bonum naturæ, & gratiæ à Deo acceptum, sua iniquitate viciarunt: ego verò legem tuam meditans,

Rom. 1. Coagulū, vt fermē-tum in vtranque partem accipitur.

Matt. 13.

Mar. 16.

1. Cor. 9.

Iob 10.

tuisque mandatis inhærens, simul verba tua, quæ verè lac sunt, & suauiter nutriunt, sincera custodiui, simul me ipsum in sinceritate, & dulcedine, quam contulisti, illæsum seruaui. Plura autem sunt, quæ in lacte considerari possunt aptissimè diuinæ legi, mandatisque respondentia.

Lac legi simile.

Primò, candore.

Primò enim candorem, & splendorem exhibet, quo animos, oculosque hominum in se mirificè conuertit: vnde scriptum est. Lex Domini immaculata conuertens animas.

Psal. 18.

Secundò, sapore.

Deinde suauitatem, & dulcedinem, quo nomine frequentissimè in Scripturis lac cum melle coniungitur.

Tertiò, alimẽto.

Deinde vim habet maximam nutriendi; & paruulis nutriendis aptissimum est. Quod verba Dómini suauissimè præstant. Quo nomine Beatus Apostolus Petrus hortatur nos, vt quasi modo geniti infantes, rationabile, sine dolo lac concupiscamus: si tamen, inquit, gustastis, quoniam suauis est Dominus. Quippe huius lactis dulcedo, & nutrimentum non aliunde, quam de ipsius Domini dulcedine, & vita dériuatur. Vnde antiqua Ecclesiæ consuetudo erat, cuius B. Hieronymus contra Luciferianos, & alij Patres meminerunt, vt egressi de baptismo lactis, & mellis præguſtarent concordiam ad infantiæ significationem. In nouam enim infantiæ ætatem renati infantium lacte Dei suauitatem

1. Pet. 2.

Lac, & mel post baptismũ gustari olim solita

tem deguſtantes, & delicijs affluunt, & nutriuntur. Ad quod etiam nos Iſaias hortatur dicens. Vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius (id eſt, Hieruſalem) vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. *Iſai. 66.*

Nec alia lactis proprietas à proprietate legis Dei diſſidet. Refrigerat enim nimiũ corporis calorem; & acrimoniam, ac ſalſedinem ingenita ſuauitate lenit; vt non ſolum cibus ſit, ſed etiam medicamentum: quod ijs, qui ſanguinem exptuunt maximè conducit. Scimus autem ſanguinem in Scripturis, Patribus omnibus conſentientibus, & peccatum ſignificare, & cõcupiſcentias carnis, quæ diuini verbi lacte ſananturcum acrimonia, & ſalſugo ab Adam inuecta Chriſti Dei noſtri guſtu, & nutrimento reprimuntur. Quod non obſcurè Hæmorroiſſa illa teſtata eſt, quæ ſolo veſtimenti Domini contactu ſanitati eſt mirabiliter reſtituta. Et, quod magis mirere, non ſolum verba ipſa Dei lac ſunt, ſed ex participatione eiuſdem Verbi Dei noſtri, qui per carnem (vt ait Sanctus Auguſtinus) infantiæ noſtræ lactefcere voluit, etiam ſancti viri lac fiunt: vt meritò cordi coagulato, & vitiato etiam ſe ipſum Prophetа opponere poſſit. Quod B. Gregorius in illa verba Iob, Sicut lac mulſiſti me: ſic paucis explicat. Mens etenim noſtra cum per ſancti Spiritus gratiam ab vſu vetuſtæ

Quartò, refrigeratione. *Mar. 5.* *Conf l. 7. c. 18.* *Lib. 9. c. 29. Iob 10.*

con-

conuersationis abstrahitur, sicut lac mulgetur, quia in quadam nouæ inchoationis teneritudine, & subtilitate formatur. Qui pura de lacte spiritualiter, eiusque proprietatibus videre desiderat, habet pulchra apud Clementem Alexandrinum.

l. 1. Pæda. c. 6.

71 Bonum mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

Mali flagellis indurantur.

SI humilitatem pro afflictione, & humiliatione accipimus, & vexatione, qua nos Deus affligi permittit, patet discrimen inter Sanctos, & indisciplinatos, ac duros homines. Hi enim flagellis attriti non ideo purgãtur, sed duriores fiunt. De quibus dictum est. Percussisti eos, & nõ doluerunt: attriuisti eos, & noluerunt recipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti. I a enim malitia illis adhæresçit, vt quasi gluma ab ijs auelli non possit. Quod elegantissima similitudine Salomõ sic explicat. Si contuderis stultum in pila, quasi Ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Quod sub alia similitudine rubiginis significãtissimè Ezechiel depingit. Pone quoque eam, inquit (id est ciuitatem sanguinum & peccatricẽ) super prunas vacuam, vt incalescat, & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentum eius, & consumatur ru-

Ierem. 5.

Prou. 27.

Ezec. 24.

rubigo eius. Multo labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia rubigo eius, neque per ignem. At contra Sancti viri flagellis, & humiliationibus non minus mundantur, quam atteruntur, vt cognoscant bonũ sibi esse, quod fuerint humiliati. Quamuis enim (vt ait S. Ambrosius) humilitas hæc, id est, afflictio, virtus non sit, virtutem tamen sæpe generat: & fit non pœna, sed remedium delinquẽtis. Nam si peccatis tuis tribuas, quod humiliatus es, quicquid acciderit, in te retorques; & ex reo incipies esse iustus, qui te ipse condemnas.] Sic igitur homo ex humiliato fit humilis. Humilis autem lucidius discit, agnoscitque Dei iustificationes. Paruulis enim reuelantur. Et sunt verba Dei profundissima; vt, si non descendat animus, attingi non possint. Descendere autem haud facile potest, nisi humilitatis pondere demittatur. Vnde & Apostolus cum scientiam latitudinis, longitudinis, sublimitatis, & profunditatis non quorumlibet, sed Sanctorum esse dixisset, subdit. In caritate radicati, & fundati. Vides radicem fructus non ferre, nisi in terra abscondatur: nec ædificiũ surgere, aut in altum attolli posse, nisi fundamenta profundè iaciantur. Meritò itaque gloriatur Propheta didicisse se iustificationes Domini, quia flagellis purgatus, & humilitate in ima deiectus, profunda, & mystica potuit penetrare.

Sancti verò mundantur.

S. Ambr. in ver. 67.

Humilitas docilis diuinorum.

Matt. 11.

Ephes. 3.

72 Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.

NEque argentum, neque aurum cum diuina lege vllo modo conferri possunt. Melior est enim Sapientia cunctis pretiosissimis: & omne desiderabile einō potest comparari. Non ergo magnum quid dicitur, cum super millia auri, & argenti suauis, & grata esse perhibetur. Sed quia aurum, & argentum est, in quo confidunt homines, & quod sibi tanquam certissimum præsidium ad omnia cumulant; qui argentum fabricant, & soliciti sunt, nec est inuentio operum illorum, quamuis ea neque pacem, neque sanitatem, neque vitam conferre possint: idcirco illa memorans, quæ errore obcœcati magna putant homines, cum super hæc legem Dei iucundiorem habere se dicit, super omnia dicit, quæ homines magnifacere solent. Quo enim modo magnitudinem sui amoris erga diuinam legem aptius, ad communem vulgi captum explicaret, quam illam sibi dicens bonam, iucundamque super millia auri, argentique pondera esse; cum tamen passim homines cœci, ac miserabiles ei vel lucrum exiguum anteponant?

Prou. 8. Quam pretiosa lex Dei.

Baruc 3.

73

74

75

76

77

78

79

80

od,

¶ Iod, id est, Principium.

Octonarius Decimus.

73 MAnus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.

74 Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quia in verba tua supersperaui.

75 Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.

76 Fiat misericordia tua vt consoletur me, secundùm eloquium tuum seruo tuo.

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea est.

78 Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

79 Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.

80 Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

73 Ma-

73 Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, & discam mandata tua.

MVlta paucis hisce verbis continentur. Apparet enim.

Primò, ingens hominis dignitas.

Secundò, animi gratitudo.

Tertiò, vox confessionis, & laudis.

Quartò, ratio petendi.

Quintò, fiduciæ impetrandi.

Sextò, tum quid à Deo optandum, petendumve sit: tum ad quem finem conditus homo, & plasmatus fuerit.

Sed quod dicit. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Facere ad animam aliqui referunt, quæ immediatè à Deo creatur, & corpori infunditur. Plasmare, ad corpus. Significat enim vox hebræa perficere, formare, consolidare: qua voce vtitur Iob cum ait. Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est? (id est seruum) & formauit me in vulua vnus? Sed hanc formationem, & plasmationem in vtero elegantissimè idem Psalmographus descripsit, cum ait. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, id est, in vtero matris: & substantia mea in inferioribus terræ; id est, neque occultata est à te substantia mea, dum quasi in subterraneo specu materno sinu

Iob. 31.

Mira corporis humani formatio.

Psal. 138.

sinu abscõderetur. Quo loco pro substantia mea, in Hebræo contextu, est vox רקמתו à verbo רקם quod est Phrygiorum more acu pingere. Qua fere voce in eandem sententiam Itali dicimus *raccamare*. Vt Propheta ad significandam diuini operis miram subtilitatem in corporis humani formatione se quasi acu subtilissimè depictum, & ossium contextu, neruorum implicatione, varijsque membris, ac partibus veluti operę Phrygionico elaboratũ profiteatur. Quod B. Iob etiam agnoscit, cum ait. Pelle, & carnibus vestisti me : ossibus, & neruis compegisti me : vitam, & misericordiam tribuisti mihi : & visitatio tua custodiuit spiritum meum. De hac admirabili formatione non solum ex nostris Lactantius libro de opificio Dei, sed etiam ex Gentilibus, Galenus libro de vsu partium egregiè philosophatur. Et de numero ossium ingenti (sunt enim vt Anatomi dicunt minimum trecenta quatuor.) De neruis, venis, & arterijs, musculis : de singulis membris, de vsu, & vtilitate illorum, & quare ita formata sint, mira diuinæ Sapientiæ, & artificis demonstratione loquitur. Præcipuè verò de oculis, quos appellat Soli simillimos : de illorum situ, illorum figura, constitutione, humoribus, chrystallino, vitreo, foraminibus, spiritibus, & ceteris omnibus adeo exquisita

Iob 10.

orp

profert; vt ipsemet homo alioqui minimè pius in pietatis affectum proruperit. Quē, inquit, Conditoris nostri verum hymnum compono: existimoque in eo veram esse pietatem: non Hecatombas sacrificare, sed si nouerim ipse primus, deinde & alijs exposuerim, quenam sit ipsius sapientia, quę virtus, quæ bonitas. Quod enim cultu conueniente voluerit exornare omnia, nullique bona inuiderit, id perfectissimæ bonitatis specimen esse statuo. Et hac quidē ratione eius bonitas hymnis nobis est celebranda. Cur autem Deus hominem ita fecerit miris quidem modis in vtero efformatum, tamen ex terra, lutoque compositum, deinde spiritum immortalem luto coniunxerit: quod & sanctus Ambrosius hoc loco egregiè tractat, sanctus Gregorius Naziāzenus, paucis, vt solet, verbis magna complectens, hunc in modum docet. Creauerat, inquit, Deus inuisibiles Angelos, mētesque puras, diuinitatis ipsius propinquas, intellectu præditas, sola mente intelligibiles. Creauerat & mundum visibilem, terram, cælum, solem, astra: & erant hæc suis finibus contenta, nulla communicatione coniuncta. Voluit ergo tertiam quandam naturam ex inuisibili, & visibili, id est, hominem fabricare, atque ex materia, & intellectuali anima, spiraculum vitæ à se inserens, veluti alterum quendam mundum magnum in paruo collocare

Homo nexus ac velut cōpendium rerum omnium. *Gen 2.* *S Naz ser de natiu. Dom. quæ est or. 38. & or. 2. in Pascha.*

(pul-

(pulcherrimè enim contra quam Plato, & Philosophi censuissent, qui hominem parvum mundum vocabant, ipse magnum in hoc paruo mundo constitutum appellat.) Collocauit in terra Angelum alium, mistum adoratorem, visibilis naturæ spectatorem, intelligibilis mysten. Eorum quidem, quæ in terra sunt, Regem: superis autem subditum: terrenum, & cælestem: caducum, & immortalem: visibilem, & intelligibilem: medium inter magnitudinem, & humilitatem; eundem spiritum, & carnem; spiritum propter gratiam, carnem ob superbiam: illud, vt maneat, ac benefactoris gloriam prædicet: hoc, vt vexetur, ac per vexationes admoneatur; & ob magnitudinem glorians erudiatur, atque castigetur: animal hic gubernatum, atque alio demigrans: Et, quod mysterij extremum est, per animi ad Deum propensionem deificatum.] Vnde alibi idem Sanctus idem nobis euenire dicit, quod alicui, qui citharam pulcherrimè elaboratam, eiusque concinnitatem, ac suauissimum sonum percipiens nil aliud, quam citharæ conditorem, ac citharœdum mente reputat. Or. 34.

Homo magnus mundus.

Porrò quod dicitur. Manus tuę fecerunt me: sanctus Basilius homilia vltima in Exameron, Nissenus orat. 2. de conditione hominis, & S. Ambrosius tum alibi, tum in hunc locum, notant magnum esse, & ma-

Dignitas hominis ex modo suæ conditionis.

magnificũ planè de homine elogiũ, quod à Salomone in Prouerbijs iuxta Septuaginta dictum est: Magna res homo: quod ex eo confirmant, quod in Genesi dictum est. Faciamus hominem, & tamen de firmamento, luce, astris, Sole, Luna, & omnibus quæ oculis cernimus, nihil tale dictum est, sed tantum fiat lux, fiat firmamentum &c. Hominis porro creandi, inquit S. Basilius, quæ fuit formula? Nequaquam dictum est fiat homo, sicut illud, fiat firmamentũ: in creando enim homine quoddam contemplari licet augusti⁹ creatione lucis, cæli, luminarium. Et S. Ambrosius. Cetera dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt: vt homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tanquam laborantis Dei in huius munere creaturæ significetur operatio. Deus quidem expers laboris est, sed tamen Scripturæ verba quid aliud nisi studiosam tui ob gratiam eius operationem ostendunt? Eadem verba perpendit S. Gregorius, & reuerenter pensanda, dicens, causam eorum subiungit: vt videlicet, quia rationalis natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur: quasi per studium de terra plasmatur, & inspiratione conditoris in virtute spiritus vitalis erigitur, vt scilicet non per iussionis vocem, sed per dignitatem operationis existeret, qui ad conditoris imaginem fiebat. Eadem perpendit & Rupertus, quia cum dixisset in cæteris

Psal. 148.

fiat

fiat hoc, aut illud, producat terra, & producant aquæ; in homine creando mutauit vocem suam, tanquam à circuitu terræ, cæli, & maris lassabundus resederit, & inter respirandum in mentem illi venerit adhuc vnum deesse, quod deceret, vel oporteret fieri. Hæc Rupertus humano more de Deo locutus eleganter posuit. Ceterum quod diximus in his verbis. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me, multa contineri, quæ diligentius introspicienti appareant, in lucem iam producēda sunt.

Diximus enim apparere primò magnam hominis dignitatem, quod ex ijs, quæ ex sanctis Patribus retulimus, liquidò manifestum fit: cum videatur etiam secundùm inferiorem partem, id est, limum terræ, cum consilio, & deliberatione formatus: nec Angelorum ministerio, sed Dei manibus plasmatus. Quo inter ceteras creaturas omnes visibiles quid dici, aut excogitari præstantius possit?

Gratitudo ex beneficio creationis.

Apparet deinde animi gratitudo. Quorsum enim id commemorat Propheta, nisi vtsuam trucinans dignitatem, humiliter gratias agat; sequeque, vt figmentum, ad omnia factoris sui iussa exhibeat paratissimū? Quo argumento Mater Machabæorum cū de filiorum martyrio ageretur, efficacissimè vsa est: cum repleta sapientia, atque femineæ cogitationi, vt scriptura loqui-

tur, masculinum animum inserens, sic eos est alloquuta. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis. Neque enim ego spiritū, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem &c. Ac si diceret. Iustè quidem pro eo, & membra omnia, & vitam profunditis, à quo clementer accepistis; vt illi hoc mystico sacrificio reddantur, quæ ab illius largitate profluxerunt.

2. Mac. 7.

Et Laus Dei.

Hinc tertiò erumpit vox confessionis, & laudis. Nam hæc ideò commemorat vt factorem laudet. Neque enim id beneficij, honoris, & gloriæ absque hymno laudis, rememorare anima potest. Quare & Spōsa in Cāticis ad cauernas inuitatur, quasi ad secretiores quosdam animi recessus, ex quibus cauernis resonet illi perpetuò, quod ait S. Bernardus, gratiarum actio, & vox laudis.

Cant. 2. Ser. 62.

Et ratio postulandi,

Deinde hæc ipsa vox. Manus tuæ fecerunt me, rationem petendi, quam allegare possimus, efficacissimam continet. Quid enim apud tam benignum conditorem non postuletur, qui antequam essemus, dedit & vnde petere possemus; cum & esse, & spiritum, & vocem dederit? Puta ergo Psaltem ita dicere. Domine hæc est mihi vnica ratio petendi, quia tuus sum, & abs te sum: nec ab alio intellectum petere, aut possum, aut debeo, quam abs te, qui

qui dedisti ne nihil essem; sed vt mente, atque animo te agnoscere, te interpellare valeam.

Et fiducia impetrādi.

Apparet quintò fiducia impetrandi. Qui enim dedisti, vt essem; & proprijs manibus plasmasti, plasmatum non deseres. Super omnia enim opera tua radios bonitatis emittis: qui ideò creasti, vt essent, quibus tua dona cumulatissimè largiri possis. Ergo postulo in fide nihil hæsitans, ne similis sim fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. *Iac. 1.*

Et quid petendū.

Postremò petitio illa est. Da mihi, intellectum, vt discam mandata tua. Hoc enim à te Deo meo & optandum, & petendum est. Nam quid aliud petam? An quæ iniqui, & magnificiunt, & petere solent? Sed hi meras fabulationes narrant mihi; non vt lex tua Domine. Id peto, quod me tibi obsequentem, gratum, ac deuotum faciat: quod puritatem cordis tribuens ad te videndum aptum reddat; quod casto amore tuo inflāmans tibi totum vniat, atque in te totum transformet. Hic est enim finis, propter quem conditus benignè abs te, & plasmatus honorificentissimè fui. Nunc ergo, quoniam non solum in vētre matris totus in circuitu plasmatus sum, & formatus, sed etiam quotidiana manus tuæ formatione, & reformatione reparādus sum, id ardenter efflagito, vt deiformer, sicut in psalmo scriptum est, *Ps. 138.*

id est, non obscuritate veteris Adæ, sed in luce tua ô sol Iustitiæ, in cuius pennis, & sanitas, & reformatio, & vita est.

74 Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua supersperaui.

Iustus nobile spectaculum. *Psal.* 11. *Psal.* 91. *Psal.* 8.

QVid ni lætentur, cum videant mutationem dexteræ tuæ, pulchritudinem operis tui? Nam si de visibilibus scriptum est. Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Et iterum. Videbo cælos tuos, & opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas, quę tu fundasti: quid ni in hoc opere sanctiori, & sublimiori lætentur; non quidem omnes: sunt enim qui oculos non habent, vnde videant, seu videntes nō vident. sed qui timent te? His & sol iustitiæ oritur iuxta Prophetam, & opera tua manifestantur, vt videntes glorificent te horum mirabilium effectorem. Vident enim me à peccato conuersum, mirabile opus: vident legi tuæ inhærentem, membra possidentem, passiones frænantem, iustitiam, & caritatem impendentem ceteris, te toto corde anhelantem: quæ magna spectacula videntibus sunt, si adsit palatum fidei, cui sapiat mel tuum; quo Ionathæ oculi in prælio, ac lassitudine dulciter illuminantur.

Luc. 8. *Malac.* 4. 1. *Reg.* 14.

Nam

Nam etsi impijs iustus, vt lux clarior ægris oculis, ad videndum grauis est; pijs tamen, & Deum timentibus nihil gratius; per quem etiam conspectum ipsi iustitiæ desiderio acrius inflammantur: eoque in alijs delectātur, quod volunt ipsi in se seruare, si possint. Est enim insitum bonis, inquit S. Ambrosius, vt castum pudicus, prudentem sapiens affectu pio diligat, misericors liberalem: & virtutes suas in alijs amet. Plerisque enim iusti aspectus admonitio correctionis est, perfectioribus verò lætitia est. Quam pulchrum ergo si videaris, & prosis? Et subdit S. Pater exemplum quoddam naturale, quod etsi non ita certum esset, rem tamen pulcherrimè explicat. Fertur enim, inquit, esse quoddam animal, vile quidem, & irrationabile, vt visum prosit Hictericis; ita vt mortui quoque cornu eius animantis prodesse dicatur, si fuerit demonstratum ijs, qui in huiusmodi inciderint passionem. Et dubitare possumus, quod Iusti sanet aspectus? Et addit exempla ex contrarijs, quæ solo visu nocere dicuntur. Et salubre.

Sic ergo prodest visio Iusti, vt simul & oblectet. Sunt enim Sancti velut luminaria in mundo verbum Dei continentes. Et auget gaudiū, quod in illis magnalia Dei intueamur, & victoriam eius, qui pectora expugnat: & vasa rapit eo glorioſius, quo & ipsi tenentur arctius nomine nobilitatis, Et iucundum.

Conf. l. 8. c. 2. & plures tenent nomine autoritatis. Certè D. Augustinus de Victorino, cum Christianus fieret, nomen daret, & professionem profiteretur in conspectu sanctæ multitudinis, maximam eum in omnibus lætitiam excitasse refert. Et sonuit, inquit, presso sonitu per ora cunctorum collætantium, Victorinus, Victorinus. Citò sonuerunt exultatione, quia videbant eum, & citò siluerunt intentione, vt audirēt eum. Pronuntiauit ille fidem veracem, præclara fiducia. Et volebāt eum omnes rapere intrò in cor suum, & rapiebant amando, & gaudendo. Hæ rapientium manus erant.] Lætari autem iustos Propheta in sui ipsius aspectu dicit, quia in verba Domini supersperauit. Videbant enim non frustratum spe sua, quia omnis, qui sperat in eo, Psal. 24. non confundetur. Videre autem sperantes in Domino non fuisse fraudatos, & lætitiæ seges, & sanctæ fiduciæ seminarium est: vt sibi idem sperantibus idem confidant tribuendum. Quod enim præcedentis est præmium, subsequentis est pignus.

75 Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliasti me.

FLagellis eruditus, ac lumine tuo in humilitate collustratus cognoui, quia iudicia

dicia tua, quibus me affligere, & atterere voluisti, æquissima, imò ipsa æquitas sunt. Et, quod me humiliasti, rectissima veritate fecisti. Hoc est Sanctorum proprium, vt Dei iustitiam, & bonitatem in flagellis agnoscant, eum laudent, atque defendant. Sic enim B. Diadocus in decessione gratiæ à Deo facta, ad eum accedendum esse docet, gratias agentes cum defensione. Et fortè ad illud Apostoli alludit, qui inter pœnitentiæ fructus apologiam enumerat, quasi Deum defendamus: eumque quando nos atterit, iustissimè, atque ad vtilitatem nostram fecisse profiteamur. Ne simus (vt inquit S. Augustinus) sicut insulsus puer in domo plus diligens Patrem, cũ blanditur, quam cum flagellat: quasi (inquit) non & blandiens, & flagellans hereditatem paret. Quæ confessio Deo gratissima est. Quin etiam (quod magis mirandum est) suos Deus seuerius tractare videtur, quam peccatores. Quod Ser. 5. de Pœnitentia egregiè tractat, & ostendit S. Chrysostomus. Nam peccatores, vt attollat animo; & spe ad pœnitentiam, & vitæ emendationem prouocet, blandis promissionibus, & dulci indulgentiæ securitate allicit. Iustos verò, vt cautiores reddat, & in bono confirmet, nunc terret, nunc atterit. Et, cum debitori poscenti. Patientiam habe in me: debitum omne dimisérit, atque confessionem clemẽtissimè de-

Sanctorũ est in flagellis Dei bonitatẽ agnoscere.

c. 87.

2. Cor. 7.

Hoc loco.

Et suos Deus seuerè tractat.

Matt. 18.

biti solutionem fecerit, & decem millium talentorum summam dimiserit; à Iusto tamen, quo nihil illi acceptius, vsuram exigit, dum ait. Et veniens cum vsura recepissem. Quod videlicet, & peccatorem soletur, vt eleuet; & iustum terreat, vt statuat, & confirmet. Quasi pauperum enim peccatorum miseretur: & quasi à diuitibus vsuras à Iustis expetit: illis quidem propter inopiam donans, ab his verò accuratius rationem diuitiarum pietatis exigens: quia reuera nihil peccante pauperius, nihil ditius Iusto. Hæc ex S. Chrysostomo. Accedit etiam quod timentes Dominum clarius Sanctorum virtutes in aduersis agnoscunt, quam in prosperis. Nam stella in nocte virtus in tribulatione. Quomodo enim (inquit S. Bernardus) stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Addit S. Ambrosius, Deum quos miseratur citò castigare, vt nō diutius afficiantur futuri expectatione iudicij.

Luc. 19.

Virtus in aduersis apparet.

Ser. 27. in Cant.

Ser. 20. in hunc Ps.

76 Fiat misericordia tua, vt consoletur me, secundùm eloquium tuum seruo tuo.

QVi dixerat ita se compositum, vt, qui viderent eum, lętarentur, certè magna fę Dei misericordia & præuentum, & ornatum

natum fuisse demonstrat. Nec exigua misericordia erat in flagellis cognoscere, & confiteri æquitatem diuinam. Cur ergo iam petit denuò misericordiam ad consolationem? Profectò magna suæ infirmitatis confessio, magnum diuinæ clementiæ testimonium hoc est. Puta ergo sic illum dicere. Cognoui Domine me iustissimè flagellatum, & in tua veritate, atque iustitia humiliatum: & inter has tribulationes, & humiliationes gaudeo, & gaudebo. Placeo enim mihi in tribulationibus, in contumelijs, in angustijs: sed neque fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Nam etsi spiritus promptus est, sed caro infirma. Vnde igitur remedium, aut auxilium conquiram, nisi à misericordia tua, vt consoletur me? Nec deest, vnde id confidam: quia & promissum tuum teneo (hoc est enim secundùm eloquium tuum) & ipse ita misericordia abundas, vt timendum non sit, ne illa, quamuis toties, tāque largiter mihi contuleris, aliquando tandē exhauriatur: cum & ipsa præueniat me, & ipsa subsequatur: imò tu ipse sis misericordia mea, quæ tam exhauriri non potest, quam ipse non potes deficere. Et audio dicētem te. Metuentes Dominū sustinete misericordiā eius, &c. & in oblectationem veniet, vobis misericordia. Et, misericordia Domini in omnem carnem. Et, quod me maximè solatur. Secūdùm, inquit, magni-

Significatur infirmitas humana.

Iob 6.

Matt. 26.

Et clemētia diuina.

Psal. 58.

Eccl. 2. & 18.

tudinem illius, sic misericordia illius cum ipso est. Denique nihil tam frequenter in Scripturis tuis misero mihi commendatur quam misericordia: nihil tam dulciter recordor, quã illius, quã effudisti super omnia opera tua. Propterea quã sperãda fuerãt à bonitate tua beneficia, etiãsi nulla præcessissent: nunc autem, vt ait S. Gregorius, de ea vel dubitare maximi periculi est, dum præteritis donis ad portum spei quasi immensis quibusdam funibus ligamur. Vide locum insignem.

Eccl. 2.

Eccl. 1.

Lib. 26. Mor. c. 17.

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, quia lex tua meditatio mea est.

Vita sine addito est æterna.

NOtat sanctus Augustinus, cum vita sine addito ponitur, æternam intelligi: quippè quæ sola verè vita est: in cuius cõparatione ista, quam dicimus, mors potius sit appellanda, quam vita. Et in Euangelio dicitur. Si vis ad vitam ingredi. Nec additur æterna. Et de resurrectione bonorum dicitur. Resurgent in resurrectionem vitę, haud dubiè æternæ, quamuis non addatur. Sic igitur & Dauid hoc loco. Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam, inquit; neque ait in æternum viuam, vel beatè viuam, quasi aliud non sit viuere, quam sine vllo fine, & sine vlla miseria viuere. Sed tamen etiam vita gratiæ, quæ spiritũ viui-

Matt. 19.

Io. 5.

Vita etiã gratiæ vere vita.

viuificat, qua Deus ipse vita nostra fit, vita verè est, licet non sine labore, atque periculo. Itaque vtramque, vtpote, cum & hęc præparatio ad illam sit, instanter Propheta petit. Petit autem fidenter, quia lex tua inquit, meditatio mea est. Debet autem hæc meditatio, vt monet S. Augustinus esse in fide, quæ per dilectionem operatur. Hoc, inquit, dicendum putaui, ne quisquam cũ totam legem memoriæ mandauerit, eamque creberrima recordatione cantauerit, non tacens, quod præcepit, nec tamẽ viuens, vt præcepit, arbitretur se feciſſe, quod legit. Quia lex tua meditatio mea est: & hinc adepturum existimet, quod verbis superioribus propter hoc meritum postulauit, vbi dictum est. Veniant super me miserationes tuæ, & viuam. Hæc meditatio amantis est cogitatio, & tãtum amantis, vt caritas non frigescat huius meditationis suæ, quantalibet constipetur abundantia iniquitatis alienæ. Quanquam & vox Hebræa hunc errorem, quem S. Augustinus cauendum putat, dilucidè excludit. Non enim quæcunque meditatio dicitur, sed quæ pro delicijs habeatur. Nemo autẽ verè potest delicias suas diuinam legem computare sola notitia, aut memoria, nisi dilectione, & magna dilectione in illa exerceatur. Quomodo enim sint sine dilectione deliciæ, quæ sunt quædam ex dilecta re delectatio?

S. Aug. hoc loco. Meditatio sit cũ opere.

78 Confundantur superbi, quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

COnfunduntur siue superbi homines, qui nos persequuntur, siue superbi spiritus, quorum caput, Rex super omnes filios superbiæ à Scriptura vocatur, cum vident nos diuina protectione munitos à suis insidijs, & violentijs ereptos: & quamuis laboribus, & afflictionibus fatigatos in mandatis Dei diligentissimè exerceri. Confunduntur enim, quod sua se videant spe frustratos, nec nos à Domino diuelli potuisse, quod maximè cupiebant. S. Ambrosius absurdum putans sanctum Dei hominem illis maledicere, qui in se iniqua gesserunt, confusionem hanc, quam precatur, non vindictam esse, sed doctrinam interpretatur, vt salutari, ac medicinali confusione corrigantur. Pudor enim plerumque, inquit, corrector est nostri. Et dum incipit nos pudere commissi, ne diutius pudeat, deserere, quæ erubescenda sunt, admonemur. Non ergo maledicit Propheta, sed quasi bonus medicus vult illos cognoscere, quæ fecerint. Ceterum si hactenus optetur ijs, oreturque confusio; vt, dum abduccere nos à Deo conantur, constantia nostra refutentur, exituque frustren-

Iob 41.

Confusio causa interdum emendationis.

strentur, benedictio potius videtur, quam maledictio. Expedit enim etiam impijs, quæ impiè moliuntur, non assequi. Sed quouis modo accipiatur, certum est verbis illis. Ego autem exercebor in mandatis tuis, sancti viri constantiam quibuscunque tandem aduersitatibus feriatur, immobilem egregiè denotari, tanquam dicat. Quicquid tandem illis eueniat, quicquid contra me struant, & faciant, ego certè exercebor in mandatis tuis.

79 Conuertantur mihi timentes te; & qui nouerunt testimonia tua.

Siue mihi, siue ad me dicatur, (vtrumque enim verba Hebræa significare possunt) idem est. Sed, quoniam conuerti hoc loco tanquam ad exemplar, vel singularem benefactorem accipiendum putat S. Augustinus, negat id quemquam hominum dicere posse, aut audere, sed solum Christum Dominum. Ipse est enim, ad quem conuertuntur timentes Deum. Ceterum, si facilius cum sancto Ambrosio intelligamus, vt ad Dei seruum, Prophetæque doctrinam homines conuertantur, vt ex eius vita emendent suam, non est cur vereamur, quemlibet sanctum hominem id dicere posse: cum insignes viri Dei correctione morum suorum, & sanctitate vitæ, Sanctorũ exemplorum vis.

atque expressione diuinæ misericordiæ in ipsis lucidissimè emicantis, errantes in viam reducant, & ipso aspectu ad virtutes incitent: vti supra notauimus. De qua exemplorum sanctorum vi ad mores corrigendos, atque ad diuinum amorem ardentius inflāmandum, ipse S. Augustinus sic pulcherrimè disputat. Quid est quæso quod exardescimus, cum audiuimus, & legimus. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nullam in quoquam dantes offensionem, vt non reprehendatur ministerium nostrum, sed in omnibus cōmendantes nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, &c. Quid est, quod accendimur in dilectionem Pauli, cum ista legimus, nisi quod credimus eum ita vixisse? Viuendum tamen sic esse Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos, in ipsa veritate conspicimus. Illum ergo, quem sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus, diligimus: & nisi hanc formam, quam semper stabilem, atque incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideò illum diligeremus, quia eius vitā, cum in carne viueret, huic formæ coaptatā, & cōgruentē fuisse fide retinemus. Sed nescio quomodo amplius, & in ipsius formæ caritatem excitamur per fidem, qua credimus vixisse

Lib. 8. de Trin. c 9.

2. Cor. 6.

sic

sic aliquem, & spem, qua nos quoque ita posse viuere, qui homines sumus, ex eo, quod aliqui homines ita vixerunt, minimè desperamus; vt hoc & desideremus ardentius, & fidentius precemur. Ita & ipsorum vitam facit à nobis diligi formæ illius dilectio, secundùm quam vixisse creduntur: & illorum vita credita in eandem formam flagrātem excitat caritatem, vt quanto flagrantius diligimus Deum, tanto certius, sereniusque videamus: quia in Deo cousspicimus incommutabilem formam iustitiæ, secundùm quam hominem viuere oportere iudicamus. Hæc S. Augustinus. Quæ, vt compendio dicamus, id docent. In mentibus nostris inesse formam quandam iustitiæ, ac sanctitatis pulcherrimam, quam maximè diligamus: & inde fieri, vt etiam eos amemus, in quibus formæ illius imago elucet. Hinc autem viciſſim fieri, vt ipsam formam, id est, sanctitatem vehementius amemus, quia & communicatam alijs iam cognouimus, & nos quoque posse eam consequi confidimus, dum homines similes nobis passibiles, carne, & infirmitate circumdatos consecutos esse non dubitamus. Vnde ad spem, & ad desiderandum ardentius, ad petendum fidentius, ad imitandum intentius accendamur. Meritò ergo & cupit, & orat Propheta, vt conuertantur ad se timentes Dominum, & qui mandatorum

illius.

illius sanctitatem, & efficacitatem nouerunt. Sed fortasse simplicior ille sensus non alienus sit, vt Propheta velit timentes Deum ad se conuerti, id est, adiungi ad suam amicitiam, ad suam consuetudinem, ad suas partes. Nam, vt iniquos semper repellit (Vide psalmum centesimum. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, &c.) ita iustos aduocat. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum. Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.

80 Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

Hic præcipuus est fructus siue studiosæ meditationis, siue nunquam interruptæ exercitationis, seu perpetuarum deliciarum mandatorum Dei, vt scilicet fiat cor nostrum immaculatum. Qua de re S. Basilius in Regulis fusius disputatis id verissimè docet, illud agendum assiduè, vt ex perpetua, ac purissima recordatione impressam in animis nostris piam de Deo notionem, veluti indelebile quoddam signum circumferamus. Siquidem hæc est ratio, per quam erga Deum acquiri caritas consuetuit: quæ simul cum ad conficienda ipsa Dei mandata nos excitet, tum vicissim quoque ab ijsdem ipsa ad perpetuitatem stabi-

S. Basil. c. 5. Ex memoria Dei perpetua cordis puritas.

stabilis conseruetur. Quod ita esse docet Dominus ipse, qui quidē modo dicit. Si diligitis me, mandata mea seruate: modo verò. Si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea. Vides ergo & caritatem esse principium, & virtutem ad Dei præcepta seruanda, & vicissim obedientiam mandatorum ipsam caritatem, & dilectionem Dei augere, atque statuere. Sed hæc omnia à cordis custodia, & puritate exordienda sunt. Scriptum quippe est. Omni custodia custodi cor tuum. Neque patiendum (addit Basilius) vt assidua de Deo cogitatio ex animis nostris elabatur; neve eorum, quæ mirabiliter ab eo facta sunt, memoria contaminetur per futiles, ac vanas cogitationes: sed potius contra, illud agendum assidnè, quod modo dicebamus, vt ex perpetua, ac purissima recordatione impressam in animis nostris, piam de Deo cogitationem velut indelebile aliquod signum circumferamus. Quod de perpetua Dei memoria ad purgandum cor docet Basilius, id ipsum tradit S. Dionysius nominatim ad inanem gloriam expurgandam, de assiduo quasi contuitu, per quem diuinæ virtutis incorruptum, ac præclarè expressum sigillum præstanti imitatione formetur in anima: & affert aptissimam similitudinem Pictoris, qui si fixa acie, collectisque in vnum viribus in exemplum intendat, quam similli-

Ioan. 14. 15.

Prou. 4.

De Eccl. Hier. c. 4. par. 3.

millimam imaginem exprimet. Vide locum. Cassianus de custodia, & puritate cordis non semel differit: & scopum religiosi hominis cordis puritatem esse statuit, sicut finem vitam æternam.

Coll. 1.

De pœnit. hom. 8.

Sanctus verò Chrysostomus explicans illud. Iam mœchatus est in corde suo. Corde, inquit, corrupto, quæ deinceps vtilitas in reliquo corpore? Quemadmodum enim in plantis, & lignis si quando cor exesum videmus, reliquam de cetero repudiamus partem; sic & in homine cum id perierit, in cassum est inde reliqui corporis sanitas. Auriga perit, fractus, deiectus est: frustra in posterum equi currunt. Nimirum auriga cor est: in ipso vita sita est. Ei, vt ait idem Sanctus, præcipuè credita est animi fortitudo; quæ corde integro expugnari nequit. Meritò itaque, ne diutius in re adeò à Scripturis, & sanctis Patribus decantata immoremur, cordis immaculatam puritatem Propheta super omnia à Deo petit.

Hom. in Iul.

Quam facile cor maculetur.

Secundò, id instanter orat, quia facile pro loco exilij huius, & sui qualitate maculas contrahit. Quid enim sordium, si non mors, per fenestras sensuum toties ingrediatur, experitur omnis, qui suam conscientiam non perfunctoriè excutit. Quid ex cogitationibus? Quid ex desiderijs? Quid ex mundi huius puluere? Quid ex atramento? Quid ex spinis, quibus mens pun-

Ierem. 9.

pungitur, & suffocatur? Bone Deus, & benignissime inspector, qui nosti figmentum nostrum; & recordaris quia pulvis sumus, ablue cor nostrum imbre lachrymarum: & tegmento protectionis tuæ à tot inquinamentis præserua misericorditer, tuere clementer. Ideò enim & tam multa præsidia ad cordis ablutionem, & puritatem nobis contulisti: vt & verba tua, & orationes, & examina, & tunsio pectoris, & tui nominis inuocatio, & sanctæ Crucis signaculum, & super omnia, viuifica sacramenta ad cordis nostri custodiam, ac puritatem proficerent. *Gen. 3.* Remedia cordi purgando.

Tertiò cum tam procliuè sit, vt cor maculas cõtrahat, id exitiosissimum est, quod ipso commaculato nihil puri, aut immaculati, sanive remaneat in nobis: vt, qui cordis munditiam, & custodiam negligit, nihil se purum, aut sanctum habere, nisi seducat se, possit vllatenus gloriari. Ex quo patet quam meritò oret quilibet spiritualis. Fiat cor meum immaculatum. Corde maculato nil restat purum.

Quartò, qui lex illa, quam misericorditer polliceris, Deus noster, te in visceribus nostris clementissimè daturum, & cordibus superscripturum: per quam in dilectione tua voluntati tuæ in omnibus obsequentes simus, in corde maculato, atrisque coloribus infuscato describi non potest: sed necesse est veluti in munda, læuique, atque explicata charta, maculæ, ac rugæ om- Lex Dei non scribitur nisi in corde puro. *Ierem. 31.*

omnis experte, tuo solo digito, non atramento inscribatur: vt simus epistola tua, quæ per Spiritum sanctum cordi insculpta sit.

Cor templum Dei, ergo sit purum.

Postremò, quia etiam in nobis habitare dignaris, vt pollicitus es, & cor nostrum templum tuum efficis, satis apparet, quanta puritate nitere debeat, quod templum tibi tua vnctione sacrasti. Si enim scriptum est, vel pedem esse custodiēdum, quo in materiale templum tuum ingredimur, ne quid contaminatum, aut immundum in illud ingrediatur. Et, si Moyses calceamenta deponere iubetur, id est, inuolucra carnalium cogitationum; quanta tandem puritate nitere debet spirituale templum tuum, de quo Apostolus tuus. Vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos: & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Præstet hoc misericordia tua optantibus, poscentibus, & efflagitantibus, vt præstitisti famulæ tuæ Cæciliæ, quæ perpetuò modulantibus organis decantabat. Fiat cor meum, & corpus meum immaculatum. A te enim petitur, in te quæritur, apud te pulsatur: qui dimittis, quæ conscientia metuit, & adijcis, quod oratio non præsumit: qui es super omnia Deus benedictus in secula. Amen.

Exod. 30.

Exod 3.

2. *Cor.* 6.

כ Caph, id est, Manus.

Octonarius Vndecimus.

81 DEfecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum superspe-raui.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?

83 Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

84 Quot sunt dies serui tui: quando facies de persequentibus me iudicium?

85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.

86 Omnia mandata tua veritas: iniquè persecuti sunt me, adiuua me.

87 Paulo minus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

88 Secundùm misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.

81 De-

81 Defecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperani.

MEritò defectus ex desiderio, oculorum expectatio, constantia in tribulationibus, expectatio consolationis, abiectio inanium fabularum, & delectationum seculi, quæ meræ nugacitates sunt, & quæ sequuntur omnia à Caph incipiunt, quæ significat volam, vel manum. Quippe hæc omnia in nobis non à nobis sunt, sed à manu Altissimi: de qua dicitur. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me. Defecit autem anima non à salutari, sed in salutare; quia præ desiderio, & amore, & expectatione deficit à seipsa anima, & fit spiritus. Est enim deficere, in id vnumquemque totis studijs migrare, quod diligit. Et Sanctus quisque nescit aliud desiderare, nisi salutare Dei, quod est Christus Iesus. Illum concupiscit, illum desiderat, in illum totis contendit viribus, illum gremio mentis fouet: illi se aperit, & effundit: & hoc solum veretur, ne illum possit amittere. Sed ista defectio imminutionem quidem fragilitatis, sed assumptionem virtutis operatur. Felix defectio vel desiderij, vel spei, quæ salutem à Christo Domino, vel ipsum expectat Saluatorem. Deficiant alij, si volunt,

Deficere in aliqd est in id migrare.

Psal. 39.

lunt, respicientes in vanitates, & insanias falsas: qui verè deficiunt, quia deficientibus inhærentes à seipsis deficiunt. At ego, & anima mea salutari, ac viuifico defectu in salutare tuum deficimus, quo ad eius similitudinem, & immutabilem stabilitatem proficimus. Quod non temerè audeo, quia in Verbum tuum supersperaui, vel in ipsum Verbum, quod carne vestiendum salutare expecto; vel in ipsam salutis promissionem: quia verbum tuum fidele est, nec perire potest, quia tu Deus es.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes: Quando consolaberis me?

DESCRIBITVR fidelis, & perseuerans expectatio opis, & consolationis Diuinæ in afflictione. Oculi corporis eo solent semper intenti esse, eo spectare, vnde suum bonum expectant. Ideò oculi seruorum in manibus dominorum suorum, oculi ancillæ in manibus dominæ suæ. Neque aliter oculi animæ. Propterea defecerunt, inquit, oculi mei, vtique mentis meæ, præ desiderio, & expectatione consolationis tuæ; intenti, ac defixi in eloquium tuum, velut in syngrapham, & pignus promissionis tuæ. Desiderium eorum, & fletus, clamor est eorum:

Oculis defectus tribuitur. Primò ex naturali effectu. *Psal.* 122.

Secundò, quia fidē significāt.

rum: ideò ipsi dicunt. Quando consolaberis me? Ne immeritò expectationem, & postulationem salutis, & consolationis oculis tribuo, quia ipsi sunt, qui acutè inspiciunt te. Languidè enim, & frustra, nec perseueranter desiderarem, & expectarem, nisi oculi fidei, & intellectus te aspicerent

2. Cor. 1.

omnia videntem, omnia regentem, omnia potentem, Deum misericordiarum, & nō vnius, sed totius consolationis. Ad quem enim confugerem, nisi talem te tales oculi contemplarentur? Hi nimirum oculi clamant. Quando consolaberis me? Quādiu expectare facies oculos pauperis? Vox tædiosæ expectationis, & longissimæ dilationis, vox ista, Quando? est. Meritò

Consolatio à solo Deo.

deficiunt dicentes, Quandò? Frustra verò ad alium confugerem pro consolatione, quia quæcunque creata sunt, nec volunt, nec possunt me consolari. Tu autem consolaris me non solum à malis eruendo, à persecutoribus præseruando, sed etiam auxilium pollicendo; suauiter alloquendo: quia eloquium tuum dulce, æterna promittendo. Denique tua illa vox est. Sicut mater consolatur filios suos, sic & ego consolabor vos. Et verbum tuum, verbum solatij vocatur: & ab vberibus con-

Isai. 66.

solationis per Prophetam inuitas, vt sugamus.

83 Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.

SVnt qui pellem frigore, & gelicidio, vt legit S. Ambrosius, constrictam, & corrugatam intelligant: aut fumo, quem & vox hebræa significare potest, exsiccatam, & affectam, iuxta quod alibi dicitur, Pellis nostra, quasi clibanus, exusta Et in Iob. Cutis mea aruit, & contracta est. Et verè vocabulis istis, hominem omnino afflictum, & quasi ad extrema redactum adumbramus. Sed non arbitror siue causa de vtre potius, quam de quacunque pelle factum esse sermonem: quia pellis interdum lana munita, interdum arte perpolita, & condita, frigoris iniuriam nō sic patitur, quemadmodum vter, vtique inanis, & omni præsidio destitutus. Nec vacat etiam, quod vox hebræa inde fortè deducitur, quod vter vltro, citroque perpetuo vagetur, & quasi profugus nusquam cōsistat. Vnde & Cain profugus in Noe habitasse describitur. Sic ergo conqueritur. Factus sum sicut non pellis quælibet, sed vter in pruina, quem susque deque ferunt, proijciunt: iniurijs imbrium, pruinæ, niuis & ardoris exponunt. Nec persecutorum tantum externorum vexationibus agitor, & ad miserias hasce detrudor; sed ipsemet factus sum

Vter, vel pellis genericè.

Thren. 5.

Iob 7.

Vel propriè vter significat afflictionem.

Gen 4.

ſicut vter, quia concupiſcentijs, veluti gelu, & pruina conſtringor, caritate interim languente. Sed inter hæc ipſa mala, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Lex enim tua inter hæc me ſeruat, quam perpetuo in mente habeo. Pellicea tunica ſuccinctus
Gen. 3. fuit Pater meus Adam, corpus mortis geſtans morticino indutus: hanc ego & in pœnam geſto: ſed ſcio quis tunicam pelliceam noſtram participauerit, & induerit; vt me corpore mortis exutum, immortalitate veſtiret, & gloria. In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificatus ſum.

Et mortificationē. Sed & in bonum accipit Ambroſius, vt, quoniam vter ex animantis mortui exuuijs fit, ſignificetur corpus peccato mortuum, quod ab æſtu cupiditatum continentiæ, & ieiuniorum quodam gelu tēperetur, & matutina oratione perfletur, quando ſicut ros, ita ſuper terram noſtram
Deut. 32. Dei verba deſcendunt. Bonum eſt igitur
Ambroſ. mihi Domine fieri ſicut talem vtrem in pruina, vt omnis in me mortificationis rigore purgatus, & liquore iuſtificationū tuarum perfuſus internæ cupiditatis feruor refrigeſcat: quo fiam non rimoſus & effluens, ſed nec vacuus vter, ſed plenus Spiritu, plenus iuſtificationum tuarum: ac denique plenus lactis, oleique & vini noui liquoribus, tibi plenus & vtilis fiam.

84 Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium.

MOLESTA est lucta, molesti dies pugnæ. Quamdiu enim est pugna, est incerto victoria: & cũ spe palmæ coniuncta formido cladis. Sed, si feceris de persequentibus me iudicium, vt mihi illos subdas, timor in lætitiam te adiuuante vertetur. Atqui dictũ est ab Apostolo tuo. Conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Si ergo non contero aduersarium, mea culpa est. Nam si bonis inhæreamus operibus, vt exerceamus studia castitatis, iustitiæ, continentiæ, calcamus serpentem, & scorpionem. Proinde possum & in hac breui vita triumphum de aduersarijs habere perpetuum, te faciente iudicium, quod expecto. Dies primo pro vita. *Rom. 16.* *Ambros.*

Sed quoniã dies interdum in malo ponuntur, vt dies Hierusalem, de quibus dicitur. Memor esto Domine filiorũ Edom in die Hierusalem, id est, in die afflictionis illius, & persecutionis. Quot sunt dies, interrogo, id est, quousque patieris me sine consolatione, aut redemptione tua affligi? vt dicant hostes, Ista est dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus. Rursus, pro prospera, quia ponuntur interdũ in bono: vt. Innotua dies nostros. Et. In hac die tua. Et, dies pleni inueniẽtur in eis. & huiusmodi mul- Secundò pro aduersitate. *Psal. 136.* Tertiò pro prosperitate. *Thren. 2.* *Thren. 5.* *Psal. 72.*

ta. Puto etiam dies malos mihi esse bonos: & persecutionum, ac pugnæ dies non vacuos, sed plenos esse. Siquidem ex afflictionibus, & tentationibus thesauros mihi prouenire facis incōparabiles. Inde enim patientia, inde longanimitas, inde feruor orationis faciē tuam exquirens, inde spes, inde gratiarum actiones ex liberatione, inde humilitatis lucra, inde mundi contemptus, inde cœlestium appetitio. Vnde & dies Meos, id est, lucri, & consolationis, ipsos etiam dies tribulationis appello, modo facias de persequentibus me iudicium, hostes debellans, & mihi subdens, me illæsum à passionibus, & concupiscentijs seruans.

Tribulationum bona.

85 Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non, vt lex tua.

INiqui, siue peruersi homines, siue dęmones, siue innatæ concupiscentiæ, quæ phantasmata in mente depingunt, fabulationes narrant. Alij delectationes legunt, vt intelligamus omnes huiusmodi delectationes fabulas esse. Hebraicè, nugas, confabulationes, superfluas nænias, græcè ἀδολεσχίας, id est, garrulitates. Quicquid enim à placitis tuis deuiat, tale est, Sed non, vt lex tua, quæ siue præcipiat, siue prohibeat, siue narret, immaculata est, conuertens animas, & sapientiam præstans parvulis.

Legis diuinæ præstantia. *Psalm.* 18.

tulis. Minatur? quasi vinculis malè libera coercet. Promittit? blandissimè allicit. Docet? Salis placidi vultum, fluctusque quietos ignorare, vt ille ait, non permittit. Hæc me ad amorem tuum validè saucíat, ad timorem castum impellit: illuminat, lucerna pedibus: ad portum spei immensis funibus alligat: in medijs fluctibus ancoris validissimè firmat: meipsum mihi tanquam mundissimum speculum repræsentat: quæ futura sunt, quasi velata, sine velo manifestat: lucidissimas in æternitate mãsiones mirè depingit: faciem tuam in coruscatione contemplationis offert: Angelorum choris interdum inserit: laudes, & hymnos supercœlestes occinit, & innumera præstat: quæ de promptuarijs legis tuæ, & Scripturarum tuarum expromuntur. Comparem ego Pater bone, Pater suauis legem tuam, cum hominum dictis, & placitis, & videam an non meritò illa omnia nænias & fabulationes appellarim? *Virg. Æn.* 50

86 Omnia mandata tua veritas: iniquè persequuti sunt me, adiuua me.

QVemadmodum hominum, & inimicorum dicta, fabulationes, & vanitas erant, ita cõtra expertus sum omnia mandata tua veritatem. Veritas enim, non vanitas liberat. Sed quousque filij hominum *Psalm. 4.*

graues corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Ecce omnia mandata tua veritas. Illa igitur quærenda, illa scrutanda sunt, illis est inhærendum. Id si fiat, etiamsi iniquè persequantur me, erit mihi persecutio coronarum textura, non ruinarum occasio, dum tu tamen adiuues me. Nec adiuuari postulo, vt à malis eripiar, sed ne in illis succumbā. Scio fructū eorum, qui persecutionē patiuntur, si pie viuere volunt. Scio hic tunsionibus, & pressuris lapides expoliri, qui in superno illo templo collocandi sunt, vbi malleus, & omne ferramentum non audientur. Hic contra insidiantes certandum: hic vigilandum contra hostes, dum impetimur. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit: assuetum autem bello virum externa fraus instruit, & glorioſæ proue-hit palma victoriæ.

Tribulationum bona.

2. Tim. 3.

Io. 16.

3. Reg. 6.

87 Paulò minus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.

PARVM abfuit, quin me perderent, & extirparent è terra, vt necessariò auxilium tuum implorarim. Satis enim indicat, quanto indigeam adiutorio locus ipse certaminis, terra, inquam, vbi plurimi etiā sanctissimi viri ceciderunt. In qua & tam multi

Terra locus pugnæ.

multi sunt hostes visibiles, inuisibiles, externi, interni, vt perpetuo clamare cogar, Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandū me festina. Visibiles angunt, & persequuntur; inuisibiles sine intermissione premūt: externi ingruunt, interni sine cessatione confligunt, eo periculosius, quo interius, & occultius: eo importunius, quo peruicacius. Vtinam discamus cauere, quem gerimus. Hic nobis hostis domesticus, hic inimicus grauis est, nostrum ipsum corpus: vt merito mihi clamandum ad te sit, vt eripias me ab his, qui appropinquant mihi.

Hostium multitudo & vis. *Psal. 69.*

Ambros.

Psal 54.

Inter has tamen luctas, & periculosa certamina nunquam dereliqui mandata tua, tum, quia hęc meditatio mihi custodia est: tum, quia nullis laboribus, aut periculis à lege tua deflexi, sed constantissimè mandata tua seruaui: tum denique, quia in tot angoribus cōstituto nullum est maius solatium, quam legem tuam meditari: quæ & in humilitate mea consolatur me; & in necessitatibus subuenit, & ab aduersarijs custodit; & animam refouet, ac delectat.

In pugna lex meditanda.

88 **Secundùm misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.**

Viuificare quid.

VIuificatio quædam est à periculis maximis, & imminente morte liberari: quod si feceris, per vniuersum vitæ meæ cur-

cursum custodiam testimonia tua. Sed ne aut æterna morte premar, aut hic peccati morte obdormiam, continua mihi viuificatio necessaria est; & ideo misericordia, qua viuificer. Vt continua, ac perpetua sit in hoc corpore viuificatio, quo quotidie iustus tibi viuam, peccato moriar. Certè tu viuificasti semper Sanctos tuos, cùm in vita gratiæ seruasti, & à prolapsione bonorum, perpetua quasi redemptione custodisti; vitam & misericordiam tribuens illis, & visitatione tua custodiens spiritum eorum! Imo & ipsi Martyres, qui moriendo glorificauerunt te, testimonia tua custodiendo, in ipsa morte viuificati sunt: ne amando vitam negarent vitam; & negando vitam amitterent vitam; ac sic, qui pro vita veritatem deserere noluerunt, moriendo pro veritate vixerunt. Testimonia autem dixi oris tui, siue quia per os Prophetarum tuorum ipse loquebaris: siue quia magnam ingerit deuotionem, & reuerentiam scire, quia ipse Dominus, ipse Sapientia ea mãdata protulisti: siue (quod dulcissimè sapit) quia ipse filius Iesus, os æterni Patris eam legem, quæ perfectionem resonet, proprio ore docturus esset: cum ipse, qui multifariè, multisque modis olim Patribus locutus eras, tandem in filio, qui in sinu Patris semper est, locutus es, & cœlestia narrasti.

Iob 10.

Aug. hic.

Oris tui, aut dicatur.

ל Lamed,

ל Lamed, id est, Disciplina.

Octonarius Duodecimus.

89 IN æternum, Domine, verbum tuum permanet in cœlo.
90 In generationem & generationem veritas tua: fundasti terram, & permanet.
91 Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.
92 Nisi quod lex tua meditatio mea est: tunc fortè perijssem in humilitate tua.
93 In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me.
94 Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.
95 Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.
96 Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

89 In æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

SVSPEXI, & legi librum potentiæ, & sapientiæ tuæ: audiui concentus musicæ compositionis tuæ. Vidi cœlum, & terram, & dierum ac noctium dispositionem. Quid pulchrius, quid iucundius legi, vel audiri potest? & in medijs afflictionibus, & tentationibus leuaui oculos meos ad opera digitorum tuorum, & cõfolatus sum. Vidi enim, & consideraui verbum, & præceptum, ac mandatum tuum perenniter in cœlo permanere. Ecce oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur: ibique renascens girat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa per circuitum: pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur: vas admirabile, opus tuum. Quam pulcher cùm exultat, vt gigas ad currendam viam? A summo cœlo egressio eius, & occursus eius, vsque ad summum eius; nec est, qui se abscondat à calore eius. Cùm infatigabili cursu in ecliptica, per media animalia tempora mutat, & accedens, atque recedens generationes, & corruptiones affert. Dum lunam nocturnas tenebras consolantem accessu, & recessu complet, & vacuat: vt præsit nocti, & humectatione pluribus consulat. Quomodo nunc breuiores dies ad quietem, &

Solis cõsideratio. *Eccl. 5.*

Psal. 18.

tem-

temperiem longioresque exhibet noctes; nunc contra prolixiores dies ad calorem, & fœcunditatem? quomodo viuifico calore fouet omnia, & terræ etiam viscera penetrans aurum exhibet, & argentum. Tu es enim, qui emittis lumen, & vadit: & vocas illud, & obedit tibi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt adsumus: & luxerunt tibi in iucunditate, qui fecisti illas, qui numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas: qui formasti Arcturum, & Orionem, & Hyadas, & interiora Austri: aliasque distribuisti, ne errore errantes; alias fixas, & immobiles in firmamento constituisti. Quis enumeraret in his omnibus sapientiam tuam, quis pulchritudinem, quæ à magnitudine speciei cognoscibiliter videri potest? Statum suum fixum tenent, & innumerabili varietate te prædicant, te laudant, te admirabilem clamant. Quid si etiam horum & motuum, & dispositionum administros Angelos cõtemplemur, quos amatus, & desideratus ad motus huiusmodi efficiendos, virtute à te mirifica mouendi accepta, ipse immobilis, atque immutabilis ciere non desinis? Hoc est verbum, & præceptum, quod manet in cœlo: quod posuisti, & non præteribit.

Et stellarum. *Baruc. 3.*

Psal. 146. *Iob 9.*

Sap. 9.

Iam verò etiam terra, quã fundasti super nihilum, & quæ in æternum permanet,

Et terræ.

net, laudes tuas celebrat; meque consolatur, & recreat. Tu posuisti fundamenta
Iob 38. eius, posuisti mensuras eius, tetendisti super eam lineam, bases illius solidasti, demisisti lapidem angularem eius. Verbum tuum permanet in ea, & ipsa seruat præceptum: fundata super stabilitatem suam continens, portans, producens innumera animantia, fruges, fructus, herbas, flores.
Iob 37. Expectat pluuiam: clamat ad te siticulosa, cùm desiderat nubes, quæ spargant lumen suum, id est, liberalitatem imbrium, siue in vna tribu, siue in alia, siue in quocunque loco misericordiæ tuæ eas iusseris inueniri. Alluitur mari, cui tu vectes, & seras adhibuisti, ne transeat fines suos, sed in aream confringat tumentes fluctus suos. Rigatur fluminibus perpetuò decurrentibus, ipsa semper stabilis: fontibus inebriatur, vt concinnè omnia concinant. Veritas ergo tua in generationem, & generationem perseuerat: præceptum tuum cum terra permanet. Iam cęlum, & terram cum admiror; & in his verbum, & præceptum tuum perseuerare contemplor: rursus dierum, ac noctium vicissitudinem animaduerto: quomodo dies diei eructet verbum, & nox nocti indicet scientiam: quomodo in aliqua parte terræ solis ministerio dies fit, in alia rursum admirabili cōcentu nox: nec variatio vlla in dierū, & noctium annua alternatione, siue quantitate cernatur;

Et dierū, ac noctiū. Psalm. 18.

tur; sed quoniam omnia seruiunt tibi, ordinatione tua immobilia perseuerent. Hęc omnia, inquã, cùm cõtemplans admiror, magna mihi ex ijs prouenit legis tuæ, seu admirandæ, seu seruandæ facultas, frequẽs incitamentum, perpetua materia. Neque id propter vnam, simplicemque rationem.

Commõdat legẽ primo legislatoris maiestas.

Sed primum, quia potentia tua, quæ in ijs lucet, valde me delectat. Cumque pulchritudo tanti operis, vndique pulchritudinem cõmendet, & clamet artificis, certè docet me, vt tanti Regis, tantique Factoris amplectar, & concupiscã legem. Nam, si ad parendum inuitat imperantis maiestas, quanto ardore excipienda iussa, quæ tantus autor imponit! Deinde, si Sapientiæ tuæ, quæ in his operibus apparet, non est numerus; & primus discendi ardor nobilitas est magistri, quo affectu lex, & doctrina mihi euoluenda, & amplexanda est, quæ à sapientissimo legislatore proficiscitur? Ad hæc liquidò contemplor, qui singulari prouidẽtia, in hac ordinatione cuncta moderaris, nõ permissurũ, vt me, dum tibi parere, & placere studeo, calumniatores opprimant. Atque ideo legi tuæ meditandæ liberius vacare possum, quia video me sub tua prouidentia gubernari. Præterea cum tanta prouidentia, & solicitudine à te administrãtur ea, quę propter hominẽ facta sunt, multo magis homines ipsos, & me gubernare non desines. Vnde constat,

Secundò sapientia. *S. Ambr. 2. de Virgin. init.*

Tertiò, Prouidentia.

si tribulationes, & tentationes patior, magna id dispensatione, & sapientia geri. Nō enim id sine ingenti mea vtilitatē permittis, qui tam potens, & sapiens, & bonus es. Postremò illud diligentissimè perpendo, si ea, quæ inanimata sunt, nec vlla mercede potientur, ita legem tuam seruant, quā posuisti eis, quid mihi faciendum sit, qui excellentiori modo, intellectu, & voluntate, hoc est, cognitione, & amore tibi seruio: nec in vacuum, aut gratis seruio, sed tot iam donis præoccupatus, tantæ mercedis promissionibus ad cælestia vocor. Merito ergò hæc cōsiderans, & admirans, legem tuam, & meditari, & seruare studeo, quam quodammodo me tot, tantæq; voces edocent, tot mirabilia vel surdis proclamant. Quoniam & per ipsa elementa mundi, tanquam per publicas paginas, significationem diuinæ voluntatis accipimus: nec vnquam cessat superna eruditio, quando etiam de ijs, quæ nobis famulantur, imbuimur.

S. Leo ser 7. de ieiu. 10. mens.

92 Nisi quod lex tua meditatio mea est; tunc fortè perijssem in humilitate mea.

ECce fructus meditationis legis tuæ. Nam in humilitate, & afflictione non esse in hac vita, quæ tota tētatio est, omninò non possum. In hac ergo summa afflictione,

ctione, tentatione, deiectione, vnicum refugium, ne peream, lex tua est. In Hebræo non est, fortè, sed simpliciter, Tunc perijssem. Ex quo patet, siue in tribulationibus humanis, siue in tentationibus inuisibilis inimici; in quibus & periculosius, & frequentius, & difficilioribus remedijs humiliamur, omninò perituros nos, nisi ad te clamantes in lege tua meditemur. Quia meditatione semper paratos nos esse conuenit, ne repentino aliquo ictu prosternamur: sed exercitatos tentatio semper inueniat. Athleta nisi exercitio palæstræ prius fuerit assuefactus, non audet subire certamen. Vngamus igitur oleo lectionis nostræ mentis lacertos: sit nobis tota die, ac nocte exercitij vsus in quadam cœlestium scripturarum palæstra: artusque animorum nostrorum salubris spiritualium ferculorum esca confirmet. Sit nobis quotidiana lectio pro exercitio, vt quæ legimus, meditemur imitari. Ita fiet, vt in humilitate tam magna, tam multiplici, tam assidua nō pereamus. Perit quippe, qui non meditatur in lege tua, in qua perspicit nobilitatem suam, voluntatem tuam, curam prouidentiæ tuæ. Hæc lex meditatio mea est, qua custodiar, ne peream.

Tentationum remedium Meditatio legis diuinæ.

Ambros.

Sed hebræa vox significantius. Nō enim nudam meditationem significat, sed cum maximo sensu, & inclinatione. Vnde dici

potest

Sed meditatio ex animo.

potest. Lex tua, delectatio mea est, deliciæ meæ, suauitates meæ. Quod vna vox latinè exprimere non potest, expressit hebræa. Si hæc omnia iungantur simul, satis appareret, qualem oportet esse meditationem legis tuæ, ne in humilitate nostra pereamus.

93 In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me.

QVis enim nisi vitæ oblitus, ac se viuere non sentiens, eorum obliuiscatur, per quæ viuit? Ergo in æternum non obliuiscar iustificationes tuas, quia in ipsis viuificasti me. Si enim vera vita animæ meæ ipse es, per ea viuo, per quæ tibi adhæreo: adhæreo autem per obseruationem voluntatis tuæ, & legis tuæ. Nec sine causa in throno illo, quem vidit Ezechiel, quo tu ferebaris, id est, in anima, quæ te glorificat, & portat, rotæ erant, quæ volubiles appellatæ sunt, quocunque ducis, te facilè sequentes. In his autem, inquit Propheta, quia spiritus vitæ erat in rotis. Ecce lex tua, qua currimus, qua te portamus, ipsa nos viuificat: quia spiritus vitæ, id est, Spiritui ipse tuus, in rotis est. Fac nos Domne rotas tuas: fac facilè volubiles, & currentes. Pone spiritum vitæ in nobis, vt faciamus semper voluntatem tuam: tuo Spiritu

Vita in legis custodia.

Ezech. 10.

ritu viuificemur, & vegetemur, quia in ipsis placitis tuis viuimus, & confortamur.

94 Tuus sum ego, saluum me fac, quoniam iustificationes tuas exquisiui.

NOn immerito peto à te saluari, quia tuus iam sum. Cum meus esse volui, male me perdidi: nunc tuus sum, saluum me fac. Tuus creatione, quia me plasmasti: & dignum est, vt opifex opus suum custodiat. Tuus emptione, qui tam caro pretio, sanguine videlicet diuino emisti me: & iustum est, vt emptor rem suam seruet. Tuus conseruatione, & assidua reparatione: & congruum est, vt saluum facias, quem assidua quadam quasi productione conseruas, inspirans in faciem meam spiraculum vitæ. Tuus sum proposito, & electione, quia me tibi totum tradidi: & consentaneum est, vt, quod suscepisti, saluues: quod apud te totum deposui, custodias. Ceterum facilis vox, & communis videtur, Tuus sum: sed paucorum est. Satis rarus est, qui tibi dicere possit, Tuus sum. Ille enim dicit, qui adhæret tibi totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit. Fac ergo Domine, vt vere tuus sim, libera me ab alijs Dominis, libera à me ipso, vt dicere valeam, Tuus sum. Veniunt enim omnia vitia, & dicunt, meus

Dei sum multis nominibus.

Tuus sū, vox paucorum.

Ambros.

meus es. Quem tanti comparant, quam vile mancipium est? Tu, qui solus tam multis nominibus, me ipsum vendicas tibi, tu dicito seruo tuo, Meus es tu. Quippe non negas tuum esse eum, qui ipse se non neget; aut certè, si pro te, seipsum sibi abneget. Et qui audit à te, Meus es, audet, & vicissim tibi dicit. Meus es. Quippe portio mea, & hic in exilio es, & in terra viuentium. Quam felix tecum appellatio, & responsio? Dicat tibi anima mea, secura dicat, Tua sum: dicat, & audiat ampliora, Meus es tu. Non est ista temeritas, affectus est desiderij, & dulcedo spei. Ego, inquit, protector tuus, & merces tua. Verè protector fortis, & merces magna nimis.

Sed eorundem, Meus es. *Psal.* 141. *S. Aug. in psalm* 32.

Gen. 15.

95 Me expectauerunt peccatores, vt perderent me: testimonia tua intellexi.

Expectãt hostes multipliciter. *Thren.* 2.

EXPECTAVERVNT primò desiderantes perditionem, vt quidam inimici dixerunt. Ista est dies, quã expectabamus, inuenimus, vidimus. Quid enim lætius inimicis accidere potest, quam vt ruinam meam videant?

Secundò. Expectauerunt, vel præstolati sunt me, patientissimè in insidijs perdurantes, vt caperent, & perderent me: parantes mihi laqueos: qui cogitauerunt sup-

Psal. 139.

supplantare gressus meos: absconderunt laqueum mihi, & funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Vidisti Domine, ne sileas, ne discedas à me. *Psalm. 34.*

Tertiò, Expectauerunt me, quasi nimia fiducia fortitudinis suæ, nimia experientia imbecillitatis meæ: hoc est enim expectare quasi securos.

Tandem expectauerunt me iuxta iter, velut certò scientes, me aliquando eo venturum, vbi me caperent, & perderent.

Hei mihi Domine miser sum, misericors es. Certè enim data occasione eo me fragilitas, & caro compellent, vbi laqueos extenderunt; vbi me quasi inde transiturum expectant. Vidisti Domine omne consilium eorum aduersus me in malum. Deduc me in via tua, & præcede me per viam rectam. Dirige gressus meos, ne in insidiatores incidam. Mihi enim euadere aliter impossibile est. Sed gratias tibi, qui euellis de laqueo pedes meos: & intellectu, atque meditatione legis tuæ, & testimoniorum tuorum eruis, & seruas me. Atque ita, si legi tuæ inhæsero, nec lætabitur de die perditionis meæ, quia in lege tua saluus sum: nec in insidijs præstolabitur, nisi gratis, quia testimonia lux mihi sunt; & insidias eorum patefaciunt, & loca indicant, & retia ostendunt: nec, nisi frustra, quasi inermem, & imbecillium expecta- Lex liberat. *Psalm 24.*

pectabunt, quem lorica legis tuæ, & mandatorũ tuorũ fortitudine roborasti. Haud me inde transeuntem diripient, si mandatis tuis in viam rectam dirigar, omnem
Psal. 118. iniquitatis viam odio habens. Ergo frustra peccatores expectant me, tua lege, &
Psal. 141. custodia tutum. Expectent potius iusti donec retribuas mihi. Sed excellentiori modo Martyres sancti dixerunt, Me expectãt peccatores, qui fidem, & vitam æternam perdere conantur: sed intellectu legis tuæ, & constantia fidei muniti vicerunt vincentes se, & torserunt torquentes se, & vitam profundentes temporalem, victores inuenerunt æternum.

96 Omnis consummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.

Vidi, & intellectu fidei colluſtratus aduerti mandatum tuum, quod est latum nimis, esse finem omnis consummationis. Quid enim consummatum, atque perfectum esse potest sine mandato, & obseruantia legis tuæ? ita vt spiritu tuo plenus dixerit quispiam. Mandata tua obseruare,
Eccl. vlt. hoc esse omnem hominem. Quod si hoc omnis homo; absque hoc nihil omnis homo. Ita sanè, qui enim abs te elongatur, nec legem tuam seruat, pro nihilo, & nihil
Psal. 143. est. Quid est enim homo, nisi quia tu innotuisti

notuisti ei? Vidi etiam mandatum tuum esse finem omnis consummationis, tum quia totius perfectionis est regula, omnemque consummationē affert, & finem re ipsa præstat, siue mala malis, siue bona bonis tandem reddendo.

Mandatū Dei sine fine, quia ad vitam sine fine perducit.

Sed & illud perspexi, omnis rei quantumcunque perfectæ, ac cōsummatæ tandem finem esse, siue prospera sint, siue aduersa. At mandatum tuum patere latissime, & sine fine esse, quatenus hominē ad vitam, quæ est sine fine perducit. Legimus & consummationem malitiæ, & consummationem virtutis, & consummationem hominis, & consummationem seculi. Sed horum omnium finem vidi, sed non ita mandati tui, quod omnia complectitur. Sed quomodo cùm angusta sit via mandati tui, siue in intellectu fidei, siue in tramite virtutum, mandatum ipsum latum esse potest? & tamen latissimū est: quia in ipsis angustijs viæ cor nostrum dilatat, educens nos in latitudinem. Caritas enim tua; & *Psalm. 30.* imitatio tua, & consolationes tuæ statuūt in loco spatioso pedes nostros: vt dilatato corde, & præparatis pedibus, tanquam ceruorum, & brachijs instar arcus ærei roborati, & spatiosè pascamur; & in te, per te, ad te, in summa latitudine curramus.

(ה)

Mem,

ם Mem, id est, Ex ipsis.

Octonarius XIII.

97 QVOMODO dilexi legē tuam Domine? tota die meditatio mea est.

98 Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

100 Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui.

101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.

102 A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.

103 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo.

104 A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

97 Quo-

97 Quomodo dilexi legem tuam Domine? tota die meditatio mea est.

QVAM ardenter, quam ex animo dilexi legem tuam Domine? legem, inquam, quam tu dedisti nobis in corde: & in visceribus nostris inscripsisti: de qua antea dixi, latum esse mãdatum tuum nimis. Hæc verò lex est, quæ non premit, sed erigit; nec imposita est vsque ad tempus correctionis, sed immaculata, permanens in seculum seculi. Hanc, quia dilexi, potuit tota die, id est, perpetuò meditatio mea esse. Nec enim timendum, ne non possim semper inspectare, quam possum semper amare. Cura enim disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum tuarum. Et hinc etiam potest intelligi, quantopere eam diligam, cum tota die cor meũ in ea sit: illam cogitẽ, in ea delecter. Nempe illa est thesaurus meus, propterea semper est in ea cor meum. Quam felix anima, quam pennis pulcherrimis, & integerrimis eleuat lex ista tua, vt ad te ascendat volando, quæ ascendit amando!

Meditatio perpetua ex amore.

Psalm. 8.

Sap. 6.

98 Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: quia in æternum mihi est.

ET quoniam mandatum hoc tuum, in æternum mihi est, lex hæc, quam perpetuò,

Supra fraudes

Inimicorum Lex Dei est.

petuo, & contemplor, & diligo, sine intermissione, aut termino mihi est: ideo gratulabundus, & laudans gratias ago, quod ea me prudentem fecisti super inimicos meos. Quærant astuti homines quomodo noceant. Sed lex tua prudentiorem facit me, vt consilijs eorum non capiar. Quærant inimici inuisibiles, quomodo me perdant; huius legis lumine, astutias agnosco, ictus declino: scutum, & arma tua, quibus protegar, oppono. Quid enim timeam, si cœlesti prudentia vallatus fuero? Ipsa quippe amor est acute discernens ea, quibus abs te separari possum ab ijs, per quæ accedo.

99 Super omnes docentes me intellexi: quia testimonia tua meditatio mea est.

Vis doctrinę cœlestis.

ET quidem assidua huius legis meditatione eo proficere potui, vt etiam super doctores meos intellexerim. Profeci tamen eo vsque, non ingenio meo, non magistrorum industria, sed gratia tua. Nā illi non poterant nisi exterius erudire. At nisi tu Magister meus intime ipsam legem tuam digito inscriberes, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis mei, frustra illi sonarent sapientiam foris, quam abs te non perciperem intus.

100 Su-

100 Super senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.

NOn est ista temeritas, non arrogantia, sed laus tua mandatorum tuorum, & gratiæ tuæ virtus, non ingenij, vel industriæ meæ fructus. Non enim super illos senes intellexisse me iacto, quos tu lege tua erudiens vera sapientia illustrasti: sed de ijs loquor quos ætas, aut experientia, & rerum vsus, aut humanus intellectus erudiuit. Quantalibet enim hi scientia polleant; & plura, & perfectius ego intelligo, mandata tua quærens, & inuestigans. Anima enim viri sancti (quam scilicet tu erudis) enuntiat vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. *Super omnem doctrinam lex Dei.* *Eccl. 37.*

101 Ab omni via mala prohibui pedes meos: vt custodiam verba tua.

ITa mihi veneration fuerunt verba tua, vt nec in magnis, nec in paruis ab ijs recedendum putarim. Nec ab vna, aut altera via mala, sed ab omni prorsus, qualis est omnis, quæ à lege exorbitat tua, pedes meos prohibui. Dixi autem. Prohibui, quasi pro potestate, & imperio coercens illos, suapte natura, & concupiscentia ad deuiandum pronos. Legem enim mem- *Exacta legis custodia.*

Ex Dei gratia.

biorum, & corpus mortis in salsuginem maris, instar aquarum, defluentia, te quidem legem ponente, & seras, ac vectes cõstituente, legis tuæ custodia continui, vt ad

Psal. 113. imperium tuum Iordanis, qui continenter defluit, id est, corruptelæ humanæ lapsus, conuertatur retrorsum. Ita nouo miraculo, dum ad terram promissam properamus, stant aquæ, nec in præceps excur-

Ios. 3. runt. Tibi canantur laudes Domine, tibi mirabiliũ effectori. Nã mihi sine te quid

Ios. 4. sum, nisi dux in præceps? Ponantur & tibi lapides memorialis, vt, cum interrogauerit cras mens mea, quid sibi volunt lapides isti, id est, monumentum, & memoriale magnalium tuorum, respondeat spiritus grato animo, id factũ esse, siccante Domino Deo nostro aquas in conspectu nostro.

102 A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi.

Perseuerantia in legis custodia.

HInc & illud factum est, vt non solum prohibuerim à vetitis pedes meos, sed etiam indesinenter eos in iussis perstare fecerim. Ideò declinaui à malo, & à bonis non deflexi: quia nec à iudicijs, & placitis tuis, in quibus totius rectitudinis linea est, sum passus auerti. Id autem, etsi carni difficile, atque arduum est, ideò consecutus sum, quia tu legem posuisti mihi. Tu inquam, cui tanquam factori, iudici, benefactori,

factori, parenti, remuneratori non perpetuò obedire nefas duxit? Quis enim hæc cogitans, à lege tua recedat? Quis memor tui non pareat tibi? Quis legislatorem te reputans, non intimis medullis legem exosculetur? Nec solum ea me consideratio à declinando absterruit, & retraxit, sed illud præcipuè, quia tu legem posuisti mihi, gratiam simul, & vires intus præbens. Posuisti quippe legem non solum iubendo, & illuminando, sod etiam sanando, dirigendo, afficiendo. Vnde & alibi oraui. Vias tuas Domine demonstra mihi. Parum est. Et semitas tuas edoce me. Neque hoc sufficit mihi, sed addo. Dirige me in veritate tua, & doce me. Sed neque hoc satis, tantus est animæ languor, ergo & trahe me, & porta me. Quippe tu dixisti. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo.

Consideradum, quis legẽ ponat.

Idem legem dat, ac vires.

Psal. 24.

Isai. 46.

103 Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo?

SERVARE quidem legem tuam, nec ab ea declinare, tuæ virtutis est Domine, non humanæ infirmitatis; sed eousque immutari hominem, vt etiam dulcis ea fiat, hoc planè magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquitur, & mirabilia tua narrat. Nam vt ea, quæ sensum mortificant, carnem trucidant, dulcia faucibus fiant, hoc omnino gloriam regni tui exaltat. Super

Gratia legem iucũdã facit.

Psal. 144.

Psal. 18. Prou. 16. mel fiunt dulcia animæ desideranti. Fauus mellis, inquit spiritus tuus, verba composita, vita animæ, sanitas ossium. Quæ verba composita, id est, dulcia sunt, si tua non sunt? Quæ de melle cæli mellea, & de lumine tuo luminosa animam non dulcorant modo, sed dulcedine inebriant. Inuēti sunt sermones tui (ait alius Sanctorum) & comedi eos: & factum est mihi verbum tuum in gaudium, & in lætitiam cordis mei, quoniam inuocatum est nomē tuum super me Domine Deus exercituum. Sed hæc dulcedo experientia potius magistra, quam scientia, aut narratione scitur. Exaggeret quis quantum potest dulcedinem mellis, verba sunt, aliud est gustus. Idcirco, Gustate, inquit, & videte. Vide Domine corruptionem palati nostri, sana illud, eleua ad superiora: & gustet dulcedinem tuam, quam amare non potest, si nihil ante de eius suauitate gustarit.

Ierem. 15.

Psal. 33.

104 A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Profectus ex legis custodia.

ANIMADVERTE singularem fructum ex Dei mandatis, & animæ sanctæ per ea profectum. Et quoniam, inquit, eloquia tua mihi dulcia super mel fuerunt, ideò & potui ea semper meditari, atque ex ea meditatione non solum mandata

data tua intellexi, id est, quid præciperes, quid prohiberes : sed etiam ab ipsis mandatis (quæ cum intellectum illuminarunt scientia, tum etiam opere completa, affectum perpurgando, ad ampliora lumina extulerunt) longè maiora, & præstantiora intellexi. Vidi quippe in eo lumine summam vilitatem, & infirmitatem meam, vitiorum fœditatem, virtutis pulchritudinē, speciositatem, ac sublimitatem tuā, puræ animæ candorem, virtutis tuæ adiutorium, & firmitatem obedientiæ, in te dulcedinem, retributionis inexcogitabilem amplitudinem. Hæc enim, & longè plura à mandatis tuis intellexi: quo factum est, vt non modo pedes meos à via mala prohibuerim: à iudicijs tuis non declinauerim: omnem viam malam à me excussérim: sed etiam omnem iniquitatem odio habuerim. Quæ enim odio habemus, nec nominari patimur, nec ad ea patienter oculos conuertere possumus, quin longissimè abijcimus; & vel solum aspectum perhorremus. Non enim nequicquam dixit Sapiens. Quasi à facie colubri fuge peccatum. Quis enim cum serpentem viderit, quem veneno plenum mortifero norit, diu deliberet, an fugiendum? ira & viam malam, vbi vita animæ meæ, quæ tu es, à me excluditur, odio habens quasi naturali quodam horrore execratus sum. Nec solum grauia peccata, quæ à te omnino separant,

Quantum à peccatis abhorrendum.

Eccl. 21.

Etiam leuia odio habenda.

parant; sed quoniam etiam leuiora id faciunt, vt à te distrahant, atque intimam coniunctionem impediant, illa etiã odio habui, & abominatus sum. Non enim paruum bonum impediunt, cum feruorem tepefaciunt caritatis, & familiarem tecum conuersationem interturbant: à quo vel modica separatio, quasi mors præsens, ac pernicioſissimus mihi interitus credendus est.

ℶ Nun, id est, Sempiternum.

Octonarius XIX.

105 LVcerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

106 Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

107 Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundùm verbum tuum.

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.

109 Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam nõ sum oblitus.

110 Po-

110 Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erraui.

111 Hereditati acquisiui testimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei sunt.

112 Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.

105 Lucerna pedibus meis verbum tuũ, & lumen semitis meis.

QVAM necessaria lucerna, vbi viæ filiorum Adam, non nisi tenebræ, & lubricum? Gratias tibi amator salutis perditorum, qui in caliginoso loco, donec dies illucescat, lucernam parasti nobis verbi tui; pedibus lucernam, semitis lucẽ: alioqui quis posset tuto pedem figere? Sed lucerna præmittenda est ante faciem, vt gressus dirigat. Nam si post terga habeatur, pedes omnino offendant necesse est. Et, iustus est, non qui fidem habet, sed qui ex fide viuit. Sunt in via foueæ, sunt lapides offensionis, sunt spinæ, sunt feræ bestiæ: quis pertranseat illæsus sine lumine? Porro lucerna hæc oleo perpetuò nutrien-

Lucernæ necessitas.

Psal. 34.

Debet præmitti.

Rom. 1.

Nutriẽda oleo.

da est, ne deficiente pabulo lumen deficiat; & oleo nutrienda, quod à te Iesu luminosissime, per multa infusoria in nostras lucernas deriuatur; idque in vasis semper habendum, ne cum fatuis Virginibus excludamur. Non extinguatur Domine in nocte lucerna mea: luceat semper, & ardeat. Primò, vt à furibus insidiantibus, & perfodientibus custodire me valeam. Secundò, ne in tenebris ambulans, etiam domi, vbi nemo me videt nisi tu, id est, in occultis cordis mei corruam, offendam, & crura, caputve lædam. Tertiò, vt quemadmodum decet filium lucis, & diei, in omnibus honestè ambulem, & recta opera in lumine faciam, non quæ in obscuro fieri consueuerunt. Denique, vt, cum veneris, & pulsaueris, confestim aperiam tibi, & reuertenti à nuptijs lætus occurram. Quam ob causam & præcinctis lumbis, & lucernas manu tenentem ardentes, vigilare, ac præstolari me iubes.

Matt. 25.

Lucernæ beneficia.

Rom. 13.

Luc. 12.

106 Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Firmissimum propositum necessarium.

LVx ipsa, qua distantiam boni, malique cognoui, efficaciter mouit me, vt firmissimè statuerem, & iuramento me obstringerem seruare legem tuam, quam iudicia iustissima agnosco. Firmissimum autem propositum, & omnino efficax de-

siderium necessarium est, vt legem seruem aduersus quam lex membrorum, quæ intima est, & innata tã pertinaciter & cõcupiscit, & pugnat, imò & captiuat. Nec leuia proposita, aut imperfectæ voluntates, seu velleitates sufficiunt, ne cadamus in id, quod valemus; si id, quod nondum valemus, non tantum volumus, quantum sat est, vt valeamus. Et scimus te, cum hostes populi tui Philistæos terrere Dominus voluisses, fragore magno intonuisse. Quia tepida desideria nostra hostem nec prosternunt, nec fugant: fragor autem magnus, id est, feruor sancti desiderij, qui à te immittitur, hic spiritualem hostem debellat. *Rom 7.* *1. Reg. 7.*

107 Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundùm verbum tuum.

ET quidem in afflictionibus, quibus valde afflictus sum, in tua misericordia speraui quia promissis tuis confortatus sum, per quæ sperantibus, & clamantibus ad te liberationem, & vitam pollicitus es. Sed quæ maior humiliatio, quam vt in me sentiam, vnde carne seruiam legi peccati? Certè humiliatus sum nimis, & in excessu, & pauore meo dixi. Omnis homo mendax: quia saluare non potest. Quis ergo me liberabit de corpore mortis *Iusti humiliatio maxima lex membrorum.* *Psal. 115.* *Rom. 7.*

huius, nisi gratia tua? ne ibi fiat seruitus in tam periculosa pugna, vbi debet esse dominatus, sed præualeat spiritus à te viuificatus. Ideò quippe dixi Viuifica: quia hæc pugna mihi amarissima mors est. Viuificabis autem spiritu tuo, qui est vita ipsa, vt vitales actiones faciam. Secundum, inquam, verbum tuum, quo promisisti daturum te spiritum bonum petentibus. Spiritum rectum Domine da mihi: ita fiet, vt de spiritu tuo viuam.

Luc. 11.

108 Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me.

Voluntaria oris, quia ex corde orta.

SANE os meum, & lingua mea, quam fecisti, ad laudandum te, resonant magnalia tua, gratiarum actiones, benedictiones, & iubilationes, nec cessant etiam per os omnium creaturarum laudare te. Sapientiæ enim tuæ adstabit laus, & in ore fideli abundabit. Sed, quæ ore profero, ex intimo cordis sensu proficiscuntur; & corde magno, & animo volenti offeruntur, ideò voluntaria oris mei appello. Ea Domine beneplacita fieri cupio, id est, vt integrè placeant in conspectu tuo: vt sit voluntas, approbatio, & complacentia tua in eis. Sic ea respice quasi quæ in oculis tuis grata sunt. Sed quoniam vox Hebræa, & voluntaria significat, & spontanea, & libera-

Eccl. 15.

raliter, largeque oblata, his omnibus modis peto tibi grata, acceptaque fieri. Itaque voluntaria & ex magno cordis, ac voluntatis affectu oblata, sed per os vix tenuiter adumbrata, precor, vt animi desiderium, quod à te est, & tibi omnino est manifestū, respiciens, beneplacita facias. Exigua enim apud te esse non possunt, quæ ex cordis latitudine proferuntur. Spontanea autem voco, quæ supra iussionum tuarum legem offero. Non enim sufficit amori ea tantum agere, quæ iussa sunt, sed lōgè plura vltro, ac spontanee præstat. Est enim is plenus oculis, & pennis, vt animalia illa, in quibus sedentem te, tanquam in curru vidit Ezechiel Oculis, quia in omnes se partes versat, & dispicit quid tibi gratum esse possit: pennis, quia alatis desiderijs ad opus prouolat. Sed nisi manus tua sub pennis sit, quæ cieat, moueat, & iuuet, in vanum laboratur. Liberaliter verò, largeque proferuntur, quia diligenti nullus est terminus faciendi pro te: quia & ipse pluuiam volūtariam, siue spontaneam, seu liberalitatē, segregasti hereditati tuæ. Quam angusta ergo anima, quæ ea, quæ pro te amor facienda dictat, cancellis, terminisque vllis concludere audet? Cum contra spiritus tuus, nullis finibus contentus profluat largiter, exuberet abundanter, faciens supra quam petimus, aut intelligimus?

Et quæ supra mandata.

Amor plenus oculis, & pēnis. *Ezech. 1.*

Psal. 67.

Et quoniam iudicia, siue mandata tua,

Proficiendum semper.

quo diligentius seruantur, eo magis illuminant, possumusque perpetuò de claritate in claritatem proficere; idcirco quamuis & mandata dilexerim, & dulcissima expertus sim, eaque magno conatu adimplere conatus sim, oro tamen, quæsoque vt amplius, & lucidius iudicia tua doceas me: vt non vltione, sed vnctione magistra discam, quid desit mihi: discam non sublime sapere, sed cupiam semper ad anteriora te doctore, & ductore progredi, & extendi.

2. Cor. 3.

109 Anima mea in manibus meis semper: & legem tuam non sum oblitus.

Mira constantia.

ANIMAM habere in manibus, est perpetuò in periculo vitæ versari. Intelige ergo fortitudinem, firmitatemque Prophetæ: & ad imitandum tantum decus assurge. Cum homines ita soliciti sint pro vita, vt non possint quicquam aliud cogitare, quandiu in periculo versantur, quam quomodo effugiant, quomodo se tueantur: quibus vijs, præsidijsque inimicorum fraudes, & machinamenta declinent, adeò, vt non solum ijs distenti, de Deo, ac lege eius meditari non valeant, sed etiam ipsam legem violare audeant: & quidlibet agere animum inducant, modo euadant: Ego, inquit, contra in medijs ipsis periculis;

culis; quasi vitam, & sanguinem meum in manibus portans, legis tuæ meditationem, Deus meus, custodiamque non deserui: nec quicquam aduersus eam excogitaui, quo effugerem: quin potius eò me magis liberum, ac tutum arbitratus sum, quò tuæ me custodiæ, atq; tutelæ securius commendaui. Sed, quoniam sunt alij pernicioſiores hostes, qui mihi vbique, atque omni tempore insidiantur, nec de temporali tantum vita quotidie periclitor, sed de æterna, omnino mihi faciendum intellexi, vt omnem similitudinem in te proijciam: quoniam non te subtrahes, vt cadam. Itaque putaui, quo attentius in te respicio, cogitatumque meum omnem in te iacto, eo mihi tutius inter insidias licere viuere, vt illud valeam cum fidei exultatione gloriari. Dilectus meus mihi, & ego illi. Si de te solo cogito, nihil de me solicitus, sed de ijs duntaxat, quæ ad tuam voluntatem, & gloriam pertinent, tu vicissim pro me solicitus eris. Intende tu mihi, quia benignus, & misericors es: ego tibi, quia non sum ingratus: tu saluti meæ, tuo ego honori: vt fias petra mea, & turris fortitudinis à facie inimici, spes à turbine, vmbraculum ab æstu: tantoque securius in te, quam in mea solicitudine viuam, quantò sub alis tuis dulcius, tutiusque requiescam.

Eccl. 6.

Cant. 2.

Psal. 60.

110 Posuerunt peccatores laqueum mihi : & de mandatis tuis non erraui.

RVRSVS constantia in mandatis exprimitur, & inter oppugnationes hostiũ, & inter insidias. Sed compatiendum valde nobis ipsis Domine, quibus hostes inuisibiles, tanquam feris laqueum parant, occultè tendunt retia, vt capiant nos, & pedibus implicatis prædam deuorent. Sed quo recurrendum, vt euadamus? Non alio sanè, quam ad mandata tua. A quibus si non aberrauerimus, in illorum manus non incidemus. Callidi sunt hostes, vigilant semper, & non dormiunt, vt sagittent in obscuro miseros, quos persequuntur. Quis eorum insidias euadat? nisi humilitas, & oratio? Oculi mei semper ad te, quoniam ipse euelles de laqueo pedes meos. Da mihi Domine pennas amoris tui, casti timoris, sancti desiderij, & frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Assumam columbæ deargentatæ pennas, & volabo, & requiescam. Si sublimis in altum euectus, suspensusque à fallaci seculo, pedem in terra non fixero, laqueos effugero. Ecce oculi mei in manibus tuis ô piissime : ne expectare facias illos ne deficiant. Defecerunt quippe oculi mei in eloquium tuum, dicentes. Quando consola-

Necessitas opis diuinæ.

Psal. 10

Psal. 24,

Prou. 1.

Psal. 67.

solaberis me? Deus in adiutorium meum intende, alioqui capior. Domine ad adiuuandum me festina; festina & noli tardare. Nam si tardaueris, pereo. Veloces sunt inimici, sanguinem sitiunt, proximi semper. Ego imbecillis vltra quam intelligere valeo. Itaque festinatione opus est. *Psal 118.* *Psal. 69.*

III Hereditate acquisiui testimonia tua in æternũ: quia exultatio cordis mei sunt.

IAM ipsa testimonia tua, ipsa mandata, legem voluntatis tuæ non ita percepi, quasi transeunter, & furtiuè susceperim: sed iure perpetuo, tanquam propriam hereditatem possedi, idque in æternum. Non enim morte relinquitur hæc hereditas, imò cum dederis dilectis tuis somnum, tũc ecce hereditas tua. Ergo vt diuitias meas, patrimonium meum, firmamentũ meum illa acquisiui, & possedi. Beata hereditas, quæ nec à vicinis violentis eripi, nec vastari ab hostibus, nec tempestatum iniurijs lædi, nec morte auferri potest. Præclara hereditas, qua fit, vt ipse sis hereditas mea, possessio mea. Planè funes ceciderunt mihi in præclaris. Nam & ego possessio tua per ea sum, beatus tali possessore meo: & ipse possessio mea æterna mihi es, beato possessione mea tanta. Hanc mihi hæreditatem

Quã præclara hereditas Dei lex. *Psal. 26.* *Psal. 15.*

tatem legis tuæ, quam vt pijſſimus pater, non decedens, ſed ſemper viuens, quamuis non niſi intercedente morte filij tui, dediſti mihi: hanc, inquam, & cuſtodire, & ſeruare neceſſe eſt in gladio, & arcu meo, imò verius in gladio, & arcu tuo. Tu enim es, qui reſtitues, & ſeruabis hereditatem meam mihi. Hanc excolere diligentiſſimè: vt fructum referat, de pomis fructuum Solis, ac Lunæ, quæ ſcilicet tuo calore progignũtur, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum. Qui enim operatur terram ſuam, ſaturabitur panibus: qui autem ſectatur otium ſtultiſſimus eſt. Non declinem ab ea Pater bone. Quam enim partem haberes in me deſuper Dominus meus, aut hereditatem omnipotens de excelſis? Itaque hac hereditate non fruſtra glorior, quam retinere modis omnibus cupio: quia exultatio cordis mei ipſa teſtimonia tua ſunt. Non igitur timendũ, ne diuturnitate temporis, quaſi onere grauer, quia exultatio cordis mei ſunt. Ex quo facilè, & ſuauiter, imò & lætabundus librũ legis tuæ, quem ſcripſiſti, in humero meo portem, & circundem illum, quaſi coronã mihi. O legem deſiderabilem, quæ onus non aggrauat, ſed alleuat; & portantem quaſi corona ornat, & protegit.

Pſal. 33.

Pſal. 15. Deut. 33.

Prou. 12. & vide Eccl. 20.

Iob 31.

m Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.

QVONIAM vero suo pondere, id est, amore, quo fertur, carere cor non potest, ne ad vanitates, & insanias falsas, id est, ad sensibiles appetitus vergeret, inclinaui illud, id est, toto pondere ad iustificationes tuas tendere feci. Inclinaui etiam, quia per humilitatem legi tuæ subieci: ne erigendo se, caderet infra se; ac per hoc nec se inueniret, nec te. Non est enim voluntaria subiectio nisi humilium. Imò inclinaui, vt immediatè contingeret præcepta tua, quibus agglutinaretur: nam quicquid medium interponitur, iam cor seiungit. Quare obsecro te, aufer à me quicquid intercedere potest, vt se toto placita tua tangat: illis penitus adhærescat.

Inclinatur cor Primò per amorem.

Secundò, per humilitatem.

Tertiò, ad tangẽdum.

Nec parua censenda est retributio pax ipsa, & quies, quam in adhæsione ad legem tuam inuenit. Nam omnia ponderibus suis aguntur, & loca sua petunt. Minus ordinata inquieta sunt: ordinantur, & quiescunt. Atque ita cor hominis, dum in mandatis tuis requiescit, in te requiescit: ac propterea verè requiescit. Nam væ animæ audaci, quæ sperauit, si à te recessisset, se requiem habituram, cum dura sint omnia, & tu solus requies. Et qui-

Retributio est Primò pax, & quies. *Aug. cõf. l. 33 c. 10.*

quidem, si nulla esset alia retributio, meritò ob hanc pacem, quam in lege tua quiescendo inuenio, cor meum ad illam inclinarem.

Secundò, vita æterna.

Sed est & alia retributio, quà nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: quia seruãtibus legem tuam promisisti speciem tuam; & quibus dedisti, vt te diligerent, promisisti te ipsum manifestare. Quo breui verbo omnia desiderabilia concludantur. Sed numquid Domine, quia propter retributionẽ ad legem tuam sectandam accingor, mercenarius sum, vt propter mercedem seruiam? absit. Et mercedem specto, & mercenarius non sum, quia merces mea magna nimis tu ipse es; & visio, & amor possident te. Quid enim mihi est in cælo; & præter te quid volui super terram? Amore igitur serui, vt amore possideam. Hæc est enim verè beata vita gaudere ad te, de te, propter te. Propter hanc retributionem qui seruit, quoniam amor merces est, & tu ipse, qui amore in æternum possideris, merces es, non propter aliud te diligit, neque alio tendit. Ergo inclinaui cor ad faciendas iustificationes tuas propter hãc retributionem, quam solam intendo, solam cupio: cui soli inhio, quæ sola vita est.

Tertiò, ipse Deus, cui ex amore seruit. *Psal.* 72.

Aug Cõf. l.10. c.22.

Sa-

ס Samech, id est, Adiutorium.

Octonarius XV.

113 INiquos odio habui: & legem tuã dilexi.

114 Adiutor, & susceptor meus es tu: & in verbum tuum superspera-ui.

115 Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.

116 Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.

117 Adiuua me, & saluus ero: & meditabor in iustificationibus tuis semper.

118 Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.

119 Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideò dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

113 Ini-

113 Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi.

Iniquorũ displicet iniquitas non natura.

QVOD tibi displicet, placere mihi non potest. Quod ipse odio habes, amare non possum, qui te, & legem tuam ex animo dilexi. Iniquos odio habui, quà iniqui sunt, id est, à lege tua discedunt. Quod ipse fecisti in eis, probo, & diligo, hoc est naturam, quam bonam bonus autor fecisti. Quod ipsi fecerunt, hoc est iniquitatem, odi, & execror. Imagini quippe tuæ, quam decoram condidisti, ipsi adulterinam, fœdamque superinduxerũt, & piceo quodam colore formosam denigrarunt. Quoniam iniquitatis, & mendacij pater persuasit voluntati illorum similitudinem voluntatis suæ, qua in veritate non stetit. Quomodo ergo diligam, quos diabolo factos esse similes agnoui, eiusque tetram imaginem superindũisse?

Et odio est primò propter fœditatẽ. Secundò, propter recessum à Deo. Tertiò, propter scandalũ.

Odio autem habui tum propter fœditatem, quę ex tua luce mihi supra modum apparuit: tum quia à te recesserunt, cui toto affectu inhæreo: tum etiam, quia odorem tuum inter homines fœtere faciunt: tum quia scandalo, & ruinæ alijs sunt: tum etiam, quod me dissonantia morum ad peiora detrahunt. Facit autem hoc odium vt teipsum magis diligam: me mutabilem agnoscens in tuo lumine humiliem: à

Iusti com-

te ſupplex auxilium, & confirmationem expetam: vitam hanc paleis, & zizanijs intermiſtam deplorans grauatè feram: ad mundiorem, & quietiorem aſpirem, & ſuſpirem: pro his gemebundus ad te preces effundam, ſi quo modo des eis ſpiritum pœnitentiæ, vt à vanitate ad veritatem trāſeant: & tenebras exuentes luce tua veſtiātur: & cetera cum odio proijcientes, tibi vni toto pectore adhæreant. Ita ſanè illos odio habui, & legem tuam dilexi, quæ, vt mihi odij erga iniquitatem cauſa eſt, ita & compaſſionis erga iniquos, & amoris erga te mihi incentiuum fuit. moda ex peccatoribus.

114 Adiutor, & ſuſceptor meus es tu: & in verbum tuum ſuperſperaui.

IN Hebræo ſignificantius, pro adiutore, latibulum: pro ſuſceptore clypeus, vel ſcutum. Quibus vocibus ſignificatur, non quocūque modo te eſſe adiutorem meum, ſed intra viſcera miſericordiæ, quaſi intra latibulum abſcondendo. Quid timeat, qui intra te latitat? quis inimicus in hoc latibulum perrumpat. Clypeus à circumdando, & ſepiendo, atque concludendo vocatur. O ſuſceptorem non qualemcunque, ſed ſcutum protegens, atque circumdans. Iaculetur ſagittas ignitas, qui ſagittat in obſcuro, ſub hoc clypeo tutus ſum. Vtinam ab eius velamento nunquam recedam, Deus Tuſto latibulum. Et clypeus. *Pſal. 10.*

dam, & vulnera non formido. Hanc autem mihi protectionem non arroganter vsurpo sed quoniam verbum tuum, & promissio tua sperare me facit.

Superspe-rare significat Primò bene fundatam spē. *Psal.* 145.

Sed quid est supersperaui, ἐπήλπισα? vehementer speraui : firma basi subnixus speraui. Spes enim, qui in homine ponitur, fallax, & vana est. Nesciunt, nolunt, nequeunt me iuuare. Exibit spiritus Principis, & reuertetur in terram suam. Quam malè innititur, qui innititur super eo? Tu autem Domine, si tibi innitar sustinens te, in te sperans, non sustinebo mendacem; non eum, qui falli possit; non eum, qui non sit inuenturus, quod det. Nec falli potes, nec fallere, non magis, quam egere vt dare non possis. Ideò in verbo tuo non solum speraui, sed supersperaui.

Secundò, semper magis sperare. *Ambros.*

Superspe rare autem eius est, qui semper addit ad sperandum : &, cum speraut aliquid, iterum sperat, & spe proficit, extendens se semper ad superiora, & ea quæ præterijt obliuiscens.

Tertiò, spe supra humana.

Supersperaui etiam, quia plusquam humana fiducia speraui, sed in te, in quo solo superspes est.

Quartò, res superiores.

Nec vulgaria, aut temporalia à te speraui, sed superiora, cælestia, & æterna, ideò supersperaui.

Quintò, etiã contra spem.

Supersperaui etiam, quia memini dictum à Spiritu tuo; vt, qui tribulationem

super

super tribulationem expectãt (quibus corripis, purgas, sanctificas) ipsi etiam spem super spem præstolentur. Spes enim non confundit: ideò supersperaui. *Isai. 28. secundùm Septuag. Rem. 5.*

115 Declinate à me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.

MALI, & peruersi homines siue cum premunt, siue cum honorant, & obsequuntur, mirum quantopere à lege Dei auocent: quæ non nisi in tranquillitate cordis, & sancto otio discitur. Quare Sapiens monet sapientiam discendam in otio. Ideò, vt legem Dei perscrutari valeam, iniquos à me declinare, & recedere iubeo. Nocent premendo, nocent exemplo, nocent occupando. Declinate à me, & scrutabor. Sed, cum omnes maligni impediant, illi præ ceteris intelligendi sunt, qui priuilegio malignitatis Maligni spiritus vocantur: illi præ ceteris impediunt, & præ ceteris arcendi, qui mille modis ab omni quidem bono, vel opere, vel cogitatu nos impedire satagunt, sed præcipuè à studio Scripturarum sanctarum, & à lege Dei meditanda. Malignus (inquit Scriptura) nocet cum se commiscuerit Iusto: odit autem sonum turelæ. Nocet quippe commiscendo se Sanctis, id est, suas conceptiones, & perturbationes ingerens, quas quia à sanctis meditationibus Scripturarũ nouit

Iniqui bonis impedimento. *Eccl. 38.*

Maximè dęmones. *Prou. 11. secundùm Septuag.*

nouit impediri, nihil sic refugit, nihil sic impedire conatur. Ideò dicitur sonum tutelæ odisse. Quæ enim maior tutela contra omnia illius irruentia tela, quam studium verbi Dei? Hanc verò legem, quam in medio cordis mei habere cupio, & tanquam thesaurum custodire (quod Hebræa indicant) scrutari perpetuo desiderio. Est autem scrutari perueſtigare assiduè, & diligentissimè, in qua nec vocula, nec apex, nec syllaba est, quæ ingentem thesaurum non habeat. Vnde ait quidam Sanctorum, idem nobis in Scripturis sanctis faciēdum, quod aurifusorum pueri faciunt, qui minuta etiam fragmenta curiosè cōquirunt. O bone Iesu, quanto labore, quāto sudore, quanta perseuerantia de profundissimis terræ viscеribus metalla, argentum, & aurum eruuntur? Quid in sacris literis faciendum nobis, in quibus diuitiæ immortales, & vita ipsa nostra posita est? Quare S. Augustinus, qui id optimè norat, nolebat in aliud, quam in meditatione legis tuæ defluere horas, quas inueniebat liberas à necessitatibus reficiendi corporis, & intentionis animi, & seruitute, quam hominibus debebat. En quomodo expendendæ horæ. Nec mirum. Nouerat enim in Scripturis sanctis viam te posuisse salutis humanæ ad eam vitam, quæ post hanc mortem futura est.

Nullus apex in Scriptura non thesaurum continet. *Chryſ. ho. 3. ad Roman.*

Conf. lib. 11. c. 2.

Et lib. 7. c. 7.

116 Suscipe me secundùm eloquium tuum, & viuam.

QVI dixerat, susceptor meus es, cur orat, vt suscipiatur, nisi quia magis, magisque suscipi & indiget, & optat? Suscipe, inquit, me tanquam labentem, & nutantem, ne cadam: ne te subtrahas, sed suscipe me: cuius enim pedes stare poterunt in infirmitate tanta, nisi te suscipiente, confirmante, tenente, & supra petram statuente? Suscipi petit, vt imbecillus.

Deinde suscipe solus omnipotens Medicus infirmum, & susceptum tuum sana: qui sanas contritos corde, & alligas contritiones eorum. Quod vtique non posses, nisi numerares multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocares. Nam infirmitates meæ non corporis, sed cordis sunt, quas ipse solus medicus curare possis, qui & omnipotens es, & fecisti, ac refecisti me: & vnguenta conficis suauitatis: nec deficient opera tua. O qualis infirmitas? qualis Medicus? quanta medicamenta? Et, vt æger. *Psal.* 146.

Suscipe tanquam clientulum susceptum tuum. Nam nemo in causa tanta efficax potest esse patronus, nisi qui donas debita, nihil perdens. Patronus ex misericordia: ad misericordiam à iustitia prouocans, apud misericordiam causam meam agens. Et, vt Cliens.

Susceptionis huius vita est fructus. *Ambros.* *Coloss.* 3.

Porrò finis huius susceptionis est, vt viuam. Quomodo enim potest non in æternum viuere, quem sempiterna vita suscepit? quem totum sibi Christus assumpsit? qui totus Verbi est? cuius vita abscondita est in Christo Iesu? Viuam susceptus à te etiam in hac vita ob veram lætitiam, & elongationem à vitæ huius ærumnis? viuam in gratia, viuam in spe, viuam de te, cui solum agglutinatus viuere possim. Alioqui nec vita hæc misera, vita est, nec viuere dicendus est, qui tibi non spirat, de te viuit, in te mouetur, & est. Viuam verius in alia, quæ verè vita est: quoniam apud te est fons vitæ. Inde hauriam sine defectu, sine satietate, sine fastidio. Suscipe ergo me, & viuam. Sed intolerandæ præsumptionis videretur, dicere. Suscipe me, nisi promissum tenerem secundùm eloquium tuum, quo id promisisti. Suscepit te, inquis, dextera Iusti mei. Suscipiam te ego Protector tuus. Vt hoc igitur postulare auderem ipse fecisti: tuo te chirographo conuenio, qui nostrum chirographum sustulisti. Nos fecimus chirographum mortis, tu scripsisti chirographum vitæ.

Act. 17.

Psal. 35.

Promissio Dei erigit ad petendum. *Isai.* 41.

Non confundas me ab expectatione mea.

Ne sit frustra expe-

EXPECTANS te viriliter agam, & sustinebo te, quia spes non confundit. Ex-

Expecto ſecurus auxilium tuum, promiſſum tuum, faciem tuam. Quæ enim eſt expectatio mea, niſi tu Domine, apud quem & ſubſtantia mea eſt? Expectatio mea vita æterna eſt. Non confundas me, non erubeſcere facias, tanquam expectatione fruſtratum. Sed quis verè ſperauit in te, & confuſus eſt? Sed plus audeo. Tremens dico, ſed audeo tamen. Ne confundaris ipſe ab expectatione tua. Quid enim expectaſti de me? an vt facerem vuas, & feci labruſcas, & ſpinas? Aliud expectaſti, & aliud inueniſti: fructus expectaſti, ſpinas protuli: ne confundaris ab expectatione tua. Ecce truncus iſte Adam ſpinoſus, non niſi ſpinas profert. Sed, ſi tu omnipotens inſerueris medullis meis ſpiritum tuum, proferam fructus vitæ, fructus tuos, fructus honoris, & honeſtatis. Inſere te mihi medullitus, vt eos pariam. Inſere viciſſim me in te, & fient emiſſiones meæ Paradiſus malorum punicorum: vel vt in hebræo, paradiſus deliciarum. O Saluator, & ſuſceptor meus, in hoc glorificaberis, quia potens, & ſuauis es.

ctatio noſtra. *Pſal.* 26. *Rom.* 5. *Pſal.* 38. Neque fruſtra expectatio Dei de nobis. *Iſai.* 5. *Cant.* 4.

117 Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.

TANQVAM reſponſum fuerit mihi in ſilentio, Si non vis confundi *Auguſt.*

ab expectatione tua, non intermittas meditari iustificationes meas, sentiens istam meditationem plerumque animæ lãguoribus impediri, compellor orare, adiuua me: vt & saluus factus ex accepto beneficio non segnior, sed vigilantior fiam; & grato animo in tua lege, tuisque iustificationibus mediter, non frequenter, sed semper. Semper enim in illis supereſt, quod quærã: vbi & lua beneficia, & tua iussa, & tuam dulcedinem, & ex alloquio tuo nouam sapientiam hauriam.

118 Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum.

Peccatores nihil, & nugæ sunt.

IN græco, ad nihilum deduxisti. Tales omnino sunt, qui discedunt à lege tua, tales abs te æstimantur. Qui enim recedunt à lege, & mandatis tuis, à te discedũt: quos merito per Prophetam quisquilias, & nugas vocasti, dicens. Nugas, quia à lege

Soph. 3. receſſerunt, congregabo. Discedunt autem non locorum spatijs, sed inobedientiæ elõgatione, non vijs, sed vitijs. Nec subduntur maiestati, nec seruiunt benefactori, nec congruunt regulæ: superbi pariter, & cœci. Merito contempti, & despecti, & ad nihilum redacti, & pro nihilo habiti,

Eccl. 1. quando vniuersa vanitas, qui non timet

Sperni à Deum, & eius mãdata nõ seruat. Quo quid mi-

miserius dici, aut excogitari possit? Quid enim est sperni à te? Lego, & timeo. Cōfusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Lego, & contremisco. Audiuit Dominus, & spreuit, & ad nihilum redegit valde Israel. Considero opera Dei, & deficit in me spiritus meus. Quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. O tortuosas vias filiorum Adam. Et recedunt à te, & superba deiectione, atque inquieta lassitudine tutos se, & felices esse posse præsumunt. Quam verè iniusta dicitur cogitatio eorum, quæ tam fœdè, tam iniquè, tam insipienter fallitur? Iniusta cogitatio, quia superbiunt: iniusta, quia rectitudini non coaptantur, nec eorum vita tuæ voluntati respondet. Peruersæ enim cogitationes rectas non pariunt operationes: nec potest quisquam opere placere tibi, qui cogitatione non placet. Denique si peruersæ cogitationes à se separant, & omnes cogitationes eorum contaminatæ sunt, merito à te ad nihilum redacti, nihili reputantur.

Deo grātum malū *Psal.* 82. *Psal.* 77. *Eccl* 14.

119 Prævaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideò dilexi testimonia tua.

PRAEVARICANTES, & recedentes à Deo idem sunt, quod Hebræa vox sonat. Sanctus Hieronymus quasi explicans

Peccatores scoria sunt.

quod dictum est, Spreuisti, trāstulit, scoriam reputasti. Et reuera scoria, & nihil sūt, qui à Deo recedunt, & à lege eius præuaricantur. Cum contra de adhærentibus illi dictum sit. Nimis honorati sunt amici tui Deus. Et idem ipse contestetur, ac dicat. Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Quam miserum hoc, quā sublime illud. Sed & ego inhærens tuis placitis Domine, tuoque exemplo, qui spreuisti eos, sine dubitatione præuaricantes illos, & nihili æstimaui.

Psal. 138.

1. Reg. 2.

Peccatores terræ dicuntur primo, id est, Oēs, toto orbe &c.

Secundò, terræ affixi.

Ier 17.

Gen 3.

Isai. 65.

Luc. 15.

Et quoniam non priuata aliqua mea causa; non quod mihi molesti essent eos odiui, sed quia à te summa rectitudine recedunt: ideò non hos, vel illos, sed omnes peccatores terræ, vbicunque tandem per vniuersam terrā dispersi sint, odio habui, & execror. Et alioqui meritò etiam peccatores terræ voco, quia recedentes à te in terra scribentur: & terræ affixi, terræ inhiātes, serpentino pane, id est, terra, & puluere vescuntur, cum serpenti dictum sit à te maledicente, terram comedes. Et item Serpēti puluis panis eius. Quomodo enim supernis pascantur, & vitali tuo pane saturētur, qui à te recedunt in regionem longinquam? Sed, quo eos impudentius legem tuam præuaricari, tanquam si vile quid esset, animaduerti, eo pretiosiorem illam habui, magisque sum admiratus, & ideò

dilexi

dilexi testimonia tua.

120 Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.

CVM legem tuam diligam, prævaricantes oderim, non tamen sine timore iudiciorum tuorum esse possum. Timeo enim à Iudicijs tuis.

Primò, à pœnis quas à te recedentibus paras. Paueo gehennam: paueo Iudicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Horreo vermē rodentem, & ignem torrentem, fumum, & vaporem, & sulphur, & spiritum procellarum. Hæc enim pars calicis eorum, qui à te recedunt. Quis mentis, aut sensus compos credendus est, qui ad hæc non contremiscat?

Timentur primò pœnæ. *Eccl.* 51. *Bern. ser.* 16. *in Cantic* *Psal* 10.

Timeo secundò, à iudicijs tuis: quia oculi tui lucidiores Sole, qui inuestigant secretiora ventris, multa vident in me fœda; quæ ipse non agnosco. Tenebræ, lippitudo, mei ipsius nimia vicinitas, & quasi superpositum obiectum impediunt me. Timeo, ne quid in abysso cordis mei lateat, quod me lateat, & tibi displiceat.

Secundò, occulta peccata. *Eccl.* 23.

Timeo tertiò, à iudicijs tuis, ne quando iustissimè manum tuā ab auxilio serui tui retrahas, & cadam. Quis enim stabit nisi titubāti, & corruenti fulmenta manus tuæ sin-

Tertiò, ne Deus deseràt.

singulari clementia supponas. Audio denuntiantem vnum è Doctoribus tuis. Et hæc sanctis causa est tremendi, atque metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Vidimus Cedros Libani prostratas: vidimus expeditè, velociterque currentes impegisse, & corruisse. Iudicia tua abyssus multa. Superbia, ingratitudo, tepor inuenta sunt in me. An hæc non iustissimè manum tuam retrahunt? Sed miserere mei secundùm iudicium diligẽtium nomen tuum. Discam non superbè sapere; discam humiliter sentire; sed pietate magistra, non pœna. Nam quæ formidolosa magis pœna, quam si substracta manu sinas me à te labi? Auertat hoc misericordia tua. Quod vt constanter fiat, confige timore tuo carnes meas.

S. Leo ser. 7. de Epi.

Psal. 35.

Psal. 118.

Petitur timor castus.

Timui quidem quæ dixi, & tamen timorem efflagito, sed eum, qui configat carnes meas, timorem castum, quem caritas non mittit foras: timorem, quem amor non expellit, sed fouet, sed nutrit, sed auget. Ad mensuram quippe amoris hic timor crescit, qui non timet pœnam sed oculos Dilectiveretur offendere. Hic timor, ait Spiritus tuus, gloria, & gloriatio, & fiducia exultationis. Hic verè, & solus non quouis modo, sed clauis configit carnes. Quia amore iustitiæ peccatum ipsum deputat pœnam; & vniuersas carnales concupi-

Eccl. 1.

August.

cupiscentias affigit Cruci, vt dicere possi- *Cass. Inst.*
mus Christo confixus sum Cruci: dum nō *l. 4. c. 35.*
solum carnalibus vitijs, verum etiam ipsis elementis mundi huius mortuos non esse probamus, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momētis singulis migraturos. Quis enim ita carnalibus sensibus mortuus est, verè carnem suam crucifixit, vt concupiscentias clauis comprimat, & spiritualium bonorū delectatione vsque ad perfectionem crescente victoria carnem perimat. Quomodo enim luxuria sentiatur, vt ait Bernardus, vbi nec vita ipsa sentitur, vtpote à sublimioribus absorpta?

ע Ain, id est, Fons, vel oculus.

Octonarius XVI.

121 FEci iudicium, & iustitiam: nō tradas me calumniantibus me.

122 Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi.

123 Oculi mei defecerunt in salutare tuum: & in eloquium iustitiæ tuæ.

124 Fac cum seruo tuo secundùm mi-

sericordiam tuam : & iustificationes tuas doce me.

125 Seruus tuus sum ego : da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

126 Tempus faciendi Domine : dissipauerunt legem tuam.

127 Ideò dilexi mandata tua, super aurum & topazion.

128 Propterea ad omnia mãdata tua dirigebar : omnem viam iniquam odio habui.

121 Feci iudicium, & iustitiam : non tradas me calumniantibus me.

ET quoniam nemini nocui, neminem oppressi, sed iustè iudicium, & iustitiam feci, reddens vnicuique quod debebam; atque opere ipso, quod rectum esse ostendebas, ex animo adimplens: iure postulo vicissim, non tradas me calumnianribus, vel aduersarijs meis. Sed quia erga alios iudicium, & iustitiam facere non præualet, qui ante in semetipso ea non præstitit, feci in me, de me, contra me iudicium, vt ad tribunal mentis meæ omnes non solum actus, sed & cogitationes accerserem: ibique ratione præside, conscientia

Faciendũ iudicium contra se ipsum.

scientia accusatrice scrutarer minutissima quæque cordis mei in lucernis: scoparem, imò lauarem spiritum meum: & in tua luce seuerè iudicarem: & quo meam ægritudinem tuæ munditiæ contemperari nõ posse cognoscerem (quod vnum supereſt) flere dulce haberem, teque deprecari, vt etiam, atque etiam miserearis, donec exuã totam miseriam. Quis enim ad purum discernere valeat, & liquidè iudicare, quæ intra se sunt, nisi te intus prælucente, & sortem custodiam simul cum lumine exhibente? Terret me Isboseth filius confusionis, qui percussus in inguine mortuus est, quod ostiaria domus triticum purgans obdormisset. Proinde muni Domine virili custodia mẽtem meam. Ipse ostiarium non ostiariam constitue. Vigilare doce, ne obdormiscat: fortis namque, viriliſque sensus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat. 2. Reg. 4.

Feci & iustitiam puniens in me, quæ tibi displicent. Oro quidem, vt calumniatoribus, & oppressoribus meis non tradar; sed ijs maximè, qui vehementius, & calumniantur, & opprimunt, id est, inuisibilibus inimicis, quos & à calumniandi principatu Zabulos, ac Diabolos nominamus. Est autem tanta infirmitas mea, tanta impotentia resistendi (neque enim est mihi colluctatio aduersus carnem, & sanguinẽ) Calũniator præcipuè Diabolus. Ephes. 6.

Psalm. 71. vt eo ipso, quo me non protegis, non assiduè eruis, quasi tradere videaris. Quæ est autem spes mea nisi tu, qui liberas pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor qui saluos facis filios pauperum, & humilias calumniatorem. Tanto autem vehementius pro hac liberatione mihi orandum est, quanto & hostis potentior, & implacabilior est: &, non in terrenis, sed in cælestibus, & pro cælestibus pugna est.

122 Suscipe seruum tuum in bonum, nō calumnientur me superbi.

HEBRAICE, sponde pro seruo tuo, vel in tuam fidem, & protectionem tuam recipe: vel dulcesce, & suauis esto seruo tuo. Hæc enim omnia verbum idem significare potest: quo quid amabilius exprimi potuit? Quanta bonitas, vt pro seruo talis Dominus spondeat? Quam felix, & firma sponsio, quæ Dei diuitijs, Dei innititur Maiestate? Quid tutius, quid sublimius, quam vt Dominus ipse super omnia excelsus, & omnia continens, omnia implens, omnia portans, in suam seruulum protectionem, fidemque suscipiat? Pretiosa hæc seruitus, quæ virtutum constat expensis. Has enim impensas seruis tuis, quos in tuam suscipis fidem, liberalissimè submini-

Seruitus Dei quam suauis.

Ex Amb.

stras.

In hoc autem verbo vno, Dulcesce, & sua-

ſuauis eſto ſeruo tuo in bonum, quam magna multitudo ſuauitatis, & dulcedinis latet? Quid eſt dulceſce ſeruo, niſi ſeruum non vt ſeruum, ſed pluſquam filium tracta? Et, da mihi palatum, cui præ omnibus ipſe dulceſcas? Es quidem tu, Deus meus, ipſa ſuauitas, ſed non omnibus idem ſapis. At, ſi ſuſceperis ſeruum tuum in bonum ſub tua ſpõſione, protectione, & dulcedine, timendum mihi non erit, ne calũnientur mihi ſuperbi, quia à facie tua diſſipabuntur: &, ſicut deficit fumus, deficient: ſicut fluit cera à facie ignis, ſic defluent, & confundentur.

123 Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.

DEFECERVNT expectatione, defecerunt deſiderio, defecerunt ſuſpenſione in te, defecerunt attentiſſima defixione, defecerunt præ lachrymis. Siquidem non ſolum ad te, iuxta verbum B. Iob, ſtillat oculus meus ſiue loquens aſſiduè, ſiue lacrymas vtcunque fundens, ſed etiã iuxta Ieremiam, diuiſiones aquarum deducens. Nam expectatio languere eos facit, deſiderium cruciat, defixio à ceteris omnibus abducit, & abſtrahit: ſuſpenſio ad ima deflectere non permittit: lacrymæ non ſolum purgant, & exacuũt, ſed etiam totam ani-

Defectio ex multis cauſis. *Iob 16.* *Thren. 3.*

mam rigant: quæ & ipsa dormitauerit, vel iuxta aliam translationem stillauerit præ affectu. Vnde lacrymæ sive in die prosperitatis, sive in nocte aduersitatis; aut in die consolationis, & lucis tuæ, vel in nocte desolationis, & subtractionis gratiæ, fuerunt mihi panes die, ac nocte. *Psal. 41.*

Salutare dicitur Saluator.

Deficiunt verò in salutare tuum, id est, Christum Dominum, quem Pater noster Iacob oculis caligans corporeis, spirituali visu acutissimus optabat, dicens. Salutare tuum expectabo Domine. Quem postulabamus clamantes. Salutare tuum da nobis: & læti præ certitudine cantauimus. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et Isaias lætabundus. Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator (vel Iesus) tuus venit: ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo. *Gen. 49. Psal. 84. Psal. 97. Isai. 62.*

Et Salus.

Sed & salutare, id est, salutem abs te desiderantes oculi deficiunt: quam ad tempus differs, vt desiderium acuens, & extendens largius effundas, atque vberiorem sinu capaciore suscipiam.

Salutare vultus mei, quis sit.

Salutare autem tuum sive hoc, sive illo modo accipiatur (quippe & hoc ab illo est) salutare dicitur vultus mei, salus faciei meæ. Nam semper mihi præsentissima est, coram me est, vbique præsto est. Et vicissim ego semper illam intueor, & contemplor. Et salus faciei est, quam non confundit, aut erubescere facit, imo illam *Psal. 42.*

miro

miro modo sua luce, suo aspectu, & suauitate exhilarat, & mulcet. Quare ergo tristis es anima mea, & quare conturbas me? Nunquid non est, quod respondeas dicentibus, vbi est Deus tuus? Salutare vultus tui est adhuc in peregrinatione: sed veniet tandem Deus tuus, de quo tibi dicitur, vbi est? & absterget lacrymas tuas: pro pane lacrymarum ipse succedet, & te in æternum saginabit. *Psal. 41.* *August.*

Et in eloquium iustitiæ tuæ. Expectaui cum desiderio, & fiducia salutem non fallaci tuæ promissioni innixus. Promisisti enim non debens, promisisti ex gratia, sed iam sponsionis, & promissionis tuæ chirographum tenens, eloquium iustitiæ voco, quia tibi ipsi debes. Fidelis quippe es in omnibus verbis tuis, & sanctus in omnibus operibus tuis. *Psal. 114.*

124 Fac cum seruo tuo secundùm misericordiam tuam: & iustificationes tuas doce me.

POTENTIAM tuam, qua mundum ex nihilo, solo verbo creasti, adoramus & colimus. Sapientiam, qua disponis omnia, & vnumquodque ad terminum suum ducis, admiramur, & prædicamus; sed misericordia miseris sapit dulcius: misericordiam amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. An insana fiducia. Misericordia miseris necessaria.

cia petendum mihi est, vt intres in iudiciũ
Iob 9. cum seruo tuo? Et quis poterit tibi respõdere vnum pro mille? Ad misericordiam confugio, qui toties oculum, quem secreta cordium latere non possunt, miserabiliter offendi: &, si quid boni feci, plura debeo. Quis tanta naturæ munera, quis liberationem à malis, quis gratuita, & cœlestia dona, quis vitæ, salutisque seruatæ diuina beneficia digno possit æquare seruitio? Misericordia, misericordia, inquam, tua præueniat me: & misericordia tua subsequatur
Psalm. 30. me: quoniam respexisti non iustitiam, sed humilitatem, vel depressionem, ac vilitatem meam: saluasti de necessitatibus animam meam: nec concluisisti me in manibus inimici, imò statuisti in loco spatioso pedes meos, educens me in latitudinem, & saluum me faciens, non quia merui, sed quoniam voluisti me.

Doce me iustificationes tuas, vt agnoscam, quia in ipsis viuificatus sum. Nam & hoc ipsum misericordiæ est, vt eas me doceas. Et vicissim, si legibus tuis, & iustificationibus te quidem doctore, adhæsero, & misericordiam consequar, & misericordiam impendam, primum animæ
Eccl. 30. meæ miserens, dum placeo tibi, deinde & proximis propter te misericors. Tu verò
Matt. 5. promisisti misericordibus misericordiam, qui dixisti. Beati misericordes, quoniã ipsi misericordiam consequentur.

125 Ser-

125 Seruus tuus sum ego, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

QVI peccati in mala libertate seruus fui, iam seruus tuus sum: vt habeam fructum meum in sanctificatione: vt morti fructificare desinens, habeam fructum vitæ. Scio quia seruus non manet in domo in æternũ. Sed itẽ scio, quia qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi: &, si me liberaueris, verè liber ero. Non enim accepi spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamem Abba pater: & à seruitute corruptionis, cum tempus aduenerit, te donante, liberer. Interim verò præclara est seruitus, quæ non modo liberum, sed etiam Regem facit. Restitue me nobilissimæ seruituti tuæ, vt tota vita mea, tota conuersatio mea solum sit seruitium tuum. Totum me recupera: totum me vendica tibi, & posside solus, sicut totus tuus sum iure plenissimo, ac singulariſſimo. Seruus tuus sum, & filius ancillæ tuæ, seruus creatione, seruus conditione, seruus emptione, seruus proposito, & voto. Fac vt tibi soli seruiam, cui me debere recolo, & originem & profectum. Qualis, quam exacta, quam sincera deberet esse seruitus, quæ Domino tali

Seruus Dei liber est. *Rom. 6.* *Rom. 7.* *1. Cor. 7.* *Rom. 8.* *Psal. 115.* Qualis debeatur seruitus Deo.

tali exhibetur, quæ tot titulis, tot nominibus fulcitur.

Semper à Deo lux postulanda.

Vt autem sine intromissione tibi seruire possim, & ita, vt seruitus mea placeat tibi, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. Intellectum dari postulo, & lumen, quo tua testimonia, tuas leges planè cognoscam: vt ad eas dirigere omnia possim obsequia mea. Alioquin offunduntur tenebræ, cœcutit oculus. At lex tua lux est: quam etsi me intelligere, in eaque meditari professus sum, semper tamen id mihi petendum intelligo. Nunquam intermittenda est ista petitio. Non enim sufficit accepisse intellectum, & Dei testimonia didicisse, nisi idē semper accipiatur, & quodammodo semper bibat de fonte lucis æternæ. Testimonia quippe tua, quanto fit quisque intelligentior, tanto magis sciuntur.

August.

126 Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam.

Tempus faciendi, primò nobis parendo.

Secundò, Deo dando gratiã.

ET mihi quidem tempus faciendi esset: primò, legem tuam studiosè seruandi: quia quo magis illam dissipari à præuaricatoribus cerno, eo mihi in illam studiosius incumbendum. Sed tempus faciendi non tam mihi, quam tibi Domine. Tēpus tibi faciendi iam, non iubendi. Lex enim quæ carnales inuenit, & venundatos sub

pec-

peccato iubere potuit, facere non potuit: morbum indicare potuit, sed non expellere; concupiscentiam ostendere, non compescere. Venit iam tempus faciendi, vt ipse perficias in nobis, quod iubes. Da quod iubes, & iube quod vis. Sanet gratia Mediatoris, quos lex premit. Brachia infirma, & quasi lac coagulata ponat, vt arcum æreū: vt audiamus hominem gloriantem. Cum infirmor, tunc fortior sum. Et rursus. Omnia possum in eo, qui me confortat. *Aug. Cōf. l. 10. c. 2. Psal. 17. 2. Cor. 12. Philip. 4.*

Quanquam & alio modo tempus faciēdi tibi est, id est, mundi iam sceleribus contaminati, & exacrabilis purgationem faciendi. At qualis purgatio? Non, vt in generali diluuio, impios à terra perdendo, quando & scelera, & sceleribus abominabiles è mundo sustulisti, sed nouo sanctificationis modo: diluuio passionum in carnē Mediatoris fluentibus cataractis emisso, sanctificans, & purgans mundum, de peccatoribus iustos, de incontinentibus castos, de tenacibus liberales, de feris mansuetos, de nigris lucidos, de mortuis viuos faciens. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua? laudent te miserationes tuæ, quæ tibi de medullis meis confitentur. Ecce cum abundaret orbis abominationibus, cum te homines non agnoscerent, cum sacrilegis nidoribus aer inficeretur, tempus tibi faciendi fuit, & faciendi misericordiam. *Gen. 7. Psal. 144.* Tertiò, purgandi mundi.

127 Ideò

127 Ideò dilexi testimonia tua super aurum & topazion.

Summum legis diuinæ pretium.

QVID aurum, quid ophir, id est purissimum aurum, quid topazius, quid pretiosa omnia ad mandata tua? Nonne ipsa est sapientia, de qua dicitur. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appen-

Iob 28. detur argentum in commutatione eius: non conferetur tinctis Indię coloribus, nec lapidi Sardonico pretiosissimo, vel Sapphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro ea vasa auri. Excelsa, & eminentia non memorabūtur comparatione eius. Non adæquabitur ei Topazius de AEthiopia, nec tincturæ mundissimæ componetur? Quid ergo magnum, si super aurum electum, & Topaziū mandata Dei dilexit? Sed vtique illa posuit, quæ hominum error facit, aut magis æstimat pretiosa. Nam & alibi dicitur.

Psal. 2. Quantum distat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates nostras, non quod non longè incomparabilior sit distantia gratiæ à peccato, sed quia in rebus visibilibus nulla maior apparet distantia, quam ab oriente ad occidentem. Ita & hic: quoniam apud homines ea sunt in admiratione, ostendit se longè trascendisse humanas phantasias: ac legem Dei, quæ infinitus thesaurus est, se omnibus, quæ hu-

humanitus desiderari possunt, prætulisse. Et merito. Hæc enim animũ non replent, sed occupant: nec ad animam, vbi interior satietas quærenda, & inuenienda est, pertingunt. Sua autem pernicitate eunt, quo eunt, & conscindunt animam desiderijs pestilentiosis. Non enim vel ad momentum stant, sed fluunt, & rapiunt amantes suo impetu ad amaritudinem turbulentissimæ salsuginis. At contra, mandata Dei stabiliunt animam, & replent: &, quia vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus penetrant, ibi pascunt, ibi nutriunt, ibi satiant, vbi fames est. Felix anima, quæ mãdata diligit. Nam dilectio onus tollit, gustum reddit, palatum renouat: ad internam experientiam, & satietatem ducit.

Cetera inania.

Heb. 4.

128 **Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.**

BIs est omnia, in Hebræo, vt ostendatur emphasis. Ad omnia, ad omnia, inquam, mandata tua, non ad vnum, aut alterum, non ad facilia tantum, & quæ delectant, sed ad omnia etiam aspera, & ardua: ad omnia, inquam, dirigebar: id est, recto, & facili cursu ferebar. Amor enim ducit, & portat. Dirigebar quoque rectissima existimans. Nihil enim in tua lege inuenire potui, quod non rectissimum, atque æquis-

Dirigebar primo, cursu ad ea.

Secundò, rectissima iudicans.

Tertiò, ad ea me fingens.

æquissimũ iudicarem. Dirigebar etiam ad mandata tua omnia, me ipsum ad ea quasi ad normam dirigens, & complanans. Cũque ipsa rectissima sint, ego curuus, non illa ad meam curuitatem inclinare iuxta voluptates, & voluntates meas conatus sũ, sed me ad illorum normam, ac rectitudinem dirigere. Quam infelix anima, quæ non prauitatem suam ad tuam accommodare, & inclinare rectitudinem, sed vano sensu, stultoque labore regulam, qua rectificanda est, curuare nititur?

Quartò, pro scopo intuens.

Quin etiam dirigebar ad mandata tua, tanquam ad scopum omnes cogitationes cordis mei, illuc studens collimare, vbi & scopus, sanctificatio; & fructus vita æterna est.

Quintò, tanquam brauium appetens.

1. *Mac.* 3.

Osee 12.

Dirigebar etiam ad omnia mandata quasi prospero cursu, & victrici pugna illa exequendo, & perficiendo obtinens. Quomodo & salus dicitur directa in manu quorundam: & Iacob cum Angelo luctans, directus dicitur cum Angelo, id est, prosperè luctatus. Cum enim non fiat sine pugna obseruatio mandatorum tuorum, quippe carne, & hostibus reluctantibus, rectè qui te adiutore in hac obseruatione victor euadit, directus dicitur; cum præsertim & ipse prosper euentus tuæ directioni tribuendus sit. His itaque modis omnibus ad omnia, prorsus ad omnia manda tua dirigebar.

Vnde

Vnde & consequenter factum est, vt, qui ad mandata tua omnia dirigitur, omnem viam iniquitatis odio habeat. Non enim possunt hæc duo simul esse, vt & rectitudinem voluntatis, & mandatorum tuorum diligam, & non ex animo omnem viam iniquitatis, id est, tortuositatem execrer, & implacabili odio persequar. Nam sicut aurum, & lapidem pretiosum si diligerem, odissem profectò quicquid mihi talium rerum damnum posset inferre: ita, quoniã tua mandata diligebam, iniquitatis viam odio habui : & quemadmodum aliquod immanissimum marini itineris saxum declinaui, vbi tam pretiosarum rerum necesse est pati naufragium. Quod vt non contingat, longè inde velificat, qui in ligno Crucis cum mandatorum diuinorum mercibus nauigat.

Qui ad mandata dirigitur, odit viam iniquitatis.

ס Phe, id est, Os.

Octonarius XVII.

129 MIrabilia testimonia tua: ideò scrutata est ea anima mea.

130 Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.

131 Os

131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

132 Aspice in me, & miserere mei, secundùm iudicium diligentium nomen tuum.

133 Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.

134 Redime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua.

135 Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.

129 Mirabilia testimonia tua: ideò scrutata est ea anima mea.

Mirabilis Dei lex.

VOx Hebræa פלא si scribatur Pela per Aleph significat excelsum, arduum, & quod humana cognitione difficile apprehendi potest. Si autem per He significat segregatum, & pro excellentia separatum. Sic solent occulta, & magna à cognitione esse diuisa: & hoc modo testimonia, & præcepta Dei mirabilia sunt: vtpote, quæ per celsitudinem difficile attingantur, &

per

per excellentiam, atque perfectionem ab inferioribus separata sint.

Sunt autem mirabilia, qui continent magna, docent mira, præcipiunt sublimia, promittūt excelsa mirabilia, quia pulcherrima: & cum ardua præcipiant, facilia, & suauia ex gratia fiunt. Primò, propter res, quas continet.

Deinde mirabilia sunt, si consideretur legis autor Deus, qui mirabilis est, & dicitur. Si enim Angelus cum vix gutta quædā diuinæ admirabilitatis sit, Manue Gedeonis patri loquens dixit. Quid quæris nomē meum, quod est Admirabile? quanto admirabilior erit ipsius Angeli factor? de quo meritò canitur. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Et Isaias cū Emmanuelis nostri paruuli magnifica describeret nomina, primum posuit Admirabilis. Secundò, propter autorem. *Iudic.* 13. *Psal.* 8. *Cap.* 9.

Tertiò, mirabilia sunt, si consideremus cui data sunt, nimirum homini, quod cum animal sit ex carne compositum, & mente plane mirabili nexu, excellentissimum propter spiritum, infirmissimum propter carnem, cælum petens, & in terra repens, passionibus scatens, quibus cum brutis cōuenit, & mentis sublimitate paulò minus minoratus ab Angelis, admiranda omnino præcepta illi tradenda fuerunt, per quæ fragilitatem contineret, domaret ferociam, & ad cælestia migraturum, apta œconomia dirigeretur. Quid enim mi- Tertiò, propter eum, cui data. *Psal.* 8.

Iob 31. rabilius quam ex carne & luto fictum ita efformare, eoque perducere, vt ne cogitet quidem de virgine? diuitiarum cupiditatem excidens non solum eas, vt fumū, vmbramque vanam spernat, sed, si affluāt, Psal. 61. doceatur cor non apponere? seculi potestatem cælo ipso excelsior pro nihilo ducat? Denique in carne viuat Angelus? &, vt ait S. Cyprianus, adhuc in seculo degens vita viuat non huius seculi, sed futuri?

Quartò, quia dat lucem, & vires. Quartò, quod alijs legibus datum non est, & lucem præstant, & vires. Reliquorum legislatorum præcepta, etsi suo modo docent, non tamen iutus lucem præbent. Hæc præbent, imò & intus vires, & alacritatem exhibent: vt cetera omnia Philosophorum dogmata ijs comparans B. Hieronymus, de illis asserat. Totum flaccidum, marcidumque ebullit in olera. Deinde, quia præcepta hæc ducunt non quocunque, non ad euanidam sapientiam, sed ad perfectam lucem, patriamque cælestem. Quintò, qui ada cælū perducit. Postremò & illud mirabilia hæc testimonia ostendit, quod eadem verba multip ici luce rutilant, seu spectes literalem sensum, siue tropologicum, & moralem, siue mysticum, siue eum, qui suo nomine anagogici eleuationem ad superiora profitetur. Sextò, propter multiplicem sensum. Vt mihi quidem videri interdum soleat verbum Dei esse pretiosissima quædam gemma sic efformata, atque elaborata, vt pro va-

varietate susceptí luminis pulcherrimas semper quidem, sed varias species repræsentet. Quamquam quid opus est gemmas adducere, cum habeamus in Scripturis, cui hæc verba comparemus? Vide arcum, ait Sapiens, & benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo, gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ: manus excelsi aperuerunt illum. Sicut enim ex splendore radiorum Solis pulcherrimos Iris trahit colores, ita multo splendidiores trahunt verba Dei. Nec fortasse alienum à proposito est, quod quondam apud Plutarchum memini me legisse. Asserit enim ex illa reflexione radiorũ roscidam illam nubem proprietatem quãdam contrahere, vt, vbi aspersa fuerit, mirum pariat odorẽ; quare Sacerdotes quosdam Gentilium solitos ligna illa in sacrificijs incendere, quæ ex huius roris respersione odoratissima fiebant. Quid mirum igitur, cum testimonia Dei adeò admirabilia sint, & res admirabiles rapere ad se hominum mentes soleant, si ea Rex sanctus sine vlla satietate scrutabatur, & scrutatione perfecta, quæ etiam opus amplecteretur?

Eccl. 43.

Sympos. 4. q. 2.

130 Declaratio sermonũ tuorũ illuminat: & intellectum dat paruulis.

HEBRAEVS, apertio, vel porta sermonum tuorum illuminat: significãtissimè

mè omnino, quasi in ipsa apertione portæ illuminetur intelligens : ac si dicas, à primo gustu, ab ipso limine, vel à literali sensu. Hæc videlicet est verè porta orietalis iuxta Ezechiel. vnde lumen ingreditur.

c. 10. Scripturæ quasi guttæ diuinæ lucis.

Illuminant autem, quia Scriptura, & verba Dei sunt veluti guttæ quædam ex fonte immensi luminis, scilicet Dei, qui à Dionysio vocatur ἀκτὶς πηγαία, καὶ ὑπερβλύξασα φωτοχυσία. id est, fontalis lux, & supereffluens luminis effusio: ex cuius plenitudine illuminari asserit omnem intellectum, scilicet supermundanum, hoc est, vt opinor, cælestes Angelos assistentes; circamundanum scilicet Angelos, per quos hæc inferiora administrantur, & intramūdanum, id est, intellectum hominis, qui in mundo est. Sed & B. Gregorius Nazianzenus tria lumina ponit, primū, à quo omnia deriuantur, Deum ipsum, summum, & inaccessible lumen, quod nec mente percipi, nec verbis explicari potest, naturam omnem ratione præditam illuminās, hoc in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus : eo se magis contemplandum nobis præbens, quo accuratius animos purgauerimus: eo rursus magis amādum, quo magis contemplati fuerimus: eo denique magis cognoscendum, quo magis amauerimus. Secundum lumen Angelum ponit, qui est primi illius luminis riuulus quidā, aut participatio inclinatione, vel conuersione

c. 4. de di. nomin.

Orat. 40. in sacr. baptisma.

Ex Platone.

sione ad illud. Tertium denique hominē, quod externis etiam, id est, Philosophis non Christianis manifestum est, à quibus φῶς, id est, lumen vocatur propter rationis insitæ vim, & facultatem. Quo etiam nomine, inquit, ij inter nos appellantur, qui diuina quadam virtute alios antecellunt, propiusque ad Deum accedunt. Et, quod nostro proposito maximè fauet, addit. Lumen quoque erat primogenitū illud mandatū, quod primo homini datum est, quēadmodum legis mandatum lucerna, & lumen est: & rursus. Lumen præcepta tua in terra. Tum multa pergit lumina enumerare. Sed nobis id satis est intelligere, mandata Dei & declarationem illorum meritò lumē appellari, tum quia à primo illo lumine veluti stillæ quædam emanant, tum quia lumen tertium, id est, hominem verè lumen efficiunt, cum de superioribus illustrant, & primo lumini propiorē efficiunt. *Psal.* 118.

Dant autem intellectum non omnibus, sed paruulis, id est humilibus. Non enim verba Dei superbos illuminant: vnde S. Augustinus fatetur se initio minus illuminatum, quod Scripturas sanctas magis vellet redolere gymnasiorum Cedros, quas confringit Dominus, id est, elegantiā secularem. Alioquin superbia, vt idem ad Dioscorum ait, dum inflat, obnubilat. Et Christus Dominus exultans in spiritu Patri gratias egit, quod abscondisset hæc à sapientibus

Dant intellectum paruulis humilitate. *Conf. l. 9. c. 4.* *Psal 28.* *Matt. 11.*

Atq; etiã paruulis sensu.

bus, & prudentibus, & reuelasset ea paruulis. Si autem paruuli accipiantur non tam malitia, quam sensu, de quibus dicitur. Vsquequo paruuli diligitis infantiam: & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam? &. Si quis est paruulus veniat ad me: etiam sic verum est cælestem doctrinam dare intellectum paruulis. Nam qui erant antea insipientes, & stulti, quales etiam sapientia huius mũdi facit, quæ stultitia est apud Deum, ipsi per sermones Dei, de insipientibus, ac cœcis sapientes, & illuminati fiunt: quomodo Propheta noster supra gloriatus est, quod super senes, & super omnes docentes se intellexerit, quia mandata Dei, & testimonia illius quæsierit.

Prou. 1. c. 9.

1. Cor. 3.

131 Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.

Aperitur os præ desiderio.

POTEST intelligi aperire os præ nimio desiderio, sicut qui ad aliquid anhelat: quomodo Iob de adstantibus sibi refert, quod ad verba ipsius os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Significat enim anhelare, hiare, vt est Iob septimo. Sicut seruus desiderat vmbram, in Hebræo, anhelat. Vel certè cum repente cor præ desiderio, aut tristitia constringitur, os aperitur, vt medici notant: seu cum respira-

Iob 29.

Ed ad respirandũ.

ſpiramus, ac nouum aerem attrahimus: quo in officio S. Nazianzenus aerem ad reſpirationem, quæ adeò neceſſaria eſt, paterno dicit officio fungi. Duo autem facit reſpiratio Galeno teſte de vſu partium. Cum enim in animali reſpiratio fiat propter ſummum cordis calorem, expiratione quod feruet, & quaſi combuſtum eſt, ex ipſo corde extruditur; per inſpirationem verò nouo, ac frigido adducto aere refrigeratur. Ita & cor noſtrum ſpirituale perpetua indiget extruſione, vt, quæ ſuffocare poſſent, diligentiſſimè extrudantur; & perpetua inſpiratione, vt attrahendo, quæ recreare, & refrigerare poſſunt, cuiuſmodi ſunt diuinus ſpiritus, ac memoria mandatorum Dei, qua viuificatur anima, vt ait ſanctus Ambroſius, ſine intermiſſione viuificemur. Os ergo aperiendum eſt Deo, tum vt noſtro deſiderio, & perpetuæ anhelationi ſatisfaciamus, tum vt auram vitalem hauriamus, ſine qua ſpiritualis ſuffocatio, atque extincto illico ſequitur. In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumꝰ. Quapropter nec tam frequenter reſpirare debemus, vt ait Nazianzenus, quam Dei meminiſſe. Et ſponſa Chriſti, inquit S. Ambroſ. os ſuum ſponſo aperuit, & percepit omni melle dulciora præcepta, & ideò teſtata eſt dicens. Fauces eius dulcedines, & totus deſiderium: ſic enim refert, quod in vulgata legimus, Guttur eius ſuauiſſimum,

Reſpiratio ſpiritualis quæ ſit.

Act. 17.

Orat. 1. de Theol.

Cant. 5.

mum, & totus ipse desiderabilis: & in Hebræo est, guttur eius suauitates, & totus ipse desideria, vel ardentes concupiscentiæ. Has enim in abstracto vox Hebræa significat מחמדים.

132 Aspice in me, & miserere mei secũdùm iudicium diligentium nomẽ tuum.

Respicit Deus iratus, & propitius.

Exod. 14. *Psal.* 103.

PVLCHRE coniunxit, vt notat sanctus Ambrosius, respice, & miserere: quia respexit, & iratus est super castra AEgyptiorum: & ligatis axibus curuum omnes eos deiecit in fluctus. Et item. Respicies terrã, & facies eam tremere. Quid sit autem respicere Deum euidentissimè, inquit, illo testimonio declaratur. Quia respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorũ. Oculus enim Domini non aspernatur iustorum munera. Denique oculos nostros cum in aliquem mouemur, auertimus, quasi indignum eum aspectu iudicemus, quem oderimus affectu. Hæc sanctus Ambrosius. Cæterum valde coniuncta cum oculis misericordia est. Videns turbas Dominus misertus est eis, & curauit ægrotos eorum. Vidit orbatam vnico filio viduam, & misericordia motus super eam filium excitauit. Vidit flentem Magdalenam, & ipse quoque lacrymatus est. Rogat igitur Propheta, vt oculos ad se Deus con-

Psal. 101.

Matt. 9. & 14. *Luc.* 7.

uertat,

uertat, quod cum miseria conspecta vim habeat ad cor permouendum, ita se miserũ conspecturus sit, vt pro sua pietate sit pariter miseraturus. Quid autem aspectus Dei, & oculorum eius directio faciat, dictum est alibi : iuxta quod scriptum est. Oculi Domini super iustos, & iterum. Firmabo super te oculos meos. Sed, quod ait. Miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tum, intelligi potest primò, Misericordiam mihi exhibe, vt consueuisti (hoc est enim secundùm iudicium) cum ijs, qui diligunt nomen tuum. Cum enim affluenter misericordiam præstes etiam ijs, qui te non diligunt, quos de auersis conuersos, & de non diligentibus diligentes fecisti, quæ maxima est misericordia: quis iam ambigere de tua misericordia possit, qui te diligat? Hos enim vt filios amplecteris : & misereris illorum magis, quam mater. Sed, quoniam est & quædam misericordia, quam Sãcti nullo modo aut cupiunt, aut petunt, potest intelligi quasi declarando addidisse eam se misericordiã petere, quam diligentibus se solet paternè, affatimque largiri. Misericordia autem quam nolunt, illa est, quam Deus inimicis impendit iratus, dum abstinet à flagellis, & correctione, quibus erudiri possent, & ad meliora proficere. Vnde alicubi ait. Misereamur impio, & non discet facere iustitiam. Quia de re sanctus Bernardus.

Psal. 33.

Psal. 31.

Ibid.

Secũdùm iudicium, id est, vti soles.

Timenda irati Dei misericordia.

Isai. 26.

In Cant. ser. 42.

nardus. Misericordiam hanc, inquit, ego nolo: super omnem iram miseratio ista, sepiens mihi vias iustitiæ: & infra. Volo irascaris mihi pater misericordiarum, sed illa ira, qua corrigis deuium, non qua extrudis de via: illud tua nobis benigna animaduersio parit, hoc formidolosa nutrit dissimulatio. Non enim cum nescio, sed cum sentio te iratum, tunc maximè confido propitium. Quo sensu accipit hic Sanctus, quod dicitur in psalmo. Deus tu propitius fuisti eis, & vleiscens in omnes adinuentiones eorum. Vocat quippe propitiationem, quod eorum Deus non pepercit excessibus. Sed nec eam misericordiã optat Hieremias, qui vbi nos habemus. Nõ sis tu mihi formidini, apud Septuaginta sic habet. Non sis mihi in alienationem parcens. Quod græcè est φοδόμενος. quod propriè significat parcere, atque cum magna cautela, & dexteritate contingere, quod in vasis vitreis, & facillimè fragilibus fieri solet. Petit ergo non ita se tractari, nec quasi parcè, & cautè contingi: denique flagellis non subtrahi, sed erudiri. Hæc est enim misericordia, quam diligentibus se Dominus præstare solet.

Psal. 98.

Cap. 6.

133 Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum.

HAEc est misericordia, quam enixè petit, vt dirigat Dominus omnes gressus

sus suos, & disponat affectus secundùm rectissimam regulam legis suæ, vt non dominetur ei omnis iniustitia. Vides eloquium Dei dirigere gressus, propterea, & toties id petit: nunc quidem dicens: Deduc me in semitam mãdatorum tuorum, quia ipsam volui: nunc. Vias tuas Domine demonstra mihi & semitas tuas edoce me: nunc vero. Dirige me in veritate tua: & hic. Gressus meos dirige. Certè & ipsi semper directione indigemus; & ipse id sine cessatione misericorditer præstat, apprehendens manum nostram, dirigens, & opera manuum nostrarum super nos. Vnde sanctus Dionysius significantissimè Deum ipsum appellat ἀναζατικὴν χειραγωγίαν, id est, manuductionem extenta manu perpetuò dirigentem.

Sup. v. 35.

Psal 24. Ibid.

De diuin. nom.

Et non dominetur mei omnis iniustitia.

HEbraismus est, id est, nulla: vt ibi. Cum interierit non sumet omnia, id est, nihil. Et quidem de iniustitia, id est, de letali culpa, quæ hominẽ verè iniustũ, facit, manifestum est sanctum hominẽ, vt quod maximè abhorret, vehementissimè deprecari. Quod tum obtinebit, si gressus eius; id est actiones à Deo secundùm eloquium suum dirigantur. Sed quoniam qui perfectè diligit, plus aliquid ambit, nec sola

Psal. 48.

mortifeti peccati declinatione contentus est, sed cupit in omnibus Deo placere, eique suis in gressibus conformari, puto iniustitiam vniuersalius accipi, prout etiam venialia, & quotidiana peccata comprehendit: in quibus quamuis ex fragilitate aliquando contingat impingere, cupit tamen, & orat, ne sibi etiam hæc iniustitia dominetur. Arbitror autem tunc dici hæc animæ dominari, cum vel ex incuria multiplicātur, aut sinuntur in anima residere: vt verè muscæ non circumuolitantes, sed morientes exterminent suauitatē vnguenti: vel, cum non solum ex incogitantia, fragilitate, vel repentina aggressione, sed ex affectu committuntur, vt petitio sit. Quæso te Domine dulcissime, puritatis amator qui nosti figmentum nostrum, & recordaris quoniam puluis sumus, & luteas domos inhabitamus, ne permittas has quanquam leuiores culpas mihi dominari: sed gratia tua fragilitatem meam muniens, sensusque meos, & corpus possidens, effice, vt nō meus in me affectus, sed iugiter tuæ pietatis præueniat effectus: vt, si ex corpore mortis huius subnascentes latrunculi infestant, & angunt, nunquam tamen te misericorditer protegente dominentur. Vbi verò anima accuratè ad anteriora se extēdens gressus purissimè dirigens in Deum tendit, meritò, vt notat sanctus Ambrosius, audit. Quam pulchri sunt gressus tui

Peccata venialia quādo dominētur.

Eccl. 10.

Rom. 7.

4. Reg. 24

Cant. 7.

tui in calceamentis filia Principis. Iuncturæ, vel, vt ipse legit, moduli femorum tuorũ, quasi monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Quod de animæ gressibus dici manifestum est. Calceamenta verò, in quibus pueri sunt gressus, corpus interpretatur, quod non impedimento sit, sed incessui gratiam addat. Quare cauendum, ne luto corporali inquinetur, ne in voraginẽ vitiorum mergatur, ne tardum fiat à ruina pingui: sed ait. Vtamur ergo corpore tanquam calceamento ad interioris operis virtutis: ad ministerium, non ad præcipitium: ad obsequium, non ad delectationem: ad obediẽtiam, non ad dissensionem. iuncturæ verò femorum significant, vt arbitror, vertebras, quibus gressus, quasi harmonicè mouentur, ac si dicat. Tam pulchrè, tam concinnè, tam suauiter gressus componis, vt ipsa femorum motio torquibus, & monilibus comparari valeat: quæ cum ornamenta sint bellatorum, & præmia victoriæ, Symmachus ὡς ἐχ κλια dixit, id est, quæ sint circa collum. Tantus vel Ecclesiæ, vel animæ significatur processus, profectusque, vt ornamentis pretiosissimis, & torquibus triumphantium comparetur. Hæc ex Ambrosio. Et ne putes hæc monilia fortuitò, aut oscitanter fabricata fuisse, ait. Quæ fabricata sunt manu artificis, id est, insignis cuiuspiam, & in ea arte peritissimi aurifabri.

Corpore quo modo vtendum.

134 Redime me à calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua.

CALVMNIA, inquit sanctus Ambrosius, eo grauior est, quia non solum falsa componit, verum etiam, quæ piè gesta sunt, decolorat. & infra. Qui enim opprimitur calumnia, non facilè potest custodire mandata eius. Tristitiæ necesse est plerumque, aut timori cedat, & affligatur vel metu calumniæ, vel dolore. Sed, cum Veritas dicat. Non est seruus maior Domino suo, nec discipulus super magistrum; si, quæ Dominus, & magister noster passus est recogitemus, iuxta Apostoli monitum dicentis. Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes] certe non est, cur tantopere calumnias, & oppressiones reformidemus. Audi Prophetam hunc nostrum alio Psalmo de magistri, & Domini calumnijs, & oppressione per prophetiam ita Domino Patri loquentem. Diripuerūt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis. Durum: sed addit. Exaltasti dexteram deprimētium eum lætificasti omnes inimicos eius. Quid amarius? Pergit. Auertisti adiutorium gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello. Quanta in calamitate derelictio quanta?

Mat. 10.

Hebr. 12.

Psal. 88.

ta? Addit. Destruxisti eum ab emundatione, vt ne innocentia quidem eius in tanta sanctitatis exultatione appareret. Praeterea. Sedem eius in terra collisisti, quasi de throno regni, quod illi inamissibile est, deiectus videretur. Denique. Minorasti dies temporis eius, perfudisti eum confusione. Quis ergo audeat fidelis seruus, Domini, & Dei sui tale intuitus exemplum calumnias, & oppressiones à se deprecari? Sed quoniam calumnia conturbat sapientem, *Eccl. 7.* vt scriptum est, & perdit robur cordis illius, id mihi potius videtur petere, non vt liber sit à calumnijs, sed (quod est excellentius redimi) ne huiusmodi inimicorum calumniæ à seruandis Domini mandatis ipsum abducant, aut retrahant, vel odio in ipsos calumniatores, vel timore calumniarum, vel quasi diffidentia quadam diurnæ prouidentiæ: quæ talia impijs permittat audere in Sanctos. Ergo non tam acerbitates calumniarum, & malorum, quam defectum patientiæ, fiduciæ, & longanimitatis pertimescēs, orat, vt seruata erga inimicos dulcedine mentis, & caritate, ab his incommodis eruatur: ne dum Deo in eiusmodi probationibus placere desiderat, ex sua infirmitate displiceat.

135 Faciem tuam illumina super seruũ tuum, & doce me iustificationes tuas.

Petitur beneuolẽtia Dei. *Iob 29.*

ILLVMINA, Hebræis, fac splendere: quod significat primò beneuolentiam, hilaritatem, ac fauorem ostendere. Quomodo Iob. Lux, inquit, vultus mei non cadebat in terram: ita auidè, & cum desiderio à subditis excipiebatur. Deinde, quia

Et lux.

ipsa facies Dei lux est, idem est dicere. Faciem tuam illumina, ac luce tua perfunde me, vt videam iustificationes tuas, hoc enim est doceri, & illuminari. *2. Cor. 4.* Sed non puto sibi soli, aut hilaritatem vultus Dei, aut diuinæ lucis manifestationem petere; petit & pro toto terrarum orbe, vt Deus, qui dixit in principio de tenebris lucem splendescere, cum nascentem mundum, & quasi infantiæ pannis obuolutum, lumine, coloribus, ac decore depingeret, ipse sublimiori iam luce resplendeat in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi IESV: per quem, & in quo cælestis illius Hierusalem in terris imago quædam, & species repræsentata est. Hanc speciem vidit in spiritu Isaias Vidit, & gauisus est. Vnde & exultabat lætabundus, & laudans. Gaudens, inquit, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me-

Et Christus saluator. *Isai. 61.*

me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsum ornatam monilibus suis. Quæ verba suauissimè sic S. Bernardus explicat. Sed melius dicimus, quod Sponsum tunc viderit, cum Verbum in carne vidit, agnoscens duos in carne vna. Dum enim sanctus ille Emmanuel terris intulit magisterium disciplinæ cælestis, dum supernæ illius Hierusalem, quæ est mater nostra, visibilis quædam imago, & species decoris eius per ipsum nobis, & in ipso expressa innotuit, quid nisi in Sponso Sponsam perspeximus, vnum eundemque Dominum gloriæ admirantes, & Sponsum decoratum corona, & Sponsam ornatam monilibus suis? Vnus idemque Dominus, & Sponsus in capite, & Sponsa in corpore. Legenda quæ subdit. Nec plura addam, ne diuinæ dulcedinis obtundatur sapor. Non itaque mirum si in hanc faciei illuminationem, & splendoris magnitudinem, ac decorem Propheta intuens, sequenti capite id se ardentius postulare fatetur. Propter Sion, inquit, non tacebo, & propter Hierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor, Iustus eius; & Saluator eius, vt lampas accendatur: & videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum. O lux, quæ in tenebris luces, & tamen tenebræ te non comprehendunt. O, qui in propria venisti,

Ser. 27. in Cant.

Isai. 62.

Ioan 1. Fructus ex Christi aduentu.

sti, & tui te non receperunt, indica nobis, quid ex vultus manifestatione gaudij, quid excellentiæ, & decoris in vniuersam Ecclesiam redundarit: vt videamus, quam meritò faciem tuam super se illuminari Psalmographus adeo ardenter efflagitat. Sequitur Isaias. Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit: & eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea (siue complacentia mea) in ea: & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te.

136 Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Vis ingẽs lacrymarũ significatur.

QVAM pulcher, quam exaggeratus dicendi modus ad explicandam vim lacrymarum ob diuinæ legis transgressionem? vt non veluti guttatim lacrymæ defluerent, sed quasi riui impetu fluerent de Libano. Hebræis vox eadem est apud Ieremiam Thren. c. 3. vbi noster transtulit diuisiones aquarum: & reuera verbum פלג significat diuidere, vnde quidam פלג dictus est, quod in diebus eius diuisa fuerit terra. Sunt qui putent riuos diuisiones appellari quasi à fonte diuulsos ac di-

Cant. 4.

ac diuiſos ; mihi magis placet diuiſiones aquarum ideò vocari, quia cum ingens eſt copia, præ multitudine in varios diuiditur riuos. Non igitur ex oculis Prophetæ noſtri aquæ guttatim quaſi lacrymę fluunt, ſed deriuantur vti flumina. Eundem animi ſenſum, & doloris magnitudinem Pſal. 6. ſic explicat. Laboraui in gemitu meo : lauabo per ſingulas noctes lectum meum. Quæ vox [lauabo] multum ſanè ſignificat, tamen Hebraice maiorem vim habet : ſignificat enim propriè, natare faciam. Quaſi tantus fuerit imber lacrymarum, vt lectulus in eo nataret. Et, quod ſubditur. Lacrymis meis ſtratum meum rigabo, Hebraicè, liquefaciam, id enim ſignificat מסה. Quibus duabus metaphoris per hyperbolem prolatis ſatis indicat, quam copioſas die noctuque lacrymas fuderit. Cauſam autem tātarum lacrymarum enuntiat, cum dicit. Quia non cuſtodierunt legem tuam : quod ſancti Ambroſ. & Auguſtinus de ipſius oculis, & proprio peccato intelligunt. Dicuntur enim oculi non cuſtodiſſe legem, quod fuerint inſtrumenta peccati, & feneſtræ, per quas mors ingreſſa eſt, cum pulchritudinem mulieris contra Dei legem curioſè, & pleni adulterij conſpexerunt : vnde & adulterium, & homicidium conſecutum eſt. Nihil ergo nimirū, ſi tam ſordidas maculas, tam ingenti imbre eluere conabatur, quē

Oculis peccatum tribuitur.

ſan-

Orat. 3. Ep. 200. sanctus Gregorius Nazianzens peccati diluuium appellat: & Isidorus Peluſiota ad Heronem, huiuſmodi lacrymas thymiamatis inſtar iucundas, dulceſque Deo aſſerit. Et S. Chryſoſtomus, vt vim lacrymarum oſtendat. Multus, inquit, peccati ignis, atque modica extinguit eum lacryma. Nam lacryma, fratres, rogum extinguit peccatorum.

Or. 5. de pœn.

Dolendū & de peccatis alienis.

Alij, vt Theodoretus, & Euthymius (non cuſtodierunt) vniuerſalius accipiunt, vt defleat etiam peccata aliorum, vt quæ & Deum inhonorent, & peccantibus pernitiem ingentem afferant. Nam vt B. Leo, à mundanis lacrymis ſublimes haſce diſtinguens, loquitur. Alia ratio eſt ſanctorum gemituum, alia beatarum cauſa lacrymarum. Religioſa triſtitia, aut alienū luget peccatum, aut proprium. Vtroque igitur modo beatus Dauid abundantiſſimis lacrymis mentem rigabat. Quomodo ſæpe dolet ſuper cœcitate cordis illorum, qui diuinam legem tranſgrediuntur quos, cum tamen nobiliſſimi à Deo conditi ſint, ſupra conqueſtus eſt ab ipſo Factore tanquā ſcoriam reputari.

Serm. de grad. aſc ad beat.

Lacrymarum genera quatuor.

Sed libet pauliſper erecto ſurſum corde diuinam adorare ſapientiam, diuinam deprædicare clementiam, quæ ingenti ſua dulcedine naturalem humorem, quem ex oculis vel nimia cerebri humiditas, vt in pueris, vel dolor exprimit, vt in alijs, ita ſancti-

sanctificat, & attollit, vt prouehat in fluuios paradisi. Fluuius, inquit Scriptura, egrediebatur de loco voluptatis, qui inde diuiditur in quatuor capita. Et hic vnus Dei amor etiam in capita quatuor diuiditur. Gen. 2.

Sunt lacrymæ ex dolore peccatorum: iste est Gehon, qui sonat vallem gratię, vel diuitiarum. Quantæ diuitiæ in ablutione peccatorum! Ille AEthiopiam alluit, sed AEthiopes nō facit albos: at noster hic fluuius de nigris lucidos facit: vt verè anima sic purgata miraculum sui faciat, & ab admirantibus Angelis non sine rubore de se audiat. Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? Cant. 3. & 8. Primum ex dolore peccatorum.

Sunt lacrymæ ex zelo gloriæ Dei, quo Iustus angitur, & absumitur, cum videt illum negligi, aut minus diligi; vnde exitus aquarum deducit, quia miseri præuaricatores non custodierunt legem Dei. Hic est Euphrates, qui fœcunditatem, & fructum sonat. Verè magna fœcunditas, quæ peccata omnia, miserias, & mala aliorum in sua lucra, pretiosumque fructum conuertit. Qualis enim fructus, quam pulcher, & quam aspectu delectabilis, & ad vescēdum suauis! non vt ille olim in terrestri paradiso malè alliciens parentes nostros, vnde tam multa in nos mala defluxerunt; sed verè suauis, ac vitaliter nutriens, dum ex caritate Dei, & proximi aliorum errata ex intimo deflet affectu. Gen. 3. Secundū, ex zelo gloriæ Dei.

Ter-

Tertium, ex periculis huius vitæ.

Tertius fluuius lacrymæ sunt ex amaritudine periculorum huius vitæ inter salices Babylonis. Hic Tygris est, quod nomẽ Medorum lingua, vnde desumptum est, significat sagittam: quo rapida eius fluminis velocitas designatur. Est autem fluuius hic rapidissimus, tum quia res ipsæ rapidè fluunt; &, quo magis tendunt, vt sint, eo velocius properant, vt non sint. Nam & flumina Babylonis sunt omnia, quæ hic amantur, & transeunt, vt ait S. Augustinus: tum quia & nobis hæc ipsa in morem sagittæ percurrenda sunt, quia si paululum cunctèris rapiunt, & trahunt in mare. Et igitur ait S. Leo. Si quæ in hac vita blandiuntur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter.

In Psal. 136.

Ser. 2. de Ascens.

Quartum, ex desiderio æternæ vitæ.

Quartus fluuius est ex desiderio æternæ vitæ, qui dicitur Phison, id est oris extẽsio. Extendit enim faciem ad anteriora, & æterna: & suspensis organis lætitiæ, quæ homines detinere solent, Fleuimus, inquit, dum recordaremur Sion. Ibi nascitur aurum optimum, & bdellium, & lapis onychinus quæ omnia pretiosa valde sunt. Quid enim non sublime, ac pretiosum in hoc flumine lacrymarum? De quo dulcissimè suo more sanctus Bernardus: Nunquid non plerumque orantibus nobis omnia viscerum succutiuntur occulta ad memoriam gaudij illius, quod est in Hierusalem, quæ sursum est, quæ mater no-

Psal. 136.

Serm. de ver. Ap. Non est regnum Dei esca. &c.

nostra est, & lacrymarum vnda vultus meditantium perfundit? O si duraret? Et alibi. Nam & me miserum heu longè agentem, & de longe salutantem en ipsa recordatio ad lacrymas prouocat, planè iuxta affectionem, & vocem dicentium. Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Et mox allatis ex Psalmo verbis. Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te. Quis, inquit, non illic vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatem? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Tuta habitatio Paradisus, dulce pabulum verbum, abundantia multa nimis æternitas: ac deinde concludit. Festinemus proinde filij, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suauiorem, ad vberiorem, & fertiliorem agrum. Festinemus, vt habitemus sine metu, abundemus sine defectu, satiemur sine fastidio. Vide etiam suauissima serm. 82. in fine. Et miramur si fluuius hic, oris scilicet, ad superna extensio ita exundat, & inundat? Videndus est Cassianus de varijs lacrymarum generibus. Sed cuiuscunque tandem generis lacrymæ istæ sint, verissimum est quod sanctus Chrysostomus in Genesi asserit. Sicut faciē, inquit, corporis tui quotidie abluis, ne qua fortè macula faciei inhærens fœda appareat, sic & animæ curam habe, quo-

Bern. ser. 33. in Cantic.

Psal. 136.

Psal. 147.

Coll. 9. c. 28.

Hom. 21.

quotidie lacrymis eam abluens calidis. Hac enim aqua maculæ deponuntur, fitque facies admodum luculenta. Et idem Pater lacrymas quaſcunque pro Deo defluentes, veluti torques, & monilia aſſerit animæ eſſe.

ץ Tſade, id eſt, Iuſtitia.

Octonarius XVIII.

137 IVſtus es Domine: & rectum iudicium tuum.

138 Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua: & veritatem tuam nimis.

139 Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.

140 Ignitum eloquium tuum vehementer: & ſeruus tuus dilexit illud.

141 Adoleſcentulus ſum ego, & contẽptus: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.

142 Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum: & lex tua veritas.

143 Tribulatio: & anguſtia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.

144 AEquitas

144 AEquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.

137 Iustus es Domine: & rectum iudicium tuum.

138 Mandasti iustitiam testimonia tua: & veritatem tuam nimis.

SI de propriorum oculorum peccato dolet, quod non custodierunt legem Dei, meritò, inquit, timui, quia iustus es, & rectum iudicium tuum. Gaudeo significasse te mihi per Nathan nuntium tuum, quod transtuleris peccatum meum: amplector magnam misericordiam tuam, qua misertus es mei, delens, vt nubem, peccata mea, & quasi nebulam iniquitates meas. Sed scio misericordiam tibi cum iustitia inesse, & ideo efflagitaui tremens. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: in quo non aliam inueni consolationem, quam, Quia iudicia tua iucunda. Si de alterius peccatis loquitur, meritò dolet, quia cum sit iustissimus retributor, & mandata eius non solum iusta, & vera, sed iustitia, & veritas sint nimis, tamen præuaricati sunt. Sed & illud secretiori intellectu mihi videtur quasi occultè insinuare, quod & mandata sua iustissima Deus promulgat, & mandat ea custodiri

2. Reg 12.

Isai. 44.

Sup. ver. 39.

Iudicia Dei timẽda.

Psal. 118

nimis, & tamen occulto, sed iusto iudicio permittit homines ab ijs discedere, atque in peccata labi: ac si dicat Exitus quidem aquarũ deduxerũt oculi mei, quia ipsi non custodierunt legem tuam: exitus etiam, quia alij, quos oportebat te venerari, tibique in omnibus obtemperare, non custodierunt; sed in ipsa permissione iustitiã, & iudicium admiratus sum. Vnde pauor tenuit me, & tremor: & omnia ossa mea perterrita sunt. Quis enim de sua iustitia, vel recta voluntate præsumat, quando iustè omnino manum subtrahis: qua subtracta corruat necesse est, qui stabat, & se aliquid esse præsumebat? Quid enim sum mihimetipsi sine te, inquit sanctus Augustinus, nisi Dux in præceps? & alibi. Quantumlibet rectus mihi videar producis tu de thesauro tuo regulam, coaptas me ad eam, & prauus inuenior. Ne intres in iudicium cum seruo tuo.

Iob 4.

In Psal. 142.

139 Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.

TABESCERE Hebraicè צמתתני in Piel, quod vehementiam sonat. Significat autem propriè constrinxit, coarctauit, ne possem respirare. aut euadere; vt significantissimè noster interpres dixerit, tabescere me fecit, græcè ἐξέτηξε. Zelus Hebraicè

braicè קנאתו Significat autem zelum, vel zelotipiam, qua inardescit quis, cum sibi rem præripi suspicatur, quam diligit: vel videt indignè tractari; cuiusmodi est illud, Zelus domus tuæ comedit me: id est, absumpsit me: & illud. Zelus Domini exercituum faciet hoc. Est autem hic amantium Deum zelus pro Deo dilecto: ideò addit. Quia obliti sunt verba tua inimici mei, non quia me persecuti, & iniustè opprimere conati sunt, sed quia obliti sunt verba tua, quæ sunt mihi cariora meipso. Quæ igitur tanto diligit affectu, nunquid non consequens est, vt discrucietur, si negligi, aut indignè tractari videat? Quid enim faciat hæc videns? An zelo Phinees incitatus eos interimat? Nam de ijs quidem, quos de medio tollere licebat, fortasse loquebatur, cum dicit. In matutino (id est maturè) interficiebam omnes peccatores terræ. An ex caritate corripiat, & palam arguat? Sed nihil proficiet, Obturauerunt enim aures suas, ne audiant: & sicut aspis: ne exaudiant vocem sapienter incantantis. Nam alioquin vel in conspectu Regum de diuinis testimonijs loquebatur, & non confundebatur. Num ad Dominum per orationem accurrat; & die, ac nocte eos lugens remedium ab eo efflagitet? ne id quidem prætermisit; sed opposuerunt sibi scutum cordis, ne iacula diuina cor vndique obduratum per-

Zeli magna vis.

Psal. 68.
4. Reg. 19.
Num. 20.
Psal. 100.
Psal. 57.
Sup. ver. 46.

uadant. Ergo vias vndique ſeptas inueniẽs nihil reliquum habet niſi flere, & tabeſcere. Diſce autem perfectam caritatem, quæ ſic dolet ſuper inimicis. Inimicos autem vocat, non quod nocere ſibi conarentur, ſed quod verba Dei eſſent obliti. Nam (vt Sanctus Ambroſius ait) nemo grauior hoſtis omnium, quam qui omnium lædit autorem.

Cur dicat Obliti, &c.

Quod autem ait, obliti, plura mihi videtur innuere. Primum enim ſonat modeſtiam. Non enim accuſat illos acerbioribus verbis veluti trãſgreſſores, & ſummo imperatori inobedientes: ſed quaſi extenuat, dicens, obliti ſunt. Secundò, latenter indicat rei non ferendam indignitatẽ, tanquam ipſe eam ne nominare quidem audeat. Quomodo res turpis apud Danielem honeſtioribus vocabulis deſignatur cum dicitur. Filiæ Iſrael timentes loquebantur vobis. Et alibi: Benedixit Deum, & Regem: quaſi ne proferre quidem auſus ſit verbum maledicendi. Tertiò ſubindicat illorum demẽtiam, & malitiam, quod ne meminiſſe quidem dignati ſunt rerum illarum, hoc eſt, diuinarum vocum: in quibus diuina bonitas remedia curandis eorũ infirmitatibus conſtituit. Poſtremò oſtendit præcipuam, & occultam vim verborum Dei: velut fieri non poſſit, vt quis eorum meminerit, & peccet. Quare id omni ſtudio conatur inimicus, vt verbum de

Dan. 13.
3. Reg. 21.

corde

corde tollat, ne fructificet: vt obliuionem inducat, qua fiat, vt tum sese homines turpiter in omnia vitia proijciant. Quapropter curandum contra diligentissimè est, ne vllo vnquam tempore vel leuis nos obliuio capiat eloquiorum Dei, in quibus & tutela aduersus hostes, & lux in rectè discernendis rebus, & diuina protectio, & firmitas, atque constantia nostri propositi prouidentissimè sita est.

140 Ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud.

VOx Hebræa צְרוּפָה significat quidem igne purgatum, & excoctum: quo modo alibi à Propheta nostro dicitur eloquium Domini igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Atque ita quidam intelligunt hunc locum, nihil addentes aliud. Sed mihi non quam liber purgationem videtur significare, sed eam, quæ per vstionem, & accensionem in conflatorio fiat. Vnde de quibusdam à vitijs non repurgatis Scriptura loquitur. Frustra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. & Malachias, Purgabit eos (id est filios Leui) quasi aurum, & quasi argentum. Præmiserat autem. Ipse enim quasi ignis conflans. Ex quo fit, vt, quod sic purgatur, purgationem

Psal. 11.

Verbum Dei purissimum.

Ierem. 8.

Malac. 3.

Isai. 6. simul, & ignitionem acquirat. Et in Isaia, Calculus ignitus, quo Prophetæ labia purg ta sunt, dicitur carbo: & meritò sanctus Ambrosius hanc secundam partem prosequens, & alludens ad illud ex Septuaginta: Describe eam, id est, Sapientiam, *Prov. 22.* super latitudinem cordis (sic enim illi legunt, vbi nos habemus, Ecce descripsi eam tibi triplicitèr) dicat. Tripliciter ergo describe tibi ignitum alloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. Et verè ita est, & ita experimur. Accipiunt enim verba Dei ab ipso Deo igne ignitionem: in cuius dextera, vt Scriptura ait, ignea lex, nō tam quod *Deut. 33.* tempore Mosis in igne, tonitruis, & fulminibus data sit, quam quod ignis proprietates repræsentet. Quare sanctus Ambrosius hoc loco pulchrè de hoc igne philosophatur. Vrit enim sermo diuinus, inquit, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, vt perdat: hic ignis habitare Christum per fidem facit, hic ignis extinguere *Exod. 28.* materialium sæua flammarum consueuit incendia. Et, quoniam coccus pro igne significando in veste Sacerdotis ponitur, sic interpretatur diuinam Sponsæ laudem, *Cant. 4.* cui dicitur, Sicut vitta: vel, vt ipse legit, resticula coccinea labia tua; vt resticula sit ad ligandos animos persuasionis vinculo, coccinea & ignea ad incendendos.

Et ardens mundat, accendit, illuminat.

c 13. Sed placet B. Dionysium afferre in medium,

dium, qui de cæleſti hierarchia triginta ſex ignis proprietates enumerat: è quibus etſi plurimæ ad ignitum eloquium Dei commodiſſimè transferri poſſent, ego tamen, quæ propoſito noſtro magis congruerent, paucas elegi. Primùm, inquit, niſi admota materia, in qua luceat, non apparet: ita verbum Dei, cum ignis in ſe ſemper luciditſimus ſit, pro ſingulari tamen ſubtilitate non cernitur, niſi in anima ſeruantis. Quomodo enim reſplendeat niſi in benè compoſita anima reluceat? & in moribus cæleſtis conuerſationis appareat, vt videāt homines, & glorificent Patrem, qui in cælis eſt, tanti ignis autorem? Secundò, ea, in quibus inſederit, in ſuum traducit officium, quod ſcilicet mentes accendat, eaſque lucidas, atque ardentes efficiat. Tertiò, tradit ſui conſortium appropinquantibus: longè enim poſitis non tradit: ſed videlicet tota elongatio à nobis proueuit, ita vt ſimus inexcuſabiles. Nam ipſe per ſe ignis & propinquus eſt, & nihil ipſe perdens, nec mutuati luminis detrimenta vllo modo ſentiēs, participationem ſui liberaliſſimè communicat. Quartò, ſuperiora ſemper petit, nec ad inferiora petenda vlla vi adigi poteſt: tu adde, niſi ad pabulum, vt patet in candela recens extincta: ex qua fumus, ſi in ardens lumen inciderit, inde flamma ipſum fumi ſecura pabulum, extinctam candelam rurſus accendit:

Ignis proprietates Legi diuinæ accōmodantur.

Matt. 5.

cendit: ita ignis, qui sua natura superiora semper petit, demittit se, vt inferiora erigat: quod læti in eloquio diuino experimur, cum primus ipse ignis Deus altissima, & sublimissima quæque suorum eloquiorum ad captum, humilitatemque nostram inclinat, vt nos ad superiora prouehat. Quintò, incrementa sibi ipsi suppeditat, & in suscipiente suæ Maiestatis potentiam indicat. Videre licet hominum innumeram multitudinem, qui tanquam iumenta computruerant; & nihil minus, quam de cælestibus cogitare nouerant, iam diuini huius ignis participatione in cælestes esse mutatos: vt tãtillus ignis per Apostolos exportatus incrementa sibi totius orbis apposuerit. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi: qui ideo tibi hominum corda subdis, vt incensa sustollas. Tandem ignis, si negligatur, non esse videtur: attritu autem veluti irritatione quadam continuò lucentem excitatur in flammam. Hoc in Scripturis quotidiana experimenta monstrãt. Nisi confricentur, & assidua meditatione, iugique ruminatione, ac vehemẽti desiderio atterantur, non apparet ignis. Ecce iste ipse psalmus, quem præ manibus habemus, omnium vbique linguis in Ecclesia pronuntiatur, manibus teritur, voce cantatur, sed vbi flamma? sonant in auribus, & linguis, mandata, testimonia, lux, iustificationes,

Psal. 144.

Meditanda Lex vt incendat.

cationes, lex, & huiusmodi innumera, quibus toto hoc Psalmo varijs nominibus diuina eloquia nominantur, sed ignis non accenditur: & tamen testantur discipuli de collocutione Domini. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? Ventilatio ergo, attritioque desideratur. Luc. 24.

Tale cum sit eloquium Dei, meritò addit Propheta. Et seruus tuus dilexit illud. Quis enim flammam lucentem, ardẽtem, purgantem, erigentem, pascentem, & viuificantem poterit non amare? Quomodo ex igne non existat ardor? O Domine, Domine, ignis semper ardens, qui dedisti nobis sacrum hunc ignem verborum tuorum, fac, vt exerat iugiter in nobis diuinas huiusmodi ignis proprietates. Nam si frigidi sumus, duri, & pondere grauissimi, nouum non est, vt virtutes, & facultates suas ipse ignis agens introducat. Quid ferro durius, & frigidius, & pondere grauius? tamen si ignitionem concipiat & candens fiat, non solum ipsum in se & mollescit, & ardet, sed etiam alia potest incendere.

141 Adolescentulus sum ego, & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.

VOx Hebræa נַעַר significat quidem iuuenem; sed magis propriè qui minor

fit, seu minimus æstimatione potius, quam ætate. Dicit autem Psalmographus parvum, vel minimum se aut prudentia, aut experientia, aut opinione esse: primum quidem apud se: talem enim se reputat: tum apud Deum, qui corda intuetur, & spiritus ponderat: tum apud homines, quorum opinione, & æstimatione vilem se haberi fatetur: vnde & adiungit, contemptus, vel contemptibilis: & tamen ita iuuenis, vel contemptus iustificationes Dei non est oblitus. Ostendit difficultatem mandata seruandi, dum apud alios contemptibilis æstimatur. Vix enim nisi valde humilis inter contemptum, & ignominiam mandata Dei custodit: vnde pro magno malo sibi Propheta noster alibi imprecatur, dicens. Persequatur inimicus animam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriã meam in puluerem deducat. Vbi satis indicat, quam difficile homo ferat gloriam suam in puluerem deduci. Sed non solum difficultatem inter hæc mala seruandi legem ostendit, verum indicat modum adolescẽtiam, & contemptum non solum temperandi, sed & in gloriam commutandi. Exquisita enim diligentia in præceptis Dei retinendis, & custodiendis, honorabilem hominem facit. Ac si dicat, parvus quidem sum, & contemptibilis, si meam, sapientiã, vires que meas consideres: sed, si præcepta

Nonnisi valde humilis benè fert cõtemptum.

Psal. 7

Virtus cõtemptum tollit.

tua

tua custodiam, honorabilis fiam. Nec enim frustra dicit Scriptura. Dilectio Dei honorabilis Sapientia: quia autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum. Quam nobilis, & optanda commutatio? vt ex dilectione Dei, quæ honorabilis sapientia est, & in agnitione magnalium illius fiat vir prudens, & ipse ex contemptibili honorabilis? Cura enim disciplinæ, vt alibi habetur, dilectio est, & dilectio custodia legum illius. Denique de huiusmodi tam magnificè in alio Psalmo loquitur, vt dicere non vereatur. Honorabile nomen eorum coram illo, id est, coram Deo. Quo quid magnificentius dici potuit? Certè Eliu apud Iob, Iunior, inquit, sum tempore, vos autem antiquiores, idcirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam: sperabã enim, quod ætas prolixior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapiẽtiam; sed, vt video, spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiã. Vides in Spiritu Domini, & intelligentia diuinitus accepta iuuenem, & contẽptibilem, si mandata Dei exquirat, senioribus præferri: nec sine causa à Sapiente dictum esse. Si non peccauerimus scimus, quoniam apud te sumus computati: id est, in magno pretio habiti. Nosse enim te consũmata iustitia est: & scire iustitiam, & virtutem tuam radix est immortalitatis.

Eccl. 1.

Sap. 6.

Psal. 91.

Iob 32.

Sap. 15.

litatis. Perpende locum diligentius. Ceterum sanctus Ambrosius non ad vnam aliquam animam, sed ad Ecclesiam refert vniuersam de gentibus congregatam. Et Populus, inquit, nationum ille in prima lectione despectus, rudis adhuc fide, & studio primæuæ deuotionis adolescens, vel certè renouatus Aquilæ iuuentute per baptismatis Sacramenta sic loquitur. Iuuenis ego sum, & despectus: iustificationes tuas non sum oblitus. Ille ego despectus ante, iam præferor, iam ante ponor electis, id est

Diuinissimi Sacramẽti præstantia.

senioribus, & Synagogæ ante dilectæ. Ille ante despectus populus peccatorum, habeo cælestium Sacramentorum veneranda cõsortia. Non possum præ suauitate, & dulcedine quam continent sancti huius Patris verba resecare. Sequuntur ergo. Iam mensæ cælestis honore suscipior. Epulis meis non pluuia vndatur, non terræ partus laborat, non arborum fructus. Potui meo non flumina quærenda, non fontes: Christus mihi cibus, Christus mihi potus. Caro Dei cibus mihi, & Dei sanguis est potus. Non iam ad satietatem mihi annuos expecto prouentus: Christus mihi quotidie ministratur. Non verebor ne mihi cæli intemperies, aut sterilitas ruris immineat, si pij cultus diligentia perseuerat. Non iam

Exod. 16.

coturnicum pluuias mihi opto descendere, quas ante mirabar; non manna, quod ante cibis omnibus præferebam: quia, qui

manna

mãna manducauerunt Patres, esurierunt. Meus cibus est, quem si quis manducauerit, non esuriet. Meus cibus est, qui non corpus impinguat, sed confirmat cor hominis. Et post pauca. In te ipso est, vt accipias hunc panem. Accede ad hunc panem, & accipies eum. De hoc pane dictum est, Omnes, qui elongant se abs te, peribunt. *Psal. 72.* Si elongaueris ab eo peribis. Hic est panis vitæ: qui ergo vitam manducat, mori non *Ioan. 6.* potest. Quomodo enim morietur, cui cibus vita est? quomodo deficiet, qui habuerit vitalem substantiam? Accedite ad *Ierem. 2.* eum, & satiamini, quia panis est. Accedite ad eum, & potate, quia fons est. Accedite *Ioan. 4.* ad eum, & illuminamini, quia lux est. Accedite ad eũ, & liberamini, quia vbi Spiri- *Psal. 33.* tus Domini, ibi libertas. Accedite ad eũ, & absoluimini, quia remissio peccatorum est. Quis sit iste quæritis? Audite ipsum dicentem. Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet: &, qui credit in me, non sitiet vnquam. Legenda omnia quæ ibi mellifluè prosequitur. Imò illud addit. Hæc generalia, sed etiam specialis singulis Christianis suppetit prærogatiua dicendi, Iuuenis ego sum, & despectus, si humilis corde, si mitis, atque mansuetus, & cum dixisset de periculis iuuentutis, & quam difficilis sit, dum vires solidæ sunt, & sanguis æstuat, humilitas: concludit, Grandis igitur morum est assuefacienda maturitas,

quæ vincat naturam.

141 Iustitia tua Iustitia in æternum.

IVSTITIA, quam tuis mandatis sanxisti, quæ vera iustitia est, fixa, perpetua, & inuariabilis est. Et quod ipse statuisti tam sanctum, rectumque est, vt mutari nō possit. Nec ad tempus præcepisti, vt seruemus, sed in finem vsque, perpetuò. Iustitia etiã, quam nobis exhibes sanctificans, & rectificans ex parte tua in æternum est. Sine pœnitentia enim sunt dona tua. At, qui deficiunt, ipsi relinquunt. Caue laqueos, caue quæ eam intercidere possiunt. Nam qui mundum diligunt, & ea, quæ in mundo sunt, quomodo iustitiam seruant, & custodiunt? Vide pericula.

Et lex tua veritas.

ID est vera, quia mentiri non potest. Secundò ex Ambrosio vera, id est, spiritualis, quæ viuificat: nam litera occidit.

Veritas item, vt opponitur vmbræ, & typo futurorum. Quia antiqua vmbra erant, & exemplar cælestium. Hanc igitur veram optabat Dauid, hanc amplectebatur, vtpotè, cui incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestaret Deus.

Hacte-

HActenus adnotarat R. P. Generalis Meditationes suas, cum placuit Deo transferre eum (vti speramus) ad contemplationem facie ad faciem. Qui, cum grauius ægrotare cœpit, & in ore, & scilicet multo magis in corde habebat versiculum, qui proximè sequitur. Tribulatio, & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est: tanquam diuinitus esset eo perductus, vt, cui vita tota meditatio mandatorum Dei fuerat, eum vltima etiam exilij huius tribulatio, & ipsa mors in eadem meditatione inueniret.

INDEX

INDEX RERVM MEMORABILIVM, quæ in hoc opere continentur.

A



ABECEDARII psalmi quinam, & quot. pag. 191
Adiutorium Dei. vide, *Gratia Dei.*
Adolescens, & adolescentior multipliciter accipitur in psal. 118. 154 *& seq. &* 562
Adoratio perfecta Sponsæ. 116
Affectus quomodo lege Dei dirigantur. 267
Agnus in medio Throni quid significet. 69
Alpha, & Omega cur se Dominus appellet. 192
Alphabeti Hebraici præclara spiritualis expositio 194. *& seq.*
Altare Dei cor nostrum. 49
Ambulare quid sit. 224
ad Ambulandum quomodo vinciendi pedes. ibid.
Amor vide *etiam Caritas.*
Amoris diuini scalpellum, & ferramenta vbi temperata. 50
Amore Christus regnat. 56
Amore nos possidet, & possidetur à nobis. 58
Amor plenus oculis, & pennis. 491

ex

ex Amore meditatio perpetua. 497
Amore recto, omnes affectus sunt recti. 268
Amores sunt quodammodo omnes virtutes. 269
Anima. vide etiam Sponsa, & Iustus.
Anima Iusti Sponsa Verbi. 28. Eius pulchritudo ex conuersione ad Sponsum. 111. & seq.
Animæ decorem concupiscit Deus, quem ipse-met facit. 117
Animæ vita Dei alloquia. 29
Alloquitur eam Sponsus multipliciter. 30 & seq.
Anima inhærens Deo toto mundo sublimior. 59. 60.
Quomodo fiat arca testamenti. 170
Annus benignitatis aduentus Christi. 38
Anni corona perfectio ipsa. ibid.
Apostoli quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam. 77 & seq.
Patres sunt Sponsæ, & quales Patres 155. & seq.
Pro ijs gratiæ Deo agendæ 156
Per eorum voces dulcedo Christi gustatur. 158. 159
Quam præclarus eorum principatus. 106. & seq
Regnant viuente Patre. 161
Arma quibus Christus regnum acquirit. 80
Armamentaria sagittarum apud Sponsam 82
Armillæ in manibus bona opera. 160
Auaritia pessima non se reddere Deo. 351
Auditus initium fidei qualis. 104

Aurem inclinare quid sit. 106

B

Baptismo melius mundus, quam diluuio renouatus. 80
Beatitudo vitæ in quo sita. 218. 219
Benedicunt Deum omnia. 277
vide *Laus.*
Benedictio Sponsi quam ampla. 34. 35
Benedictiones cæli, abyssi, vberum. ibid.
Beneficiorum Dei memoria. 105
Benignitatis annus aduentus Christi. 38
Benignitatis diuinæ nomina. 408
Benignitas Dei quanta. 410
Blanditiæ diuinæ. 32. 58
Brachium Dei quantæ virtutis, ac fortitudinis. 78. 79

C

Calumniator præcipuè Diabolus. 515
Calumniæ difficilè benè feruntur. 543
Quid ad eas tolerandas iuuet. 522
Caritas vide etiam *Amor.*
Caritas gladius Christi. 40
Caritas gluten Deo vniens. 339
Nullam extra se mercedem requirit. 348
Delectabilia facit mandata. 368
Carpi Sancti visio de benignitate Christi. 69
Christus vide etiam *Sponsus*
Commutatio facta Christi aduentu quam felix. 4. 54.

4. 54 & seq.
Quos cælos Christus plantarit. 77
Christus facies Patris. 395
Christi vnctio vnio hypostatica. 87
Christi vnctionem quomodo adumbrent olei virtutes 88
Idem candelabrum aureum sine infusorio, principium omnis vnctionis, & fons omnis odoris. 88. 89
Lignum vitæ in Paradiso Christus in corde Spōsæ. 44. 45.
Christi gladius Diuinitas, & Caritas. 39. 40
Christi sagittæ vitaliter occidunt. 80. 82
Christi pulchritudo quanta, ex virtutibus, ex gratuitis donis, ex vnione hypostatica. 14.
Quod caput est hominum, & Angelorum. 14. 15 Ex omnibus quibus vocatur ab Isai. cap. 9. 16. Ex descriptione Cant. 5. 18. Ex capite aureo, & ex comis. 19 Ex oculis. 20. Ex genis. 21. Ex labijs. 22 Ex manibus. 23. Ex ventre. 24. Ex cruribus. 25. Ex gutture. 27
Christi mansuetudo, clementia, & suauitas. 65. & seq 70 86
Medicus animarum mansuetissimus. 67
Christi passio & hostes vicit, & Sponsam vulnerauit. 41
Est medicina omnibus consulens. 42
Misericordia Dei per excellentiam vocatur. 43. 165
Claui Christi perpetuis diabolum fixere vul-

vulneribus. 23
Christi regnum. 47. Quam miro modo acquisitum ibid. Quam amplum. 48. quam diuturnum. 51. 83. Quam suaue 52. Quomodo regnet veritate. 60
Quomodo regnet iustitia. 73. 74
Quomodo iustitiam dilexit. 87
Rotæ currus, quo vehitur, stillant pinguedinem. 38
Sceptrum Christi virga directionis, clementia & Crux. 83. & seq fuse.
Christi vestimenta Humanitas. 93 Sancti, & Ecclesia, & virtutes. ibid.
Victoriæ Christi. 39. 40. 75. 76
Ex Christo capite quanta bona Ecclesiæ. 209. & seq.
Christi nomen nouum inscriptum in nobis. 49
Christianorum vocatio quam excellens. 211
Christianorum spes vide, Spes.
Cibus Deo sunt, qui ei sese offerunt, & dedicant. 131
Circuli in naribus, & in auribus quid significent. 101
Communicatio Sanctorum in Ecclesia quanti facienda. 404
Confessio quare fiat Deo scienti. 3. 4
Confessio interdum Laus. 173
Confusio multiplex recedentibus à Dei lege 249 & seq.
Confusionis portæ timor, & cupiditas. 367
Confusio interdum causa emendationis. 444
Confusio bona ex inspectione legis. 252

Con-

Confunditur qui dicit, & non facit. 368
Conscientiæ examen: vide, Examen.
Consiliarij Iusto mandata Dei. 317
Consolatio à solo Deo. 456. Qui est consolator dulcissimus. 332
Constantia insignis. 379. 399. 400. 492
Contemplatio vera zelum animarum accendit. 281
Quæ contemplationis materia. 299
Contemplatione summi boni animæ oculi recreantur. 61
Contemptus difficilis toleratu. 562
vide supra Calumniæ.
A contemptu virtus liberat. 562
Cor nostrum altare Dei. 49
Cordis scutum labor Domini. 41
Cor quomodo dilatetur. 340. 341
Corde dilatato curritur via mandatorum. 341. 342.
Ex corde prodeant necesse est bona opera 203
Ex toto corde quærendus Deus: & quomodo id fiat. 230 & seq. egregiè.
in Corde abscondenda lex Dei, vt semen, vt thesaurus, vt res carissima. 273. & seq.
Cordis puritas ex memoria Dei. 448. & seq.
Cor facile maculatur, eoque maculato nil restat purum: & quæ remedia ei purgando. 450. 451
Cor debet esse purum, quia est templum Dei, & lex Dei in eo scribi debet. 452
Cor quomodo inclinetur ad Dei mandata. 497
Corpore quomodo vtendum. 541

Creationis beneficiũ quid à nobis postulet. 433 & seq.
Creationis opera magnifica præclarè considerantur. 466. & seq.
Publicæ sunt paginæ diuinæ voluntatis. 470

D

Deficere in aliquid quid sit. 454
Deficere oculi in eloquium Dei quare dicãtur. 455. 517
Delectari in mandatis Dei qui nam possint. 284. 285
Quantum ijs delectentur perfecti. 387. 315
Dens aliquando ebur significat. 213
Dentes vim discretiuam significant, & virum perfectum. 214 & seq.

Deus.

vide Laus, Lex, Misericordia, Scriptura, & similia.
Deum meminisse est facere. 374
Deus quam memor iustorum. 375
Et quam fidelis tutor. 379 & seq.
Deus laudat se, vt nobis prosit. 13
Dei nomina decem considerantur. 386. & seq.
Deus solus vera hominis hæreditas. 392
Deus simpliciter bonus, & bonitatem operibus ostendit. 414 & seq.
Quinta eius benignitas, & liberalitas in homines 74. 408. 410. Et blanditiæ. 32. 52. 53. Consolationes. 331 456
Deo debetur affectus amoris & reuerentiæ. 115.

Et

Et gratiarū actio, benedictio, magnificatio. 420
Dei summus multis nominibus. 473
Paucorum est dicere Deo, Tuus sum. ibid.
Dei cibus, qui Deo sese offerunt. 131
Dei dona præ magnitudine multis similitudinibus explicantur. 137
Dies multis modis spiritualiter accipitur. 459
Dirigi ad mandata Dei quid sit. 525 & seq.
Directio Dei sæpe postulanda 519
Disciplinam debet homo sibi, Proximo suauitatem. 411. 412
Diuitiæ quomodo cum mandatis Dei comparentur. 285. 426
vide Lex Dei.
Docetur propriè qui discit. 418
Quomodo Deus doceat. 30
Quid sit à Deo in bonitate doceri 416
Doctrina vera solum in Ecclesia Christi 196
Quid compendio doceat. 198. & seq.
Doctrina Gentilium quam manca. 196
Doctrina perfecta etiam afficit. 254
Et opus adiunctum habet. 325
Doctrinæ cælestis quanta vis. 480
Duritiem significantia in Scripturis. 420

E

EBur puritatē corporis, & animæ significat 213
Eburneæ domus in psalmo 44. quæ sint. 94
Enuntiamus Deo vias nostras multipliciter, quamque id fructiferum. 324. 325
Eucharistia guttur Sponsi. 27

Re-

Remedium terrenæ grauitatis. 323
Conseruanda eius memoria. 170
In ea maxime apparet Christi clementia. 86
Præclarum eius encomium vide. 564. & seq.
Examen conscientiæ circa quæ fieri debeat. 396. & seq.
Quam necessarium. 515 & seq.
Exemplorum bonorum vis ingens. 436. 445. & seq.
Exercitatio in lege Dei qualis debeat esse. 327
Expectatio nostra ne sit frustra, neque expectatio Dei de nobis. 506. 507.

F

Fames sitisque spiritualis quæ sit. 167. 168
Fides sine caritate est vnica ala non satis ad volandum. 208
Filiæ dicuntur hebraicè villæ, seu oppida ciuitatibus subiecta. 119
Flagellis mali indurantur, iusti mundantur. 424 & seq.
Et in ijs Dei bonitatem agnoscunt. 438. 439
Flumina quatuor Paradisi, quatuor pretiosa genera lacrymarum. 549 & seq.

G

Garrire, quo sensu accipiatur à Septuaginta in Psalmis. 288

Gau-

Gaudium solidum ex adoratione Dei. 117
Gratia in labijs Christi pro nobis interpellantis quanta. 33. *Ab eius labijs diffunditur in labia nostra.* 34
Gratia, & adiutorium Dei quam necessaria. 204. & *seq* 247. 350. 494. *Quam benignè Deus illam promittat, & præstet.* 205
ex Gratia Dei legis custodia. 481 482
Gratia legem iucundam facit. 483
Gratiarum actio quam sit præstans. 178. *Quanti facienda.* 375 & *seq.*
Gratitudo est bene vti donis. 326. & *seq.*
Gratitudo ex beneficio creationis. 433
Gustus necessarius ad perfectam cognitionem diuinorum. 254 256

H

HÆreditas hominis vera solus Deus 392. & *seq. Qualis hæreditas.* 394
Hæreditas quam præclara Dei lex. 495 & *seq.*
Hominis nobilitas. 312. & *seq* 428 *fusè.*
Homo compendium rerum, & magnus mundus. 430 431 *eius miseria.* 32. 367
Homo sibi ipse impulsor ad malum. 272 *Et dux in præceps.* 554
Humanæ infirmitatis confessio verbum veritatis. 34
Humanæ res quam viles. 377
Humiliatio est vtilis. 413. 414
Humiliatio maxima Iusti est lex membrorum. 488 489

Humilitas Vallis benedictionis. 244. *Docet.* 413. 414. *Et docilis est.* 425. *Et capax diuinæ lucis.* 533

I

Ignis proprietates, vt Verbo Dei conueniant. 559 *& seq.*

Increpatio Dei testatio eius caritatis. 30. 31

Interdum quam terribilis. 308

Iniquitas rectè dicitur mendacium. 334

Intentio recta semper curanda. 355. *& seq.*

Iusti quantopere cupiant custodire Dei legem. 366

Iustorum tutela quanta Deo. 379 *& seq.* 501. *Et tamen eos seuerè tractat.* 439

Iusto quot de causis peccata dolorem afferant. 382. *& seq. Sunt ei peccatores causa profectus,* 500 501. 510. *Interdum etiam impedimento.* 503

Iusto lex ipsa pro solatio. 384

Iustus spectaculum nobile, salubre, & iucundum. 436 *& seq.*

L

Lac, & mel post baptismum olim gustari solita. 422

Lacti benè lex comparatur. *ibid.*

Lacrymarum pretium, & genera. 546 548. *& seq*

Laus Dei quam præclara, & quam diffusa per terras 173 *Quæ ad eam excitent,* 174 *& seq. Est repræsentatio vitæ futuræ.* 176

La-

Laudant Deum omnia. 277
Laudis Dei perfectæ conditiones, & vtilitates. 6. *& seq.*
Laudat se Deus vt nobis prosit. 13
Lex Dei. Vide, *Mandata, Scriptura, Verbum Dei.*
Lex Dei quantum donum. 224. 225 *Pretiosa super omnia.* 426. *Præstantia eius.* 460. 461. *Quam mirabilis, & quam multas ob causas.* 518 *& seq Quare vocetur testimonium.* 226 227. *Et testimonia oris Dei.* 464. *Quot modis dicatur veritas* 506
Legem Dei commendat Maiestas, Sapientia, Prouidentia Legislatoris. 469
Legislator idem dat vires. 483
Legis meditatio deliciæ Iusto. 315 *& seq & 384 Meditanda vt incendat* 560. *Quomodo abscondenda in corde.* 273 *& seq Quomodo dirigat affectus.* 267
Legis meditatio, & memoria tentationum, & tribulationum remedium: ab hostibus, & à laqueis liberat. 400. 470. 471 475. 479. 480 *Meditanda in persecutionibus* 315 *Exacta legis custodia.* 481. *Perseuerandum in legis custodia.* 483. *Ad eam obseruandam quomodo reducatur totum Psalterium.* 181. *& seq fusè. Profectus ex legis custodia.* 484. *& seq.*
Legis custodia ipsa per se merces. 347. *Vita in legis custodia.* 472

Lex Dei super omnem doctrinam 481. *Eius notitia interior necessaria.* 344
Lex Dei lucerna, & lumen 482. *Pro consiliarijs est Iusto* 317. *Per eam anima ingreditur ad sapientiam, & sapientia animã* 207. *& seq.*
Legis retributio præclara, & multiplex 497 *& seq.*
Lingua quomodo sit calamus Spiritus sancti. 8. *Quæ laudabilis.* *ibid & seq.*
Lingua, & idioma seculi dediscendum. 108
Lucerna quid significet, & quos vsus præbeat spiritualiter. 487 *& seq.*
Lux à Deo semper postulanda. 522

M

Maledictio Dei quam formidabilis. 308
Mandata Dei. Vide, *Lex Dei. Via, &c.*
Mandata Dei quare dicantur æterna. 207.208
Mandata sua Deus quam velit custodiri. 235. *& seq Rationes quare sint diligentissimè custodienda.* 238. *Qui ea custodit adhæret Deo* 840 *Sunt via ad vitam.* 283. *Quis ijs delectetur.* *ibid.* *Quomodo cum diuitijs comparentur* 285. 524. *Quam ardenter cupienda* 304 *Omnia consummant & latissimè patent.* 476. *& seq. Assidua eorum habenda memoria.* 339 390
Manus quomodo ad ea leuandæ. 369
Manus lauantur ad iurandum. 371
Maria Virgo Regina à dextris Sponsi 97. *Virgines ad Sponsum adducit* 147. *Omnes eam pre-*

precantur. Vide, causas 134. & seq. Per eam oblata nostra munera fiunt Deo grata. 136
Meditatio ex dilectione: ex meditatione opus. 373
Meditatio assidua ex dilectione. 479
Meditatio legis, & Scripturarum quam vtilis, & necessaria. 504. 560. Dæmones omni ope ab ea auocant. 503. operi iungenda. 443
Memoriam Christi quam indignè homines non seruent, cum ipse memor sit eorum. 162 168. Quã multa Christi memoriã excitent. 64
Memoriæ Dei suauitas. 168
Memoria præcipuè conseruanda diuinæ Eucharistiæ. 170. Ad puram Dei memoriam studiũ, & otium requiritur. 171. Ex memoria Dei puritas cordis. 448
Memoria legis liberat à laqueis. 400
Merces Vide, Retributio, & Legis custodia.
Mirabilia Dei quænam sint. 328
Miseria peccatorum quanta. 232. & seq.
Misericordia Dei Christus. 362
Misericordia per excellentiã Christi Passio 165
Misericordia Dei plena est terra, & omnia. 406. Quam prompta sit. 441
Misericordia miseris imploranda. 519 & seq.
Misericordia Dei irati timenda. 537
Mortificatio Vtris nomine significatur. 458
Munera hominis non accipit Deus, nisi se simul offerat. 123
Munus Deo gratum explicatur fuse oblatione

panum Propositionis. 114. & seq.

N

NOcte potissimum Deus invocandus. 389 Et laudandus Vide, Causas. 401. & seq.
Nomen Domini pro ipso Domino, significat etiam quandã reverentiã & amorem. 385. 386
Nomina Dei decem breviter considerantur. 386 & seq.
Nomen novum inscriptum Electis nomen IESV 49

O

OBlatio grata Deo egregie explicatur ex oblatione panum Propositionis. 124
Oblationes hominum viles manibus Mariæ Deiparæ impositæ fiunt Deo gratæ. 136
Oculi quam custodiendi. 454 Cur Domino velati 355. Quare dicantur deficere in eloquium Dei. 455. 517
Oculos animæ contemplatio summi boni reficit, vt oculos corporis amœna viriditas. 61
Opprobrium quodnam Sancti fugiant, quodnam ament. 310. 311
Opprobrium quodnam sit maximum. 348
Opus cognitioni adiungendum. 202, & seq.
Opus oculos animæ illuminat. 255
Oratio quam necessaria, & vtilis 370 Quantum beneficium posse Deum semper alloqui. 403
Ostendere interdum est rebus ipsis probare. 78

P.

PAnes Propositionis symbolum gratæ Deo obla-

oblationis.124.& seq Quare dicantur Panes facici. 127
Paulus Apostolus plurimas regiones breui tempore peragrauit. 47
Patria,& Pater Sponsæ Christi obliuiscēdi 110
Peccata etiam leuia,quam Deo displiceant. 236
Et quam odio habenda à nobis. 486 486
Peccata venialia quando dominentur. 540
Peccata multis causis Iusto sunt dolori. 382
Peccatorum septem genera, in quæ etiam Iusti cadunt. 328
Peccatores quam miseri. 232
Peccatorum via qualis. 232 & seq.
Peccatores sunt nihil,nugæ,& scoria.508 & seq.
Peccatorum odio habenda iniquitas,non natura 500.
ex Peccatoribus multa commoda Iusti capiunt 500 & seq.
Peccatores terræ cur dicantur. 510
Peregrini sumus omnes in hac vita. 299 300
Peregrinationis huius quæ sint cōmoda, quæ incommoda.300 & seq. Præit ipse Dominus. 304.346
in Persecutionibus maximè meditanda Dei lex. 315
Pœna inflicta à Deo est misericordia. 297
Prædicatori quæ necessaria sint. 281
Præuidēdæ difficultates,& tentationes 318 319
Proficiendum semper.278.297 & seq 306.307.

324.325.346 & seq. 491 492.
Promissiones Dei quam amplæ. 32.33. Earum veritas 62. & seq. Nobis fiduciam pariunt.
Proposita bona debent esse firma, ac fortia. 488
Prudentiæ veræ officium. 337
Pugnæ spiritualis locus terra. 462. Quam multi hostes & in pugna lex medi. ãda. ibid & seq. Hostes nos multipliciter expectant. 474
Pugna, & victoria Sponsæ. 45
Psalmus centesimus decimus octauus totus moralis. 179 Et quasi compendium, & finis totius Psalterij 181. & seq. Cur per Alphabetum, & octonarios distinctus. 191. & seq.
Psalmi Alphabetarij quot, & quinam. 191. Quam consentiant cum psalmo centesimo decimo octauo. 192
Psalterij quinque partes, & quid quæque contineat. 180. & seq.
Psalmi qui de mirabilibus Dei agunt. 185. Qui de liberatione ab inimicis, & victoria ex ijs. ibid Qui de Pœnitentia. ibid. Qui de creatione, & gubernatione mundi. 186. Qui de protectione Iustorum. ibid. Qui de beneficijs Dei, & laudibus. ibid. Qui de Christo, & mysterijs eius. 187 & seq Qui de vita æterna. 190
Pulchritudo animæ quam excellens. 140. & seq. Perpetua est, & potest perpetuò augeri. 141. & seq. Quam diligenter curanda. 143
Puritas cordis. Vide, Cor.

Quæ-

Q

Quærendus Deus semper, & toto corde. 229. *& seq.* 146. *& seq. Et quærendus per omnia.* 347

R

Renouandus assidue spiritus. 127
Repellere à mandatis quomodo dicatur Deus. 272
Respicit Deus iratus, & propitius. 536
Respiratio spiritualis quæ sit. 535
Retribuere multipliciter accipitur. 295 *& seq.*
Retributio qualis obseruatæ Dei legis. 497. *&*

S

Salutare est Saluator, & salus. 518. *Cur dicatur salutare vultus mei.* 518
Sapientiæ diuinæ effectus. 320
Scriptura sacra. Vide, *Lex Dei. Mandata. Verbū Dei, &c. in ea nihil minutum.* 226. 504
Seruus Dei liber est. 521
Seruitus Dei quam suauis 516
Seruitus omnibus titulis Deo debetur. 521
Similitudinem suam Deus in nobis requirit. 201
Solis consideratio, & spectarum. 466 *& seq.*
Spectaculum optimum Iustus. 43.
Speculari gloriam Domini ex Apostolo quid sit. 112. 113.
Sperni à Deo quantum sit malum. 509
Spei Christianæ quanta altitudo. 199 200
Spes nostra in bonitate Dei. 416. *Confirmatur ex acceptis iam donis.* 442

Spes in Dei sermonibus patrocinium nostrũ 363
Spes ex consideratione nominum Dei. 388
Superſperare quid ſit. 502
Sponſus. Vide, *Chriſtus.*
Sponſus cur vocentur Dominus Deus Sponſæ 113
Sponſi lectulus vigili cuſtodia munitur. 43
Sponſi odor excitat concupiſcentias æternas. 101
Sponſi nomẽ quantæ dignitatis, & ſuauitatis. 115
Sponſa. Vide, *Anima, & Iuſtus.*
Sponſa quomodo cuſtodiatur. 43. *Quomodo pugnet, & vincat* 45
Sponſa Regina à dextris Sponſi eſt Virgo Deipara, Eccleſia, anima Iuſti. 97 & ſeq.
Sponſa cur eadẽ & filia dicatur. 137. *Quæ debeant ineſſe animæ, vt Sponſa ſit* 138. 139
Sponſa ex quanta humilitate ad quantam dignitatem euecta 98. *Veſtes eius, & ornamenta* 98. 99. 102. 103. *Pulchritudo eius ex conuerſione ad Sponſum.* 111. 142
Sponſæ amor in ſummo gradu ſtat. 138
ex Sponſa requiruntur quinque, vt audiat, vt videat, vt inclinet aurẽ, vt obliniſcatur populũ ſuum, vt obliniſcatur domum patris ſui. Vide fusè ſingulorum explicationem. 104 & ſeq.
Sponſæ pulchritudo multis cauſis dicitur eſſe ab intus. 139. 140
Suauitas, & manſuetudo debetur proximo. 411. *Quæ Deo, & proximis ſummè grata.* 417
Superbiæ grauitas, ac fœditas. 309
Suſcipi à Deo quid ſit, & quantũ bonum 505. 506

Suſpi-

Suspirium quam efficax. 35

T

TÆdia etiam Iusti experiuntur. 330. *In ijs confugiendum ad Deum.* 331
Tempus gratiæ tempus faciẽdi Deo. 522. & *seq.*
Temporalia omnia vanitas. 153
Tentationũ remediũ meditatio legis diuinæ. 471
Terra locus pugnæ. 462
Terræ consideratio. 467. & *seq.*
Thau signum Crucis significat. 213. 214
Timor castus basis quædam diuini Verbi Vide *alios eius effectus.* 357. & *seq.*
Timoris casti commendatio. 512
Timor Iusto quam multiplex. 511
Timenda irati Dei misericordia. 537
Timenda Dei iudicia. 553
Tribulationis bona. 258. 446. 460 462.
Tuus sum, vox paucorum est loquentium cum Deo sed eorundẽ est vox, Meus es. 473. 474
Tyrus quare potissimum ponatur pro tota Gentilitate Christum adoratura. 119. & *seq.*

V

VAnitas omnia temporalia. 153 & *seq.*
Verbum Dei. Vide, *Lex Dei,* & *S. Scriptura*
Verba Christi suauissima, & *suberrima.* 22. 28 *illa ptrcipere quantum beneficium.* 279. *Eadem pronuntiare labijs quid habeat boni.* 280
Verbum Dei, ad animam, quod, & *quam multiplex.* 29. *illud omnia susceperũt.* 279. *est lucerna,* & *lumẽ.* 487. *quã dulce.* 535. *est purissimum*

simum, & ardens 557. *Mundat, accendit, illuminat.* 558. *veritatis quodnam* 364. *& seq.*
Verbum interdum est opus. 7
Via ad beatam vitam quæ sit, & quæ requirat. 218 *bona quærenda, & terenda.* 3, 9. *peccatorum qualis* 232. *vinearũ quæ* 234. *Domini quænam.* 289. *iniquitatis quomodo in nobis sit, & quomodo remouenda* 335. *mandatorũ lata eadem, & angusta.* 366, 461. *militaris sequenda.* 345 *veritatis quæ* 337
Virgines ornamentum Sponsæ 145. *Et ipsæ singulariter Sponsæ* 146. *ad Sponsum adducuntur à Regina Deipara.* 146. *Sed præcipuè ab ipso Sponso.* 151 *illarum in cœlo merces quanta* 151. *Virtutes omnes quodammodo amores* 269. *illarum practica theoricem præit.* 287
Virtus aduersis apparet. 440. *contemptum ætatis, & alium quemcumque tollit.* 564
Vita præsens præparatio ad futuram. 200. *vera Deo viuere.* 356. 360.
Vita absolute est vita æterna, & vita gratiæ. 442
Vitia sub imagine virtutis fallunt. 317
Vocatio Christianorum quam excellens. 211
Voluntaria oris quæ sint in psalmo centesimo decimo octauo. 490
Vter in pruina quid significet. 457
Vultum deprecari quid sit in Psalm. 44. 133

Z.

Zeli magna vis. 555 *& seq.*

FINIS.

Liber Coll. Soc. IESV Paderb.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN